EX LIBRIS LUDOVICI RAJNER EPISCOPI TIT. CIDYESSEN. E.M. STRIGONIEN. CANT. ET CANONICI
NEC TEMERE
ET VIRTUTE
NEC TIMIDE SED CONSILIO
1907

ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXVI.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1893-94.

9846

BX
850
A3
V.26
1893-
94

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De consistorio habito die 15 Iunii 1893.

Feria quinta die XV Iunii 1893 in Aula Regia Palatii Apostolici Vaticani habitum fuit Consistorium publicum, in quo SSmus Dñus Noster Leo Papa XIII tradidit Galerum Rubrum Emis ac Rmis Dñis Cardinalibus Di Pietro, Sanz et Fores, Meignan, Thomas, Galimberti, Vaszary, Granniello et Sarto.

Quo expleto in Aula superiori praefati Apostolici Palatii Vaticani fuit Consistorium Secretum, in quo postquam clauserat Os de more antedictis Emis ac Rmis Cardinalibus, Sanctitas Sua sequentes proposuit Ecclesias:

Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum vacan. per obitum clar. mem. Dominici S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Agostini, ultimi illius Patriarchae, extra romanam curiam defuncti, favore Iosephi S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sarto, Mantuani Antistitis.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Anazarben. vacan. per obitum bo. me. Francisci Laurencin, ultimi illius Antistitis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioachimi Larrain Gandarillas, Episcopi Martyropolis.

Cathedralem Ecclesiam Neosolien. vacan. per translationem R. P. D. Emerici Bende ad Sedem Nitriensem, favore R. P. D. Caroli Rimely, Presbyteri Strigoniensis archidioeceseos, ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici, R. P. D. Carolus Rimely ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Strigonii in urbe archidioeceseos Strigoniensis progenitus et sexagesimum octavum aetatis suae annum supergressus, in sacra dudum theologia Doctoris laureâ ditatus, Collegii Pazmaniani Sub-rectoris, atque Rectoris munere perfunctus, inibi plures per annos studiorum Praefectus, ac Strigoniensi in Seminario historiae ecclesiasticae ac iuris canonici Professor adlectus est. Abbas SSmi Salvatoris de Lekér, Collegiatae Posoniensis ad S. Martinum Ep. Cantor et Canonicus, eiusque liberae regiae civitatis Archidiaconus et Parochus hucusque renunciatus, inter Pontificiae Domus Antistites adscitus est.

Cathedralem Ecclesiam Oxomen. vacan. per obitum bo. me. Petri Mariae Lagüera el Menezo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Victoriani Guisasola et Menendez, Presbyteri Ovetensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. R. P. D. Victorianus Guisasola et Menendez ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Ovetensi in urbe progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia, et in utroque iure Baccalaureus, tum in sacris canonibus dudum Doctor effectus, examinator synodalis tum Compostellae, tum aliis in dioecesibus adlectus, a secretis generalis Concilii provincialis Compostellani, eiusdemque Synodi archidioecesanae Iudex Syn-

odalis atque Notarius renunciatus est. Ipsa Sede vacante in Vicarium Capitularem assumptus, inter Protonotarios Apostolicos ad instar Participantium adscitus est.

Ecclesiam de Chihuahua in Mexicana ditione Americae Septemtrionalis per Suas Apostolicas Litteras « *Illud in primis* » datas nono Kalendas Iulii 1891 ab archidioecesi de Durango seiunctam, ad Cathedralis honorem promotam et ab hac primaeva erectione sua vacantem; favore R. D. Iosephi a Iesu Ortiz Presbyteri archidioeceseos Mechoacanensis. R. D. Iosephus a Iesu Ortiz, in baptismate nuncupatus Stanislaus Andreas, ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe Patzcuaro, Mechoacanensis archidioecesis progenitus, et in quadragesimo quarto aetatis suae anno constitutus, illius Metropolitanae Ecclesiae Canonicus, Provisor et Vicarius Generalis ad praesens usque renunciatus est.

Episcopalem Ecclesiam titularem Joppen. sub Archiepiscopo Caesarien. vacan. per obitum bo. me. Eugenii O' Connell, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Francisci Vander Stappen Presbyteri archidioeceseos Mechliniensis: qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Emi ac Rmi Domini Petri Lamberti, Titulo S. Crucis in Hierusalem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Goossens Archiepiscopi Mechliniensis. R. D. Iosephus Franciscus Van der Stappen ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in suburbio civitatis Antuerpiae, paroecia vero S. Willibrordi, civilis provinciae Antuerpiensis, Mechliniensis archidioeceseos progenitus et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressus, Magistrum caeremoniarum sui Emi Cardinalis Archiepiscopi, ac etiam pietatis et Moderatorem agens Sororum a Charitate, in archiepiscopali Seminario sacrae Liturgiae et Gregoriani cantus Professor adlectus, Canonicus prius ornamentarius, et hucusque metropolitanae Ecclesiae Canonicus Capitularis renunciatus est.

Episcopalem Ecclesiam titularem Arsinoen. sub Archiepiscopo Ozyrynchio vacan. per translationem R. P. D. Petri Mariae Osouf ad Metropolitanam Sedem Tokiensem, favore R. D. Ioannis A. Boneo, Presbyteri Bonearensis, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Leonis Friderici Aneyros Archipraesulis SSmae Trinitatis de Buenos Ayres. R. D. Ioannes A Boneo ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Bonearensi in urbe Argentinensis reipublicae capite progenitus et octavum supra quadragesimum aetatis suae annum supergressus, Romae aliquando penes Collegium Pium Latinum Americanum commorans, ibique partim studiis deditus, partim vero in sua patria studiorum perfecit curriculum, et humanitatis, rhetoricae ac successive theologiae moralis Antecessorem agens, Archiepiscopo absente paroeciarum ruralium visitationem aggressus, et matrimoniorum Defensoris, Provisoris et Vicarii in spiritualibus Generalis muneribus perfunctus est.

Episcopalem Ecclesiam titularem Tiberiopolitan. sub Archiepiscopo Laodiceno vacan. per obitum bo. me. Eusebii Semprini, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Espinoza, Presbyteri Bonearensis, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Leonis Friderici Aneyros, Archiepiscopi SSmae Trinitatis de Buenos Ayres. R. D. Antonius Espinoza ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Bonearensi in urbe, Argentinensis Reipublicae capite progenitus et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus, Romae Collegii Pii Latini Americani Alumnis adiunctus, in sacra theologia dudum doctorali laureâ donatus, ruralium paroeciarum visitatoris, et hucusque Bonearensis Capituli Canonici, illiusque archidioecesis provisoris et Vicarii generalis muneribus perfunctus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Anthedonen. sub Archiepiscopo Caesariensi, vacan. per obitum bo. me. Ludovici Gay, ultimi illius Episcopi, extram romanam

curiam defuncti, favore R. D. Gulielmi Ioannis Carter Presbyteri de Serena in Chile. R. D. Gulielmus Ioannes Carter ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe de Serena in Chile progenitus et in quinquagesimo primo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia, iurisprudentia, atque politica scientia dudum doctorali laurea donatus, suae dioecesis examinator pro-synodalis, atque metropolitanae Ecclesiae S. Iacobi de Chile Canonicus hucusque renunciatus, inter theologos socios academicos in universitate Chilena adscitus est.

Monasterium Beatae Virginis de Maris-Stella cum ei adnexo Prioratu Beatae Mariae Virginis Augiae-Maioris Ordinis Cisterciensis in Helvetia et Austria vacan. per obitum bo. me. Mauri Kalkum, ultimi illius Abbatis, ac respective Prioris extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Laurentii Wocher, Presbyteri Ordinis Cisterciensis ac expresse professi, a RR. Capitulo et Monachis in Monasterio B. M. V. Augiae-Maioris degentibus de more electi, atque ex benignitate Sanctitatis Suae confirmandi, iuxta decretum Sacrae Congregationis rebus Consistorialibus praepositae a praefata Sanctitate Sua approbatum. R. P. Laurentius Wocher, ante professionem vocatus Antonius, ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Brigantii dioecesis Brixinensis et provinciae Austriacae, nuncupata *Vorarlberg*, progenitus ac trigesimum septimum aetatis suae annum supergressus, Magister gymnasii, Archivarius et Bibliothecarius sui Ordinis adlectus, periodicis in ephemeridibus catholicis plures exaravit labores, Professor Collegii S. Bernardi pro erudiendis ac instituendis pueris instituti ac insimul sacrae theologiae constitutus, a Secretis praedefuncti Abbatis Maior Cellerarius Conventus renunciatus, a Sanctitate Sua etiam Notarii Apostolici munere auctus fuit.

Ecclesiam Cayesensiem Haitanae Reipublicae in Indiis Occidentalibus a Sa. Me. Pio Papa IX ad Cathedralitatis honorem evectae Apostolicis Litteris « *Christianae Religionis Auctor* » sub Plumbo expeditas V. Nonas Octobris 1861, et a primaeva erectione sua vacantis, favore R. D. Ioannis Mariae Alexandri Morice, Presbyteri dioeceseos venetensis. R. D. Ioannes Maria Alexander Morice ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, cui vulgo nomen *Loyat*, dioecesis venetensis progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus, archidioeceseos Portus Principis clero adscriptus, ibique Presbyteratus ordinem, annuente atque praesente Episcopo Venetensi assequutus. Plures annos Paroeciale munus exercens, Vicarii Generalis et Administratoris illius Metropolitanae Ecclesiae atque dioecesium Gonaivensis atque Cayesensis, sede vacante, nec non Canonici ad honorem primaeva illa in Sede muneribus per longum tempus perfunctus est.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Synnaden. pro R. P. D. Petro Raphaele Gonzalez, Episcopo Ibarrensi, promoto ad dictam Ecclesiam Archiepiscopalem et deputato in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Iosephi Ignatii Ordoñez, Archiepiscopi de Quito in Aequatoriana ditione Americae Meridionalis.

Ad Metropolitanam Sedem Lugdunensem evectus fuit R. P. D. Petrus Hector Coullié Episcopus Aurelianensis.

Pro Sede Metropolitana Carthaginensi provisum fuit de persona R. P. D. Bartholomaei Clementis Combes, Episcopi Constantiniani.

Rhedonensi Ecclesiae Metropolitanae praefectus fuit R. P. D. Gulielmus Iosephus Labouré, Episcopus Cenomanensis.

In Archiepiscopum Chamberiensem assumptus fuit R. P. D. Franciscus Hautin Ebroicensis Episcopus.

Post haec SSmus Dñus Noster provisionem patefecit Ecclesiarum, quae in antecessum provisae fuerunt per Apostolicas Litteras in forma Brevis, videlicet:

Dubuquensis Sedes, Metropoleos nuperrime aucta honore, collata fuit R. P. D. Ioanni Stennessy eiusdem Ecclesiae Episcopo.

R. P. D. Ioannes Iosephus Kain Episcopus Whelingensis promotus fuit ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Ozyrynchiam.

Archiepiscopalis titulo Leontopolis exornatus fuit R. P. D. Dominicus Clemens Soulé, iam Episcopus Reunionis ac ad praesens Guadalupae Administrator Apostolicus.

Columbensis Archipraesul renunciatus fuit R. P. D. Andreas Theophilus Mélizan, Iafnensis Episcopus.

Sebastenus Archiepiscopus effectus fuit R. P. D. Placidus Ludovicus Chapelle, Episcopus Arabissi et Archipraesulis S. Fidei in America perpetuus Coadiutor.

De R. P. D. Iulio Tonti, Episcopo Samiensi ac ad S. Dominicum Haitiana in ditione Delegato Apostolico, provisum fuit Archiepiscopali Ecclesiae Sardianae.

A Cheyennensi ad Sedem S. Iosephi in America translatus fuit R. P. D. Mauritius Burke.

Caiesensi Ecclesiae, hodiedum primitus provisae, praefectus fuit R. D. Ioannes Maria Alexander Morice, eiusdem Sedis Administrator Apostolicus.

Laraudensi Ecclesiae provisum fuit de R. D. Patritio Delany, adscito in perpetuum Coadiutorem Archiepiscopi Hobartoniensis.

R. P. Waltero Staal, e Societate Iesu, pro Batavia Vicario Apostolico, Ecclesia Mauricastri collata fuit.

Dolichensi Ecclesiae provisum fuit de R. D. Alberto Bitter, Apostolico Sueciae Vicario.

Ad Ecclesiam Amyzonensem evectus fuit R. P. Fr. Ignatius Ibaner, Ordinis Praedicatorum, pro Amoensi Vicarius Apostolicus.

Limyrensis Episcopus renunciatus fuit R. D. Alexander Cardot, Apostolici Vicarii in Birmania Meridionali perpetuus Coadiutor adlectus.

Tripolitana Ecclesia cohonestatus fuit R. D. Aloisius Lasagna, Salesianorum, Missionarius in Brasilia.

Deinde os de more apertum fuit supramemoratis Cardinalibus.

Insuper institum fuit pro Pallio Ecclesiarum:

Venetiarum — Ferrarien. — Rhedonen. — Lugdunen. — Chamberien. — Carthaginen. — Dubuquen. — et Columben.

Tandem titulus S. Alexii assignatus fuit Emo Di Pietro; S. Eusebii Emo Sanz et Fores; SSmae Trinitatis in Monte Pincio

Emo Meignan; S. Mariae Novae ac S. Franciscae in foro romano Emo Thomas; SS. Nerei et Achilei Emo Galimberti; Ss. Silvestri et Martini in Montibus Emo Vaszary; Ss. Quirici ac Iulittae Emo Graniello; et S. Bernardi ad Thermas Emo Sarto.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SCEPUSIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 18 Martii 1893.

Sess. 24 cap. 1 De ref. matr.

Compendium facti. Carolus Ferko faber machinarius, 24 annos natus, die 21 Novembris 1887, matrimoniali foedere iungebatur Mariae Dulovics, quae tunc 21 aetatis suae annum attigerat. Nuptiae celebratae fuerunt coram parocho et testibus, servata in omnibus s. Concilii Tridentini forma, in ecclesia paroeciali loci Schavnick, intra cuius limites uterque sponsus natus fuerat atque eo temporis commorabatur.

Attamen infausto sidere huiusmodi connubium conciliatum fuisse subsequens monstravit eventus. Iam enim a primis contubernii diebus, praesertim ex parte mulieris frigescente amore, discordia, contentiones, iurgia neoconiugum thalamum occupaverunt; eoque uxoris aversio, si virum audiamus, progressa fuit, ut quandoque et illius vita in extremum discrimen ab ea fuerit adducta. Hinc post interruptam alicuius temporis cohabitationem Carolus Ferko die 11 Iulii 1888, ceu refert Scepusiensis Antistes, « supplex factus est Sedi Consistoriali Scepusiensi, orans scripto eiusdem Consistorii auxilium et praesidium, eo quod uxor sua Maria nec sibi pacifice cohabitare, nec et quidem eo minus in matrimonii consummationem consentire et viro debitum coniugale reddere velit..... Precibus Caroli Ferko Consistorio meo

substratis eo voto, ut tam ille tam uxor eius Maria nata Dulovics ad faciem iudicii sacri reconciliationis tentandae gratiâ evocentur, delatum est, et terminus comparitionis utrique parti die 16 Octobris 1888 praefixus atque iuris forma intimatus est. Pro memorato termino neutra pars ad faciem iudicii sacri comparuit, verum sequenti die, in persona sistitit se officiali et causarum auditori meo generali maritus Carolus Ferko exultans et referens coniugem suam ad se redivisse, sibique pacifice convivere. Verum inconstans et brevis morae fuerat haec animorum reconciliatio spontanea et reassumpta pacifica cohabitatio; quandoquidem infelix maritus Carolus Ferko novo, de dato 20 Februarii 1889, recursu Consistorio meo submisso, amarissime conqueritur de continuata et ininterrupta uxoris suae a se abalienatione, quae adeo increvit, ut uxor autochiriam minari non exhorruerit, si maritus fine petendi debiti coniugalis eidem appropinquare auderet ».

Quae et alia S. C. scribens Episcopus, postulabat exeunte Iulio 1889, ut miserrimae Caroli Ferko conditioni per dispensationem super matrimonio rato et non consummato, a Supremo Principe levamen praeberetur. Statim rescriptum fuit, ut processum rite conficere curaret. Ast res diu haesit, primum eo quia iudex delegatus animorum reconciliationem, licet incassum, tentavit; postea vero ob mulieris absentiam, quae interim Vindobonam petierat, nec eius domicilium cito cognosci potuit. Deinde vero accurate omnia acta expleta fuerunt ac ad S. C. C. transmissa mense Iunio 1891. Ex his patet Carolum Ferko bis interrogatum fuisse a iudice Scepusiensi, et Mariam Dulovics a iudice subdelegato Vindobonensi: utriusque vero septimae manus nec non aliquos ex officio testes penes Curiam Scepusiensem sub sacramenti fide deposuisse. Pariter colligitur explorationem corporis Mariae, quae interea ad suos remeaverat, peractam fuisse Leutschoviae, a duobus obstetricibus a peritis instructas, ipsius Mariae matre matronae munus obeunte.

Disceptatio Synoptica.

Votum theologi. Ad dispensationem obtinendam a matrimonio simpliciter rato, ait iste, excludenda est consummatio eiusdem, non quovis modo, sed argumentis moraliter certis, quia semel admissa consummatione, attenta evangelica lege *quod Deus coniunxit, homo non separet*, indissolubile coniugium evadit. Proinde in facti specie diligens inquisitio facienda, an consummatio evenerit, nec ne. Et certe si inconsummationis ratio suppeteret, avide illam arriperem, et ea qua possum diligentia evolverem, ut periculum removeatur, ne Carolus Ferko Religioni Catholicae valedicat, et lutheranismo det nomen. In eo enim nulla est ad castimoniam servandam voluntas, nulla propensio, proinde nonnisi apud protestantes, posset novum coniugium inire, dum in Ecclesia Catholica indulgentiam non obtinebit unquam, si matrimonium indissolubile, consummatione evasit. Ast ratio haec, qua inconsummatio coniugii probetur, quamque desiderarem, non invenitur; eamque vere deesse ex iis quae in medium proferenda sunt apparebit.

Certo consummatio matrimonii clara, aperta, et evidens qualiter ordinata est a natura hic non occurrit, sed neque inconsummatio, coniugium dissolubile reddens. Et episcopus scepusiensis, cui maxime cordi est Carolum removere ab amplectendo lutheranismo, in epistola ad hanc S. Congregationem a quovis iudicio proferendo se cohibet. Ait enim: *ex actis processus canonici prout ea diligenter inspexi, non haurio illam, quae requiritur, certitudinem de non consummatione matrimonii... memor doctrinae catholicae de indissolubilitate matrimonii in Ecclesia Christi... totam causam diiudicandam S. Congregationi Concilii devotissime submitto.* Ex quibus verbis amplissimi praesulis fundata praesumptio eruitur, matrimonium aut fuisse consummatum, aut inconsummationem eiusdem incertam esse.

Inconsummatio autem habetur, quando et rimae penetratio, et effusio seminis intra vas desunt. Si enim simplex pe-

netratio occurrit, et seminis depositio desideratur, inconsummatio certa est. Licet enim nonnulli, simplicem penetrationem, perfectam constituere copulam affirmaverint, non ita tamen est, docente D. Th. *quantumcunque aliquis claustrum pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas,* suppl. p. 55. a. 4. ad 2.

Inconsummatio autem ex triplici capite probari potest; scilicet ex testificatione iurata coniugum, et testium, nec non ex corporum inspectione, signanter mulieris, signa praebentis aut non, virginitatis amissae. Iamvero si de affirmatione iurata Caroli Ferko agamus, et simpliciter verbis attendimus, nec ultra inquirimus illico concludendum esset, inconsummationem coniugii in facti specie extra dubitationis aleam esse. Ast re melius considerata, testificatio Caroli contradictionem involvit, et cum revelatione uxoris comparata, consummatio dubia incertaque manet.

En summa depositionis Caroli Ferko. Prima nuptiarum nocte, Mariam recusavisse matrimonii consummationem affirmat, et accusat illico aversationem animi uxoris suae. Nam sequenti die in choreis ducendis, contra morem, alium virum invitavit, despecto marito, contra quem haec protulit verba, *abominabilis hicce me continuo insequitur, nec possum quietem habere propter illum.* Ex eo tempore subiungit Carolus noster, *ne tactum quidem corporis sui mihi permisit.* Alio discessit Carolus, et absit, ut pro hac discessione Maria ploraverit, dixit immo, *utinam collum frangat, et diabolus eum auferat.* Tale conceperat odium, ut eumdem suffocare tentaverit, quo pravo effectu non consecuto, aliam cogebatur aggredi viam, ut illum certo assequeretur. Dicebat enim *se adactam esse, ut aut seipsam, aut me* (maritum) *aliquo modo enecet.* Hoc detestabili odio erat mulier abrepta, illudque fovebat ut a marito liberaretur.

Haec si accipiantur prout sonant, praesumptionem inconsummationis matrimonii insinuant. Si enim pudor ipse a commixtione carnali saepe alienat, quanto magis, nedum aversatio simplex, sed inexplicabile odium? Utinam haec con-

gruerent cum iis quae Carolus postea revelavit, quaeque evidentem contradictionem involvunt; nam concluderem illico, matrimonium mansisse ratum. Ast ab hac conclusione educenda sequentia me removent.

Propadum se ivisse ait. Uxor autem quae ipsum tali tantoque odio prosequebatur, eo usque ut verba imprecativa in ipsum evomeret, eo perrexit cum ipso mansura. Invitata ad obeunda munia bonae uxoris, iterum recusavit, causam adducens ex consueto et mensili mulierum impedimento. Verumtamen ipso Carolo teste, aversatio uxoris in ipsum, non amplius apparet, ait enim *serius ludebam et iocabar cum ea*. Nec solum defuit aversatio illa, sed specialis amoris praebuit signa. *Admisit amplexus, oscula et contrectationes, licet ad lectum venire noluit*. Iterum haec verba leguntur in iurata Caroli confessione. Quomodo autem haec concilientur cum aversatione animi quae a Maria in maritum concepta est, me nescire profiteor. Unde aut non intelligo, aut iter uxoris ad Propadum, et ad maritum voluntaria accessio, iis communita adiunctis, quae ex ore Caroli eiusque testificatione excepta sunt, dubium atque incertitudinem ingerunt, consequenter confessionem eiusdem licet iuratam vacillantem ostendunt, aut saltem insinuant. Et revera ab ipso exordio coniugii, uxor talem concepit in maritum aversationem, ut ne ipsum quidem videre pateretur, quae animi aversatio nunquam cessavit, sed iuxta ipsum in dies percrebuit: unde ergo subita et insperata mutatio? eo usque ut specialia amoris signa marito praeberet, qualia censentur ab omnibus, *amplexus, oscula, contrectationes?* Ea eo tempore ne *tactum quidem corporis sui (mihi)* scilicet marito *permisit*, et in eodem loco, fere eodem tempore talis mutatio rerum occurrit, ut completam copulam intervenisse nobis praebeat argumentum? Negat Carolus quemvis tactum, et postea immemor suae revelationis, *oscula, amplexus, contrectationes* admittit? Atqui *amplexus, oscula, corporis contrectationes* licet non violentam copulae suspicionem inducant, aliquam tamen insinuant atque suadent. Suspicio autem violenta evaderet, et

consummationem veram induceret arguendam, si alia adminicula in facti specie occurrerent. *Suarez lib. 10, disp. 10, n. 46–47.* Sed licet ex illis actibus aliquo modo et remote copulae inductivis, consummatio matrimonii probari nequeat, saltem Caroli depositio iurata, nec sincera, nec omnimode veridica a quovis cordato viro dicetur. Negat quamcunque penetrationem, et tactum, et admitti *amplexus, oscula, contrectationes*? Contradictio evidentior esse non potest. Et cum non sit veritatis adsertor, eo quia contradictoria profert, nonne falsitatis nota universam suam testificationem inurit?

Quae contradictio fit manifestior, si quae deposuit Carolus, cum iis comparentur, quae Maria, vinculo iuramenti praemisso, testificata est. Ipsa quoque coniugium consummatum perfecte non fuisse affirmat. In hoc concors est utriusque assertio. Ipsa etiam non negat prima nuptiarum nocte non consummavisse coniugium, *defuit enim inclinatio ad illum.* Sed prosequitur mulier, *dein aliquoties consummavimus matrimonium.* Explicat quonam modo evenerit. *Fuimus coniuncti, et dein ille semen effudit extra vas meum... idque circiter quatuor vicibus...* Confirmat, semper ita fecisse. *Fuimus iuncti, et dein maritus effudit semen extra vas meum, eo quod illi dixerim, me nolle prolem ab eo habere.*

Hic iterum contradictio occurrit cum Caroli testimonio. Matrimonii defensor contradictionem advertens, eam opposuit Carolo, dicens, *quomodo possum conciliare assertum Caroli cum fassionibus Mariae?* Respondit ille, *quod prima vice dixeram, assero nunc quoque.... quoties volui membrum virile eiusdem genitalibus inferre, uxor mea me semper detrusit...* Saepius tentavi actum *coniugalem perficere, sed in conscientiae voce dico, genitalia mea nunquam penetrasse naturalia uxoris meae.* Iamvero uterque confessione concordi, matrimonium non consummatum fuisse affirmat, eo modo quo coniunctionem Christi cum Ecclesia debet exprimere, sed Maria penetrationem vasis feminei admittit, quam Carolus negat. Uterque pius, religiosus, mendacii incapax dicitur a testibus; cuinam fides habenda? — Mariae admittenti pene-

trationem, an Carolo eam neganti? — Puto Mariae fidem esse habendam, siquidem Carolum contradictoria dixisse antea vidimus, nisi quis dicere mallet, Mariam penetrationem admittere, negata coniugii consummatione, quae sat est ut a viro exoso se liberet: Carolum ipsam penetrationem inficias ire, ut faciliori negotio, quod avet ardenter obtineat, et alteri nubat. Ipse enim, ceu affirmat unus ex testibus, muliere indiget, quae rei suae familiari attendat et consulat. Sed nollem de ipsis male sentire, atque a quovis proferendo iudicio de ipsorum intentione non recta, libenter me cohiberem, nisi ratio aliter suaderet. Et revera negatio penetrationis Carolo dictata videtur a necessitate facilius obtinendi dispensationem, cum e contra aliquo in casu, quando prolem obtinendi spe affulgebat, alio modo mentem suam aperuit. Patri uxoris suae interroganti, quomodo cum Maria se haberet, respondit *subridendo, valde bonam se habere vitam, immo post annum posse..... baptismalia praestolari.* Quae verba innuunt ultra penetrationem, rem cum uxore sua habuisse perfectam, aut illam serius aut ocius ex antecedentibus speravisse; alioquin quovis sensu carerent. Patri uxoris suae voluisse illudere incongrue diceretur. Domesticas familiaresque discordias cum uxore sua verbis obvolvere maluisse ut patri solatium procuraret, et causam afflictionis averteret, esset assertio non vera. Cur enim tanta facilitate easdem discordias aliis manifestare non dubitavit, quarum rumor ad aures patris poterat pervenire?... Sed his omissis ad penetrationem redeo, quam locum habuisse non dubito, et Carolo neganti accessum ad uxorem suam, parum aut nihil attendo, quia in suis confessionibus contradictionem proferre non dubitavit. Penetratione autem admissa, uterque coniux copulam perfectam excludit, et Maria Carolum extra vas seminasse fatetur. Ergo dicet aliquis, copula perfecta non fuit, et coniuges effecti non sunt una caro. Proinde ex illa penetratione nulla conclusio infertur.

Difficultas haec ex utriusque coniugis confessione deprompta, quaeque decisionem in facti specie minus facilem reddit,

praetereunda non erat. Cui proinde ut respondeam, dico: si probari posset virile semen totaliter extra femineum vas effusum, dubio procul, ne umbra quidem consummationis coniugis occurreret. Sed unde argumentum desumi potest, quo inconsummationem non intervenisse probetur? Si Carolus in sua testificatione iurata se ostendisset veritatis amicum, eidem confitenti semen extra vas fuisse effusum, fides habenda foret: ast cum subdubitatio fundata occurrat quoad ea quae ipse deposuit, nos ancipites reddit, et ab caeco assensu eiusdem affirmationi ratio nos cohibet. Si enim contra assertionem uxoris, penetrationem negat, quanto magis seminis effusionem, etiam minimae partis ibit inficias, et consequenter copulae complementum? Uxor vero copulam confitetur, habitam tamen onanistico modo. Ast cum penetrationem admittat, credibilis ne est eiusdem assertio, semen totaliter extra vas fuisse effusum? Non poterat evenire, ut exigua saltem spermatis pars, quae sat est ut copula consummata dicatur, et coniuges effecti sint una caro, in vase femineo recepta sit inconscia uxore? Atqui id evenire posse puto, quod impedit quominus coniugium in facti specie inconsummatum fuisse dicatur.

Ut advertit Zachias in hac re facile princeps *lib. III, Tit. 1, qu. VIII, n. 13, 14, 15,* evenire potest, mulierem in functionibus matrimonialibus obeundis, ne quidem sentire excretionem proprii seminis, quae excretio nunquam est sine sensu, licet ab ea non advertito, eo quia *in omnibus excretionibus natura aliquem sensum fieri voluit, ne involuntarie fierent.* Iam si hoc de semine proprio, etiam de semine viri ab ea recepto, saltem quando est quantitatis exiguae. Id autem evenit, quia diversae sunt, et gradu distinctae in exercenda copula voluptates, ait ipse doctissimus Zachias, *et una altera maior, in tantum aliquando una alteram exuperat, ut ex hoc illa altera obscuretur.* Exemplum addit ex visione depromptum. Quando oculo plura visibilia se offerunt, quod magis excellit, et vividius est, obscurat visum aliorum. Porro in copula exercenda, plures actiones occurrunt, naturam vi-

vide excitantes, et licet virile semen, mulier sentiat necesse est, tamen si minimae et exiguae sint quantitatis, voluptas et sensus concomitantes receptionem ipsius, superantur a vividioribus voluptate et sensu, ita ut excitatio eiusdem maneat quadamtenus obscurata. Unde cum dicit uxor Caroli virile semen extra vas fuisse effusum, non de eius totalitate intelligi potest, quasi nulla pars ne minima quidem fuerit a vagina attracta et ab ea recepta.

Forte aliquis dicet, verba sunt haec, praetereaque nihil. Etenim quomodo credibilis redditur seminis receptio quantitatis exiguae, cum mulieris confessio huic receptioni contradicat. Ni fallor ex actis huius causae colligi posse puto. Certum est, ut mox videbimus, Mariam Dulovics virginitatis nota carere. Et quamvis ipsa amicam familiariter alloquens, iactaverit *se esse intactam, et posse sertum virginitatis portare,* id asseruisse existimo, quia persuasio alte in ipsa defixa erat, copulam cum Carolo habitam imperfectam fuisse et incompletam. Verumtamen copulam intervenisse non negat: ait enim *fuimus iuncti.* Et si copulam negare fuisset ausa, ex corporis inspectione apertissime resultaret, prout de facto evenit; nam obstetricum medicorumque suffragio eiusdem defloratio luce clarius comprobatur. Immo nedum periti quamcunque copulam, ipsam habuisse declarant, sed completam atque perfectam, qualem scilicet natura requirit, ut conceptio et generatio prolis possibilis evadat. Prima obstetrix iureiurando affirmat Mariam Dulovics non esse amplius virginem, licet nunquam gravida fuerit attenta rimae angustia. Ratio adducta huc est, quaeque moralem certitudinem parit, *quia hymen non amplius integer restat, sed solum parva eius rudera.* Par suffragium dat altera obstetrix, et addit copulam quidem non fuisse frequentem, prout deducitur ex angustia canalis, ast completam perfectamque fuisse asserit, qualis a natura exigitur ut effectus ab ipsa intentus emergat, conceptio scilicet et generatio. Cui si fides habenda, ut rei non ignarae, sed expertae conceditur, Carolus et Maria interdum effecti sunt una caro.

Non aliter sentit uterque medicus. Ambo ultro conveniunt Mariam Dulovics copulam habuisse perfectam atque completam, innixi consueto et ineluctabili fundamento, scilicet absentiae hymenis, et revera ex hymenis absentia, defiorationem argui, res est compertissima; copulam autem fuisse completam, et matrimonium consummatum, S. Congregatio Concilii concludere consuescit. Iamvero cuinam adscribenda illa defloratio, et hymenis absentia, cuius nonnisi rudera remanent? certo aut Carolo, aut tertio. Sed adscribere tertio Mariae defiorationem, non audeo, nisi valida et robusta suppetant argumenta, quae illam ream adulterii ostendant. Maria enim levitatis et inconstantiae argui certo potest: etenim amore mota Carolo nupsit, pauloque post fervidus ille amor in corde conceptus in aversationem et insuperabile odium conversus est. Levitas haec autem non eo usque in ea processit, ut tertio accesserit, remque cum eo inhonestam habuerit. Saltem nulla suppetunt argumenta, quibus huius criminis rea insimuletur et sit.

Votum Canonistae. Non esse, ait consultor, hic causas pro decernenda dissolutione ex iustitia ultro concedimus. Licet enim de muliere in sententia viri dicatur « probabiliter non esse feminam perfectam », aliaque similia; nihilominus emergentia ex peritorum inspectione, omnem auferunt hac super re dubitationem. Adesse vero causas pro eadem dissolutione decernenda ex gratia, quis ibit inficias? Sunt hae: aversio animorum, impossibilitas reconciliationis, attentatum vitae viri ex parte mulieris, periculum fidei et incontinentiae. Probavit consultor has graves adesse causas, per testium depositiones, per episcopi relationem ad coniugum confessionem.

Gradum faciens ad exquirendum an consummatum vel inconsummatum fuerit matrimonium in themate, ait, sese animo haerere an stet pro inconsummatione. Sane omnia extrinseca, ut ita dicam, adminicula eidem opinioni favere indubium est.

Vir enim ait: « ego volui consummare et uxori meae

etiam concubui, sed quoties volui membrum meum virile ipsius genitalibus inferre, uxor mea me semper detrusit.... *In conscientiae voce dico* genitalia mea nunquam penetrasse naturalia uxoris meae ». « Inhaereo et nunc, me debitum coniugale cum uxore non peregisse, non consummasse ».

Mulier etsi horrore maximo pingatur capta adversus attentatum ipsum consummationis, « tanto consummandi matrimonii horrore, ait ipse Antistes Scepusien., repletur uxor Maria cum viro suo legitimo... ut, hoc asserente, suicidium minaretur si ille eam ad reddendum debitum coniugalem provocare auderet »; nihilominus ipsa est quae de hoc iudicialiter interrogata primo profert *consummationis* verbum. Verum ostendit postea, ad explicationem rei provocata, se nescire quid tunc loqueretur, et ad verum assertum de non consummatione verba ipsius reducuntur.

Ordinarius Scepusiensis obstupescit cum cogitur dicere post physicorum peritorum iudicium matrimonium in casu haud certe inconsummatum non videri. « Ego quidem humillimo meo de 20 Iulii an. 1889.... recursu quem SSño Patri nomine Caroli Ferko devotissime substernere sustineram, *multis* precabar SSñum Dominum ad gratiam dispensationis in matrimonio, *ut dicebatur,* rato sed non consummato benignissime concedendam. Quia tamen ex actis processus canonici, prout ea diligenter inspexi *non haurio illam quae requiritur certitudinem* de non consummatione matrimonii.... memor doctrinae catholicae.... quamquam nullam habeam spem reconciliationis animorum, imo Caroli Ferko per omnia ab uxore sua dissolvi cupientis a fide Catholica defectum paveam; totam causam diiudicandam... Sacrae Congregationi Concilii devotissime substerno ».

Quoad testimonium septimae manus 1° perfecte omnes unanimes sunt in affirmanda probitate et religiositate partium, et ita ut expresse et *in primis* verissimum ducant ex fassionibus ipsarum matrimonium, de quo agitur, non fuisse consummatum, et eo etiam sensu ut actus qui ad eum scopum aliquando facti essent, imperfecti et inutiles fuerint.

Inter eos autem testes qui ad preces Matrimonii defensoris, quinque numero, inducti sunt, est Susanna Bader quae adnotanda haec habet, et dicta essent a Maria paulo ante quam e Poprad discedens maritum pro semper relictura erat « posse se, si illum hodie relinqueret, ab eoque discederet, sertum seu coronam virginalem capiti suo apponere eo quod adhuc intacta sit virgo ».

Ex his omnibus non indifferens exurgere argumentum morale favore non consummationis matrimonii in casu, nemo non videt. Hoc autem urgente, nulla alia instituta inquisitione relaxatum fuisse aliquando a S. Sede matrimonii vinculum docet Spondanus *Annal. Eccles. an. 1599* et colligimus ex praxi S. C. Cong. in celebri Causa dissolutionis matrimonii rati et non consummati inter Sigismundum Transilvaniae principem et Mariam Austriae tempore Clementis VIII, uti et in *Frisingen.* an. 1817, *Gandaven.* an. 1820, *Gandaven.* 17 Dec. 1843, *Parisien.* 28 Martii 1851 et 26 Iunii 1885, *Csanadien.* 6 Iunii 1863 et nuperrime in *Wladislavien.* 15 Iunii et 14 Dec. 1889.

Quid tamen cum adversus argumentum istud Physicorum peritorum obiiceretur iudicium? Praesumptionem, licet violentam, cedere debere veritati scimus l. *Si mulier* ff. de Re. Du. et Can. *Nec aliqua* Causa 27, q. 1, et Can. *Dixit Dominus,* Causa 32, q. 1, et Can. *Proposuisti* de Probationibus. Hoc est quod videtur fieri in casu nostro. Et revera, iudicium tale Physicorum oggeritur, quod primo saltem intuitu causa finita esset, maxime ob pondus quod ei in his causis a DD. et Canonistis tribuitur. Cfr. *De Luca* De Iudiciis disc. 27, n. 20; *Fuscum, Sanchez,* aliosque.

Nihilominus si parumper iudicium idem expendatur, aliquo substantiali defectu mihi ipsum iure meritoque insimulandum videtur. Defectus esset: ipsorum conclusionem magis patere quam praemissas; non quatenus haec conclusio ab eis ferri non posset, sed quatenus revera non videtur in praemissis contineri. En verba quibus idem iudicium pronunciatur: *Hymen nullus adest, et eiusdem tantum rudera sunt visi-*

bilia... Fundamento huius asserti duarum peritarum obstetricum innixi..... statuere et enuntiare valemus Mariam Ferko... defloratam esse, idest coitum cum viro habuisse, ADEOQUE MATRIMONIUM CONSUMMATUM ESSE. Reliqua verba cum allatis intercalata afferemus postea, ex quibus poterit etiam concludi, nec ab aliqua antilogia esse idem iudicium immune.

Dicitur ergo, quod hymen non amplius existit. Unica ex eo conclusio flueret, ad summum, *Mariam defloratam esse.* Dixi, ad summum, quia haud raro fit hymene carere mulieres a nativitate. Barzellotti lib. 1, cap. IV, n. 37. Sed in casu nostro visibilia sunt rudera, ergo aderat. At, huiusmodi hymen haud potuit destrui nisi per coitum? Etiam aliis modis posse destrui autumat Barzellotti loc. cit.

Antequam ergo haec altera ferretur conclusio: *idest coitum cum viro habuisse,* nonne opportunum fuisset alias investigationes in muliere et penes mulierem sagaciter instituere? Quid noscitur ex. gr. de usibus et consuetudinibus eius peculiaribus, de morbis aliisque casibus vitae ipsius? Quid noscitur de singulari eius familiaritate cum ancilla Anna Zavorszky, quae Americam postea petiit? familiaritate, inquam, quae adeo admirationem excitarat incolarum Schavnik, ut fere omnes testes plus minus habeant « scio Mariam... ancillam istam Annam Zavorszky, quae tamen ab illo tempore in Americam migravit, valde adamasse, itemque eam amplexari et osculari solitam esse, eidemque varia munera dedisse ».

Haec autem vere singularia nonne habere nexum possent cum his quae pluries accidisse narrantur ab eodem Carolo? Postquam hic dixerat: « Censeo illam in suis organis corporalibus aliquam causam habere posse, propter quam virum admittere nolit »; prosequitur: Quadam vice ipsa dixit: « Cogitationes meas nemini revelabo, sed non possum contra ». Item quod viri accubitum admittere non possit. Alia vice multum plorabat; interroganti mihi, quare ploret, respondit: « Se dolore affici, quod eam tantopere diligam, attamen se non esse in causa, alios pro se esse responsuros ».

Sed demus huiusmodi hymenem destrui debuisse per coitum. Ergo matrimonium consummatum est? Nequivit destrui nisi a Carolo Ferko qui ait « in conscientiae voce dico genitalia mea nunquam penetrasse naturalia uxoris meae »? Nequivit destrui nisi ab homine qui, *quoties voluit hoc pertentare, cum uxor semper detrusit?* Iterum. Quomodo Carolus Ferko plenam vim adeptus, ut puto, aetatis et roboris, uxoreque luctante, potuisset id obtinere, dum ipsissimis peritorum verbis *meatus vaginae (uxoris) angustus solum unico digito meabilis* describitur? Insuper, 25 post menses a separatione definitiva coniugum inspectio mulieris facta est; si a Carolo Ferko hymen discissus esset non amplius de *exiguis* eiusdem *ruderibus* loquendum erat, sed de *carunculis mirtiformibus* quo nomine anathomico eadem rudera donantur cum post aliquod tempus paullulum succreta formam eo nomine indicatam recipiunt. Barzellotti loc. cit. n. XXXVII. Nonne, hac adhuc forma deficiente, suspicari debuisset et opportunum putare, inquisitionem quamdam instituere pro eo tempore quo Maria a marito aufugiit?

Sed demus hymenem destruxisse ex coitu Carolum Ferko, num ex eo flueret matrimonium consummatum esse? Quoadusque coniuges non fient *duo in carne una* matrimonium consummatum non erit. Hoc importat, quidquid sit de hymene discisso vel non, ut umor prolificus.... in congressu venereo expellatur et dirigatur per vaginam muliebrem usque ad os uteri n. XVIII: « Ad hoc, prosequitur clarissimus auctor, necessaria utique est aptitudo virgae, sed, quid si vagina nequeat, vel nolit distendi, ut eam admittat in quantum opus est? Vitium erit ex parte mulieris, et causa vere dirimens, vel causa ex qua certe matrimonium consummari nequivit ». Barzellotti loc. cit.

Nunc, quod vagina in casu nostro haud potuisset distendi, non putamus: quod noluerit et de facto haud distensa fuerit, maximopere. Praeter ea quae superius ex processu allata sunt: « Uxori meae etiam concubui, sed quoties volui membrum meum virile ipsius genitalibus inferre, uxor mea me semper

detrusit. — Fuimus iuncti et dein maritus effudit semen extra vas meum eo quod illi dixerim me nolle prolem ex eo habere. — Scio semen eius nunquam intravisse ad vas meum ». Praeter haec, inquam, quid aliud sibi volunt verba peritorum ipsorum inspicientium: *labia maiora adhaerentia rimam* PENITUS *claudunt, labia minora aeque cohaerent?* Praesertim cum ex Barzellotti habeatur: sufficienter probatum esse, usum... inducere sensibilem immutationem in partes generationi servientes. « In virginibus rima a labiis maioribus intime adhaerentibus formata, in linea *simplici* divisionem repraesentat, contra in his quae copulam exercuissent, duae inspiciuntur lineae longam veluti ellypsim repraesentantes: in virginibus labia maiora et minora tensa et resistentia, in aliis remissa et enervia: in virginibus pars interna maiorum labiorum vividae carnis colorem refert, in aliis, praesertim si copulae assuetis, subnigrum (bruno fosco) ». Barzellotti loc. cit. n. XLII. Profecto si verba peritorum: « Labia maiora adhaerentia, rimam penitus claudunt, labia minora aeque cohaerent... membrana vaginalis parumper rubet et muco albo tecta apparet, meatus vaginae angustus, solum unico digito meabilis ». Si cum hic allatis a Barzellotti conferantur relata a medicis, nonne Mariam potius non copulatis quam copulatis accensere oporteret? Crescit argumentum ab absentia cuiuscumque vestigii passae graviditatis: « Abdomen tensum nulla vestigia praecedentis graviditatis exhibet », ait medicus.

Verum est a Barzellotti loc cit. dici etiam: « Non existet aliunde haec sensibilis differentia, si coitus fuit interruptus; quoniam saepe eiusmodi partes in iuvenibus resumunt propriam elasticitatem, vigorem et colorem.

Nobis neque pro inconsummatione matrimonii inter Carolum et Mariam pugnantibus, neque pro consummatione, sed tantummodo in re gravissimi momenti veritati detegendae incumbentibus, postrema haec verba haud tanti sunt, ne amplius ex superius allatis credamus pro *Affirmativa* vel *Negativa* ad dubium responsione aliquid ulterius efficiendum

esse. Quid autem putaremus efficiendum totius sermonis decursu satis innuisse videmur.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. In causa matrimonii, Carolum Ferko inter et Mariam Dulovics die 21 Novembris 1887 initi, eximii consultores, theologus et canonista iure optimo inconsummationem in probatis haud esse existimant. Omnes enim probationes huc recidunt: videlicet tum Carolus cum Maria iurant matrimonium opere imperfectum mansisse, imo Maria rationem etiam amissae a se physicae virginitatis enucleat: « *Fuimus iuncti* (ita illa), *et dein maritus effudit semen extra vas meum, eo quod illi dixerim me nolle proles ab eo habere* » testes *septimae manus* nec non testes ex officio excussi coniuges fide dignos unanimi consensu renuntiant.

Quae quidem argumenta matrimonialibus in causis semper requiruntur sive de nullitate sive de dispensatione tandem agatur, ceu compertissimum est, « *ut cautiori diligentia adhibita dissolutio matrimonii fiat. Quae res* MAXIMI MOMENTI *est* ». At *per se* probationem proprie dictam minime constituunt. Si huius generis argumentis iudices contenti forent, actum esset de matrimoniis omnibus. Profecto nullo in negotio, neque in quaestionibus de paupere regno iudex fidem adiicere solet confessionibus atque iuramentis interesse habentium etsi agmina testium inducant, qui ipsos omnimoda fide dignos proclament.

Neque me movet *caput 5 de Frigid. et malefic.* in quo Caelestinus III haec habet: « Laudabilem et infra. Requisisti quantum tempus indulgendum sit NATURALITER FRIGIDIS, ad experientiam copulae nuptialis: et infra. Nos vero in praesenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati coniugii, si frigiditas prius probari non possit, COHABITENT PER TRIENNIUM; quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, et iuxta decretum Gregorii, mulier per iustum iudicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium. Si autem ille aliam acceperit, separentur: quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem

habeat ut sororem. Si autem, quod nunquam se invicem cognoverint, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis evangeliis uterque iureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent; et tunc videtur, quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare. Verum si ille aliam duxerit, tunc hi, qui iuraverant, REI PERIURII TENEANTUR, et PERACTA POENITENTIA COGANTUR AD CONNUBIA PRIORA REDIRE ».

Praefatum caput, prouti iacet, recitavi, quia plus semel vidi causidicos qui contendebant, etsi infausto prorsus omine, Caelestinum III ad excludendum fraudis et collusionis periculum, quod confessiones, in quibus coniuges iurant se minime coivisse, suspectas reddit, contentum esse *septimae manus* testibus, qui huiusmodi coniuges a periurio alienos et omni fide dignos habeant. At casus a Caelestino Papa in praesenti capite expensus, a nostro casu et a casibus omnibus in quibus agitur de dispensatione super matrimonio rato et non consummato, distat quantum a coelo terra, finitum ab infinito.

Re namque vera in specie Caelestino III proposita matrimonii consummationi obstabat viri FRIGIDITAS NATURALIS, quam vir ipse profitebatur. Ideoque collusionis atque fraudis suspicio facile cessabat, quia vir, genio aptus, caput potius dat quam semet in inutile lignum traduci permittat. At nostra in controversia nullum ex collusione detrimentum viro provenit, quia sua potentia extra omnem dubitationis aleam posita est. Deinde, Pontifex cavet ut « *si ille* (vir) *aliam duxerit, tunc hi, qui iuraverant, rei periurii teneantur et peracta poenitentia cogantur ad* CONNUBIA PRIORA REDIRE ». Minime sunt ad collusiones proclives coniuges cum probe sciunt se incassum laborare, quia, si alias nuptias concilient, multis et poenis *coguntur ad connubia priora redire*. E contra nostro in casu aerumnoso matrimonio faustissimas substituendi nuptias in iisque impune ad vitam permanendi spe ambo coniuges inflammantur; et proin invincibili, ut ita

dicam, collusionis incitamento urgentur. Rursum, coram Caelestino III agebatur de impotentia absoluta ac naturali « NATURALITER FRIGIDIS »; de coniugibus, qui per TRIENNIUM matrimonium consummare pertentaverant. Iam vero hisce positis testes *septimae manus*, idest propinqui ac vicini, cum vera coniuges dixisse renuntiant, non solummodo coniugum ipsorum religioni innituntur, sed etiam factis, quae testes ipsi viderunt ac audierunt *tempore haud suspecto*. Ecqui enim fieri potest ut coniuges per tres integros annos inutilibus conatibus matrimonium consummare studuerint, vir a nativitate sit impotentiae vitio affectus; et tamen nihil huiusmodi ad propinquorum et vicinorum notitiam pervenerit? Versa vice nostra in quaestione testes *septimae manus* nihil vel fere nihil quod ad rem faciat tempore non suspecto dicerunt.

Postremo, nemo sanus facile credet, praeclarissimum illud ecclesiae lumen ac insignem fori principem, Cardinalem De Luca, nec saepedictum *cap. 5 de Frigid. et malef.* nec optimam cuiuscunque legis interpretem, subsecutam observantiam, cognovisse. Profecto Cardinalis De Luca ea in sententia est, ut, posita coniugum genio non ineptorum condormitione, probatio inconsummationis matrimonii, si mulier in aspectu corporis sui confidere nequeat, fere impossibilis evadat. « Difficultas magna apud me erat, ita ille *De matrim. disc. 9, n. 15*, quod ageretur de *vidua*, quae cum viro iam dormierat, ideoque non agnoscebam quomodo convinci posset negativa consummationis matrimonii, licet enim id non sit omnino impossibilis iustificationis, attamen videtur nimium difficilis, ADEO UT SIT DIFFICULTAS QUAE QUODAMMODO FRATERNIZET CUM IMPOSSIBILITATE ». Iam vero si iuramentum coniugum una cum testibus *septimae manus* asserentibus coniuges esse periurii incapaces omnique fide dignos ad astruendam inconsummationem matrimonii sufficeret, VIDUIS IPSIS QUAE CUM VIRO ETIAM ATQUE ETIAM DORMIERUNT inconsummationis probatio, non minus quam virginibus, in promptu semper est. Etenim *septimae manus* testimonio in huiusmodi

causis virgines non minus quam viduae indigent. Nunquam autem, si excipias congeminam causam *Burdigalen. Matrimonii*, audivi *septimae manus* testes qui coniugibus se inducentibus periurii notam appingerent.

Hisce praemissis suppositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii re disceptata sub 18 Martii 1893 censuit respondere: *Negative.*

ROMANA

FUNERIS EMOLUMENTORUM

Die 18 Martii 1893.

Sess. 25 cap. 13 De reform.

Compendium facti. In Statutis cleri romani *Cap. IV De iure funeris percipiendi*, postquam adnotatum fuisset, solas exequias vel solam sepulturam nullum praebere ius ad perceptionem alicuius partis emolumentorum contra paroeciam, tres aderant articuli qui ita se habebant « § 35: Ecclesiis tamen Cardinalium titularibus percipiendi funeris cum paroecia ius sit, quamvis ibi cadaver tantummodo sepeliatur. § 36. Proinde quacumque in ecclesia celebratum sit funus, si cadaver alibi quam in ecclesia exponente vel in Titulo defuncti conditum fuerit, funus integrum ad paroeciam pertinet. § 37. Quod etiam intelligi debet, si in ecclesia titulari, quin in ea sepeliatur cadaver, funebria celebrentur, » Verum cum anno 1887, Emus Urbis Vicarius, SSmo D. N. approbante, opportunum existimaverit pro conversis rerum vicibus praefata statuta temporum rationi accommodare, articuli 36 et 37 superius relati suppressi fuerunt, ac 35 ita immutatus evasit: « Ecclesiis tamen Cardinalium titularibus

percipiendi funus cum paroecia ius sit, ac proinde medietas emolumentorum semper competat, licet eorum cadavera in publico coemeterio vel alibi sepeliantur. »

Post aliquot menses ab edita hac nova appendice ad cleri romani statuta, et praecise die 2 Novembris 1887, Emus D. Antonius Diaconus S. Mariae in Aquiro S. R. E. Cardinalis Pellegrini viam universae carnis ingressus fuit, eiusque funera in Ecclesia collegiata S. Marci, intra cuius paroeciae ambitum dum viveret domicilium habuerat, persoluta fuere. Expletis funeribus, parochus S. Mariae in Aquiro petiit medietatem emolumentorum ad formam relati articuli a vicario perpetuo ecclesiae S. Marci, qui tamen dimidiam tantum cereorum partem illi misit, contendens ea quae percepta fuerant titulo culcitrae, indumentorum sacrorum et sepulturae haud esse divisioni obnoxia. Res ad Vicariatus curiam delata fuit, ibique qui tunc camerarii cleri munere fungebatur pro recepto more opinionem suam scriptis pandidit. Haec vero opinio praecipue innixa principio « ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus, » ac proinde parocho S. Mariae in Aquiro plene favens ab Emo Urbis Vicario die 7 Februarii 1888 confirmationem obtinuit. Nihilominus haud acquievit vicarius perpetuus S. Marci, qui etiam post haec petitam solutionem denegavit. Tunc praefatus Emus Vicarius, qua pollet eximia prudentia, omnem adhibuit medium ut rem pacifice componeret, licet incassum. Hinc mense Maio praeteriti anni quaestio a parocho S. Mariae in Aquiro coram S. C. C. deducta fuit.

Etsi vero vicario perpetuo S. Marci terminus ad deducenda sua iura praefixus fuerit, tamen nihil deduxit in sui favorem.

Disceptatio Synoptica.

Iura parochi in Aquiro. Favore parochi S. Mariae in Aquiro in primis observari posset, in casu partem emolumentorum, quae ecclesiis titularibus assignatur, rationem habere quartae funerariae, quae in Urbe medietatem attingit

uti videre est in Statutis Romani cleri *Cap. III* § *10,* et testatur Card. De Luca *De Parochis disc. 25 et disc. 44.* Unde tenendum esset ad ecclesiam titularem dimidium de iis omnibus pertinere quae in determinanda quarta computari debent. Porro ut scribit Santi *Prael. Iur. Can. lib. 3 tit. 28 De sepult. n. 8:* computatur quarta funerum de illis rebus, quae ratione funeris solent asportari in ecclesiam. Tales sunt candelae, intorticia, vestes et ornamenta, quibus decoratur feretrum defuncti. Etenim docet Barbosa *De off. et pot. par. lib. III, De quarta parochiali Cap. 24 n. 36:* « Quarta funeralis, seu canonica portio debetur de omnibus, quae obveniunt ratione funeris, scilicet in die funeris. Fr. Emman. *quaest. regul. tom. 1. qu. 39 art. 2 in princip.* Covar. *in cap. ult. n. 7 de testam.* ubi post Abb. ait, moribus receptum esse ut ecclesiae parochiali quarta portio a Monachis solvatur, ex his tantum quae offeruntur tempore, quo funus, seu exequiae defuncti celebrantur. Molin. *de iust. tract 2. disput. 215 n. 4* ubi quod debetur de omnibus oblationibus et commodis funeris. » Et inferius n. 37 « funeralia igitur dicuntur quae ratione sepulturae obveniunt... et quaecumque occasione funerum ad ecclesiam perveniunt. » Praeterea idem auctor paulo post refert, Summum Pontificem Urbanum VIII, die 21 Martii 1629 approbasse decretum S. Cong. RR. DD. Praefectorum Urbis habitae coram Eño Card. Vicario, in qua ad effectum removendi dissensiones et ad vitanda scandala resolutum fuerat et declaratum: « tam intorticia, cereos, et candelas, quae per viam deferuntur, quam etiam omnia ea que circa cadavera, antequam terrae tradantur, in quibuscumque privatis ecclesiis dividenda fore et esse pro aequali portione inter ipsos parochos et ministros aliarum ecclesiarum quarumcumque etiam regularium ac nationalium seu alias privilegiatorum. » Ac tandem *n. 44* addit: « Item debetur de armis, libris, banderlis, culcitra seu pallio, quae in feretro deferuntur; *Petr. de Ubaldis d. cap. 4 n. 10 Oldrad. Consil. 211 n. 7,* ubi de rebus, pannis sericis seu aureis vestibus, puta stamine vel cilicio per *cap. Cum in-*

ter nos De verb. signif. etc. » Quod si aliquis auctor aliter tenere videatur, adnotat idem Barbosa id procedere de consuetudine vel privilegio praesertim regularibus quibusdam concesso.

Quod vero attinet observantiam in Urbe vigentem relate ad controversam computationem documenta in actis minime prostant. Asserit tamen parochus S. Mariae in Aquiro petitioni suae robur accedere iugi praxi cunctarum paroeciarum Romae pro casibus consimilibus; ac insuper enarrat antequam ederetur appendix statuto Cleri, enata praesenti consimili quaestione inter ecclesias S. Mariae in Transtiberim, et S. Mariae in Transpontinam, Curia Vicariatus decrevit, Ecclesiae titulari deberi dimidium emolumentorum tum cerae, tum culcitrae indumentorum sacrorum et sepulturae; forsan ab hac decisione originem duxit reformatio appendicis veteris statuti.

Tandem quoad vocabulum emolumentorum, qui in controverso articulo reperitur, et cuius interpretatio a S. C. C. postulatur, animadversum fuit in eodem cleri romani statuto *Cap. V,* quod *De Emolumentis funerum* inscribitur haec legi: « § 1. Nomine emolumentorum funeris veniunt oblationes vel obventiones, quae fiunt occasione funeris etc. » quibus generalibus verbis, et quae ecclesiae obveniunt titulo culcitrae, indumentorum sacrorum et sepulturae, comprehendi viderentur. Ulterius in eodem capite inferius emolumenta huiusmodi enucleantur ac in § 2; et sequentibus sermo est de intorticiis et faculis, quae in processione deferuntur vel circa feretrum vel in domo defuncti seu in altaribus accensa fuerunt, atque in § 8, peculiaris mentio fit indumentorum sacrorum in funeribus Cardinalium, Praelatorum, Canonicorum aliorumque quae ad ecclesiam pertinent. Quapropter concludendum videretur, etiam iuxta sensum urbani Statuti voce emolumentorum et ea quae actor petit saltem implicite designari.

Propius autem ad quaestionis punctum, parochus S. Mariae in Aquiro allegat testimonium parochi ecclesiae SS. Vincentii

et Anastasii in Trivio, qui functus olim fuit munere secretarii peculiaris commissionis, a qua nova appendix exarata est, quod ita se habet: fidem facit quod verba adiecta § 35 capitis IV de *iure funeris percipiendi*, quae sic se habent *medietas emolumentorum semper competat* (Ecclesiis Cardinalium titularibus) haud comprehendunt tantum emolumentum cerae, sed etiam emolumenta portionis canonicae culcitrae, sacrorum indumentorum, et sepulturae, quum talis fuerit opinio unanimis praedictae commissionis. Hanc autem attestationem, cum authenticam legis interpretationem exhibere videatur, haud ambigendum esset, rem de qua agimus omnino conficere.

Iura vicarii s. Marci. Nihilominus ex adverso perpendendum videretur vicarium perpetuum ecclesiae S. Marci, utpote defuncti Cardinalis Pellegrini parochum iuris assistentiam habere, ac proinde haud teneri ad emolumentorum petitorum medietatem restituendam, nisi ab actore evidentissimae probationes afferantur. Quae autem allata fuerunt nonnullis exceptionibus obnoxia forsan esse possent. Ac in primis negandum esset dimidiam partem funerum ecclesiis titularibus debitam, quartae rationem habere. Siquidem quarta tantum parochis a iure assignatur in eorumque bonum qui sacramenta ministrant instituta fuit, ac proinde forsan haud omnia quae parochis favent ad aliorum favorem extendenda essent, praesertim quoties parocho exinde damnum eveniret. Eo vel magis Romae, ubi funerum emolumenta, ceu videre est in citato Statuto *Cap. V, § 1,* « decimarum loco pro parochis subrogata censentur ». At his omnibus missis, animadvertendum est in cleri romani statuto *Cap. 3, § 10,* haec declarari: « nomine autem quartae funeris, iuxta receptam Urbis consuetudinem, venit media pars cereorum seu intorticiorum, quae vel circa feretrum tum in associatione per viam, tum in expositione in ecclesia ad funus peragendum, vel in altaribus apposita sunt ». Et quamvis ibi sermo sit de quarta parocho debita in funere illius, qui extra Urbem decedat, et inferius, § 11, legatur : « haeredes autem defuncti sepulturae

et culcitrae taxam funerisque supplementum, si praescriptum modum § 3 illud non attigerit, proprio parocho praestare tenentur; » nihilominus minime inficiandum esset, articulo 10 quid veniat in Urbe nomine quartae aperte designari, atque in illius computatione quae a parocho S. Mariae in Aquiro exiguntur nequaquam comprehendi. Quae vero de consuetudine Romae vigenti nec non de responso Vicariatus asseruntur, attendenda minime viderentur cum compertissimum sit non assertionibus, sed monumentis in iudiciis dimicandum esse.

Praeterea tueri forsan posset iuxta romani cleri statutum, diversimode quartam de omnibus emolumentis esse computandam pro casuum varietate, distinguendo scilicet num parocho debeatur, vel ab eo aliis ecclesiis solvenda sit. Huius vero distinctionis fundamentum in pluries citato *Cap. V, circ. fin.* inveniri posset. Siquidem postquam ibi § *13,* declaratum fuerit non pertinere ad funeris emolumenta libros, annulos, enses, vexilla, cruces et insignia ordinum vel dignitatum, quae cum cadavere deferuntur, additur in § *14:* « Attamen quoties ab haeredibus ecclesiae eadem donentur, tunc si data fuerint paroeciae, integra eidem cedant, si vero tumulanti vel exponenti ecclesiae, cum paroecia dividantur. »

At dato etiam quod ecclesiis S. R. E. Cardinalium titularibus medietas omnium emolumentorum eadem prorsus ratione ac paroeciae debeatur, negari posset, quidquid sit de culcitra, hac voce *emolumentorum* minime ea intelligi quae pro indumentis sacris et sepultura exigi solent. Etenim si postrema pars statuti cleri inspiciatur, quae inscribitur « Emolumenti e tasse dei funerali, » erumpet profecto ea non emolumentorum sed taxarum voce designari. Sane ne congeram nimias citationes, sufficiat referre ibi articulos reperiri ita enunciatos: « § 1. Emolumenti di cera. — § 2. Emolumento » di coltre. — § 3. Tasse per il diritto di sepoltura. — » § 4. Tassa degl'indumenti sacri. » Porro cum hic distinctio apertissima sit, colligitur ad rem non facere invocatum principium: « ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. » Quinimo cum in materia funerum parochi iuris assistentiam

habeant, concludendum esset praefatas taxas inter emolumenta minime esse accensendas.

His tandem addi posset in cleri romani statuto *Cap. V*, cum de sacris indumentis sermo est, haec legi § *10*: « Inter indumenta, quae cedunt paroeciae, non adnumeratur superperpelliceum etc. » et § *11*: indumenta vero haec quae cedunt lucro paroeciae, vendi vel in profanos usus converti non possint etc. » ac demum *Cap. VII*, § *16*: « Quod si defuncti sint Imperantes, Regii Principes, Cardinales, Episcopi et quatuor priores romanae curiae Praesules, praedicta taxa (sepulturae) non coemeterio, sed parochiali ecclesiae cedat. » Porro ex iis deduci posset taxas quae percipiuntur pro sacris indumentis et pro sepulturae iure ad paroeciam defuncti privative spectare.

Quibus animadversis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An Vicarius perpetuus ecclesiae S. Marci de Urbe medietatem summae perceptae pro culcitra, indumentis sacris et sepulturae iure Diaconiae S. Mariae in Aquiro solvere teneatur in casu.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die 18 Martii 1893 censuit respondere: *Affirmative et amplius.*

Ex quibus colliges I. Ecclesiae titulari, in funeribus Emorum Cardinalium deberi dimidium omnium emolumentorum, quae hisce in adiunctis ecclesia paroechialis percipit.

II. Quidquid enim assignatur ecclesiis titularibus Emorum Cardinalium, occasione funerum eorundem, habere videtur rationem *quartae funerariae*, seu *portionis canonicae*, quae alibi varia est, sed Romae dimidium attingit.

III. Sub nomine autem emolumentorum, venire omnia commoda et oblationes, quae tempore funeris, vel exequiarum defuncti, ecclesiae paroeciali fiunt. (1)

(1) Confer Vol. XV, 553, Votum, quod anno 1876 concinnavit R. P. D. Santi, quum primitus eiusmodi quaestiones agitari coeperunt, causâ legis civilis quae prohibuit privatas sepulturas in ecclesiis.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

SQUILLACEN. Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti ven. servo Dei Lanuino sacerdoti professo ordinis Carthusianorum beato nuncupato.

Die 14 Ianuarii 1893.

Lanuinus e nobilissima Normannorum familia oriundus, fidelissimus Sancti Brunonis, Institutoris Ordinis Carthusianorum, Socius, cum ipso Sancto Patriarcha Roma discedens, ad Calabriae Eremum incolendam venit. Tantae auctoritatis apud Fideles ipse fuit, ut omnia fere negotia et ecclesiasticas provinciae Calabriae causas Summi Pontifices B. Urbanus Secundus et Paschalis huius itidem nominis Secundus sibi delegarent et committerent. Sedit enim in Conciliis Romae, Florentiae, Guastallae et Beneventi habitis, ubi eius doctrina et sapientia mirum in modum praefulsit. Tandem anno millesimo centesimo vigesimo primo, quum iam cursum vitae consummasset, tam magna sanctitatis fama ad caelum evolavit, ut eius sacrum corpus una simul cum exuviis Sancti Brunonis depositum et inclusum fuerit, quocum huc usque religiosissime asservatur. Sic factum est ut Pater Ordinis Carthusiani et eius in Christo filius primogenitus, eiusdem Ordinis mirificus Propagator et Rector, uti in vita, ita et in morte non sint separati.

Cultus vero ecclesiasticus erga Beatum Lanuinum inde ab eius glorioso obitu inter Fideles mirabiliter exortus, quum nondum legitime recognitus usque in praesentiarum fuerit; Rmus Dñus Raphael Morisciano hodiernus Episcopus Squillacen. votis eorumdem Fidelium sibi commissae Dioeceseos satisfacturus, illius confirmationem humillime expetivit. Eapropter quum a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, Causae Ponente, in Ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens Dubium discutiendum propositum fuerit, nimirum: *An sententia praedicti Rmi Episcopi Squillacensis super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Lanuino, seu super casu excepto a Decretis f. r. Urbani VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres Sacris tuendis

Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative; seu sententiam esse confirmandam.* Die 14 Ianuarii 1893.

Facta postmodum de iis per meipsum infrascriptum Cardinalem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 4 Februarii anno eodem.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S.

VINC. NUSSI *S. R. C. Secretarius.*

Synopsis vitae beati Lanuini.

Beatus Lanuinus Normandus sancti Patris Brunonis primus et individuus socius, atque Eremi sanctae Mariae de Turri secundus Magister a Normannorum gente ex nobilissima familia, quae ad Italiam in auxilium Catholicae Ecclesiae descenderat, traxit originem, qui tota fere vita sua, ab ipsa infantia, in urbe Roma degerat, litterarum omnium, et morum vacans studiis ac disciplinis, et tantum in illis progressum habuit, ut excellentioribus in eo genere compararetur; sedisque apostolicae Praelatis, et Urbis magnatibus gratus et dilectus apprime extitit, unde in sancti Brunonis Patris nostri primo ingressu ad Curiam Pontificiam ipsi adhaesit, ab eoque in omnibus stetit, cumque tractu temporis eius singularis doctrina, sapientia et morum honestas experirentur, conglutinata est anima eius amori illius, et summa familiaritate coniunctus in necessitudine eum recepit, ac de negotiis Pontificis, et in laboribus pro Catholica Ecclesia susceptis, compotem et socium faciebat; quapropter apud Urbanum Secundum et Paschalem huius itidem nominis secundum, magna in existimatione habitus, gravibus oneratus est curis. Sedit in Conciliis, eorum temporibus habitis Romae, Florentiae, Guastallae et Beneventi: postmodum vero Sancti Patris fidissimus socius, descendit in Calabriam, et Calabritanam illo stabiliente familiam, egregiam navavit operam: nam rei familiaris administrandae scientiam mirabili modo possidebat, unde singularis oeconomicus ad regendam Cartusiam semper extitit, et quia insuper perspicax erat, recta ratione agibilium circa bona, ma-

laque humana, quasi ad summum pollebat, ideoque Salernum ab Urbano secundo accitus fuit, et cum eo de negotiis Ecclesiae Salernitanae haberet sermonem, dato speciali Diplomate.

Quo proficiscens, colloquium cum praefato Pontifice pro recuperatione bonorum Ecclesiae Salernitanae a Normandis olim occupatorum habuit, ut constat ex quadam Epistola in Archivio Archiepiscopali Salernitano existenti. Orbatis igitur Eremitis nostris Pastore, et ad coelestia Regna advolante Sancto Patriarcha nostro, ipse Beatus Lanuinus in iure canonico peritus, in humilitate fundatus, et in regulari observantia bene instructus, postquam Sanctum Patrem summa pietate parentarunt, convocato toto Eremitarum conventu, post verba consolatoria de tanti Patris transitu, necessitatem novum Pastorem eligendi insinuavit: quapropter contentio non parva orta est inter eos, non quidem ambitionis causa, sed ex quadam Patriarchae reverentia; nam in felici suo obitu, praefatum Lanuinum successorem reliquerat, non quidem in magistrali munere, sed in Eremitarum, et Vaxallorum regimine quousque novus eligeretur Praelatus a toto Conventu; sic enim faciebant Constitutiones a S. P. et a Beato Lanuino conscriptae. Ex hac itaque sancti Patris in Personam Beati Lanuini designatione, volebant aliqui, contendenbantque, quod pius Pater ipsum eorum Praelatum, et Successorem constituerat, ideoque pro hac vice illius adimplendam esse voluntatem; eo magis quia fama tantum percelebris Patris Lanuini ubique notissimi, et apud Summos Pontifices venerati ita ad Dei honorem et Eremi conversationem requirebat; e contrario, alii dicebant, aut electionem esse faciendam, aut Sedem Apostolicam consulendam; unde ex communi omnium consensu ad praefatam Sedem Apostolicam pro opportuno remedio recursum habuerunt, quam ea tempestate Paschalis Secundus regebat, qui pro tanta re gerenda totum commisit negotium Richardo Albanensi Episcopo, et S. R. E. Cardinali, qui eiusdem Pontificis iussu, ad hanc accessit Eremum, et comitiis interveniendo, omnium suffragiis, canonice electus fuit in Eremi Magistrum praefatus Pater Lanuinus, cui, ab ipso iam confirmato, omnes obedientiam promiserunt. Confirmatis itaque et solidatis omnibus, atque eremitarum concordia pacata, illico Albanensis Episcopus res quemadmodum cecidit, et tota res, quo loco erat, ad Pontificem scripsit, qui magnopere exultans, Epistolas ad Patres nostros dictavit.

Pontificis igitur auctoritate, omniumque Eremitarum consensu in Eremi Magisterio firmatus Beatus Lanuinus, gregem sibi creditum coepit mirabiliter in omnibus regere, et ad aeterna pascua dirigere, ac se in Sanctissimi Patris Brunonis purissimam vitam transformavit, unde apud omnes exhibuit sese in stuporem, et miranda rerum, quapropter vere de eo dicere poterant, quod in Ecclesiastico legitur: Mortuus est Pater eius, et quasi non esset mortuus; similem enim reliquit post se sibi.

Erat enim in observantia solitudinis studiosus, in orationis contemplationisque fervore relucebat tamquam alter Moyses, in abstinentiarum asperitudine, suum namque reflexit rigorem: non enim tam sollicite ab Eremi negotiis se expediebat, quam ad eremitice gustandam suavitatem festinabat. Fatebatur enim plorans rerum temporalium exercitationes datas fuisse ad poenitentiam, solitudinem vero ad gustandum, quam suavis est Dominus, et ad futuram beatitudinem fruendam, negotiandumque cum Summo Numine facie ad faciem. Nec satis narrare possumus illius sanctissimam vitam bonis operibus affluentem, nempe sanae doctrinae industria boni regiminis, singulari regularis disciplinae vigilantia, fervore arrepti propositi, benevolentia Fratrum, divini honoris zelo, iustitiae rectitudine, Dei, proximique charitate, in pauperes miseratione, et suimet rigorosa disciplina, de quibus Summus Pontifex Paschalis Secundus bene edoctus, in sua prudentia confidens plurima, et in modum ardua ei ecclesiastica negotia commisit, et signanter auctoritate Apostolica Catacensis Provinciae Censor effectus pravos mores avulsit; cura etiam illius ac vigilantia, Sedis Apostolicae auctoritate compositionem Militensis Ecclesiae, electionemque de digno Praelato demandatam fuisse. Ac simili modo de eligendo Abbate S. Iuliani, et de provisione boni Pastoris in Monasterio S. Euphemiae, ad cuius pastoralem diligentiam plures epistolae Paschalis Papae Secundi directae fuerunt, et de huiusmodi Apostolicis officiis tales V. 3.

Quibus Apostolicis commissionibus Beatus Lanuinus diligenter, et summa cum vigilantia ac studio peractis, notitiam illico Summo dedit Pontifici, ut ex alia eiusdem comprehenditur.... Ex quo epistolarum tenore liquido constat, quam prudenter utiliterque Pontificiis delegationibus obedierit P. N. Lanuinus, ideoque lucerna lucens et ardens manifestabatur ubique, quia non tantum in Calabriae provinciis, et Neapolitano Regno Paschalis

Papa, suum in summis peragendis negotiis fecerat ministrum, sed etiam in Siciliae Regno; nam propter imminentes Messanensis Ecclesiae causas, illuc pro recognitione Archiepiscopi querelati ad Sedem Apostolicam destinavit; unde ita de canonica electione facienda Abbatis in Coenobio sancti Iuliani et de praefata Ecclesiae Messanensis causa in quadam Epistola Pontificia loquitur.

Paschalis Episcopus servus etc.... dilecto filio Lanuino salutem etc.

Quae pro monasterio sancti Iuliani nuper scripsimus, eadem Fraternitati tuae scripsimus. Ut experientia tua etc.... His itaque Apostolicis litteris omni cum diligentia et singulari prudentia exactis, iterum Paschalis Papa auctoritate Apostolica creat Lanuinum Visitatorem et Reformatorem Monasteriorum illius Provinciae, atque iniungit, ut quae inter Episcopum Militensis Ecclesiae, et Monachos sancti Angeli efferbuerunt quaestiones, compescat.

Quibus laudibus et praeconiis, quove zelo et charitatis fervore Summus Pontifex Patrem Nostrum Lanuinum commendat, ex praefatis patet epistolis, ideoque idem Pontifex facultatem ei impertitur, ut post debitas monitiones, omnes aut monachis, aut Monasterii bonis molestiam inferentes anathemate percutiat..... Crescente autem tempore Beati Lanuini regiminis Anachoretarum numero, et multis austeritatem Eremi Sanctae Mariae de Turri ob senectutem et varias infirmitates ferre non valentibus, ne illius rigor tepesceret, et fervor, Paschalis Papa, eodem Lanuino intercedente, concessit, ut iuxta Regulam Sancti Benedicti Monasterio Sancti Iacobi de Montauro, vitam agere possint, nec non ut Tirones, qui a saeculo ad Eremiticam vitam Cartusianorum convertebantur, in praefato Monasterio probarentur sub directione duorum Monachorum Praepositi V. 3, et decani nuncupatorum: praecepit tamen idem Pontifex sub divinae indignationis ultione, ut praedictum Monasterium separari nequeat ab unitate Eremi et a regimine eiusdem Magistri. Quod autem ad cellam Mentabri seu Ecclesiam, quae apud Squillacium sita erat, pertinet, de qua praefatae Epistolae enucleate loquuntur, sciendum est, quod ipsa eadem erat, ac Monasterium Sancti Iacobi, quod in privilegio Comitis Rogerii pro liberatione a Sergii proditione in obsidione civitatis Capuae concessum legitur, ubi ita praefatus Comes loquitur: Donavi autem eidem Patri Brunoni,

eiusque successoribus ad habendum in perpetuum absque temporali servitio Monasterium Sancti Iacobi de Montauro cum castro, quod est subtus dictum Monasterium antiquitus constructum. Situm erat igitur praefatum Monasterium supra castrum quod hodie Grangia sanctae Annae appellatur, quod dictus Comes e manibus Graecorum Schismaticorum eruerat, et Eremo sanctae Mariae de Turri incorporavit, in quo cuidam Procuratori, sive praeposito, horrenda de poenis Purgatorii visio ostensa fuit.

Beatus igitur Lanuinus, primus et dignissimus sancti Patris successor, idea viva veri Cartusianismi iure optimo hoc encomium tulit, quod egregius metator et aedificator fuerit Monasteriorum; sic enim eum Rogerius Comes in diplomate vocat, et in actu publico semper constitutus auctoritatem maximam sibi collegit apud Pontifices et Principes, quod quidem ex praefatis dignoscitur Epistolis, et ex laboribus pro Christo Domino, Ecclesia Sancta, et Sacri Ordinis utilitate saepe susceptis, in quibus sicut patientia relucebat, ita prudentia singulari modo manifestabatur.

Erat itaque Beatus Lanuinus ita virtutibus excellenter ornatus, doctrina, prudentia, rarisque qualitatibus a Deo, natura et gratia, summopere dotatus quod, ut Domus monumenta testantur, non inveniebatur similis in tota Provincia.

Merito igitur Beatus hoc nomine dicendus Lanuinus quod ipsius sancti Patris fuerit pes, manus, oculus, provisor eius perpetuus et indefessus, nec non procurator pauperum Christi, quibus servire regnare est, sub cuius regimine germinavit sanctae Mariae de Turri Eremus ultra quadraginta Anachoretas, et Monachos, tum in hac inferiori Domo, quam in altera sancti Iacobi de Mentabro. Ultra quinquaginta absque conversis, et ita denique praefatus Pater divinum ampliavit cultum, quod pia devotione, et Sancta Religione accensi multi magnates istius Provinciae varia dedere bona ipsis Eremitis, inter quos singulares fuerunt, primo Goffredus de Loretello Comes Catanzarii, qui anno millesimo centesimo decimo sexto, dum adhuc adolescentulus esset una cum Berta Matre sua dedit pro amore Dei, et remedio animae Patris sui, et omnium Parentum suorum Ecclesiae Sanctae Mariae de Turri, et Magistro Lanuino nonnullas terras cultas et incultas cum vineis et sylvis in tenimento Badulati, ac etiam omnia quae parentes eius in eodem tenimento eidem ma-

gistro donaverant, nempe Ecclesias Omnium Sanctorum, et Sancti Nicolai cum Casali Sancti Martini confirmavit. Secundo Muriel filia nostri Comitis Rogerii, uxor Guisperni de Luciaci, qui anno millesimo centesimo decimo nono, pro remedio animae suae, et omnium parentum suorum, donavit Ecclesiae sanctae Mariae de Turri et Magistro Lanuino decem Villanos redditarios una cum servo, ac etiam Ecclesias sancti Michaelis, et sancti Georgii cum terris, et tenimentis suis. Ultimum Rogerius Arenarum Comes, sanctitate Eremitarum Ecclesiae sanctae Mariae, quae dicebatur Eremus Magistri Brunonis et Lanuini, qui tunc gubernabat, divinitus allectus anno Domini millesimo centesimo vigesimo primo, obedientiam, seu Grangiam quae dicebatur de Capis, confirmavit et per multum dilatavit spatiosam concedendo divisam iuxta eamdem Grangiam sine onere aliquo. Clausit tandem sancte et cum omnium moerore ultimum vitae suae diem Beatus Lanuinus undecima Aprilis anni reparatae salutis millesimi centesimi vigesimi primi, sepelierunt autem eum Fratres eius et filii in sepulcro sancti Patris nostri Brunonis, et quia ut Sanctus ab omnibus venerabatur, et cum opinione sanctitatis decesserat, in eorum Martyrologium immediate post S. P. denunciationem ita diem obitus sui annotaverunt: undecima Aprilis obiit Beatus Lanuinus. Bruno enim, et Lanuinus, amabiles, et decori valde in vita sua, in morte quoque non sunt divisi, Aquilis velociores, leonibus fortiores. Ex illo igitur aevo usque adhuc semper honorifice simul conditi fuerunt tamquam duo olivae, et duo candelabra, in conspectu Domini terrae stantes: hi sunt duo filii splendoris, qui assistunt Dominatori universae terrae, quorum precibus et orationibus apud Deum adiuvari speramus. Pauca autem de tam praeclaro viro nostris hactenus innotuere; monumenta enim magnalium operum eius et universa quae fecit, cum suo ultimo fine perierant cum aliis combustis manuscriptis. In effigiem Beati Lanuini Normanni Magistri Turrensis Eremi. Sat tenebris umbrisque datum est; nunc incipe luci Te dare, magne Pater, vox et Tuba dulcis Eremi etc.

INFORMATIO super dubio: *An sententia lata ab Illmo et Rmo Dño Episcopo Squillacensi confirmanda sit in casu, et ad effectum, de quo agitur.*

Eme ac Rme Domine

Ven. Lanuini Sodalis, atque in omnigena virtute s. Patriarchae Brunonis digni aemulatoris, hodie in Vestris Comitiis causa proponitur, quamque pulcherrimam, elegantissimamque appellabo, quoniam sub oculis Tuis mirum, perarduumque s. Brunonis vitae genus reproponit, quod Eremicolis ad meliora incitamentum, cunctisque Christifidelibus in admirationem exhibetur.

Periucundum igitur mihi contingit Causam hanc novissimi, altissimique generis sub amplissimis auspiciis Tuis coram hunc S. Ordinem proponere, quia in eximia Tua pietate, atque in excelsa scientia Tua confisus, novos, fulgidissimosque decoris, honestatis, exquisitaeque christianae pietatis fructus dabit tempore suo.

Eia age, Eme ac Rme Princeps, Causam hanc sub Tui patrocinio excipe corde magno, et animo volenti, eiusdemque tractationem benigno favore prosequere. Namque in hac brevi disceptatione, mei muneris erit, sanctum vitae genus Ven. Launini exscribere, famam omnigenae sanctitatis, qua praeditus ex hac vita migravit, enarrare, ac tandem perpetuum cultum eidem Venerabili praestitutum asserere, ac demonstrare. Quod, Deo auxiliante, conficiam, ab amplissimis documentis in Processu, ac in Summario relatis attingendo.

Cum sui familia ex Normandia in catholicae Ecclesiae auxilium a diris factionibus tunc temporis divexatae, Ven. Lanuinus hanc nostram Hesperiam, ab Italo Rege hodie Italiam appellatam saeculo XI ineunte oppetiit. Ab Auctore naturae, ferax ingenium, piam, morigeram, suavemque indolem nactus, statim ac eius domicilium in hac alma Urbe fixit, adhuc puerulus ad mentem excolendam, ad cor in pietate efformandum, ac in omnigena virtute exornandum totus se dedit.

Utriusque laboris, ac praeclarissimae exercitationis uberrimus fructus: nam, absoluto eius studiorum curriculo, laude omnium litterarum, et merito insignis pietatis apud cunctos efloruit. De quibus magna auctoritate testatur clar. Tromby, ut-

pote qui historiae sui Ordinis scriptor accuratus, ac expertissimus perpetuo habitus fuit. Ipse enim de Ven. Lanuino scribit: « Ex Normannorum gente, quae ad Italiam ad auxilium catholicae Ecclesiae descenderat, traxit originem, qui tota fere vita sua, *ab ipsa infantia in Urbe Roma* degerat, litterarum omnium, et morum vacans studiis, ac disciplinis, et tantum in illis progressum habuit, ut excellentioribus in eo genere compararetur ».

Quare Ven. Lanuinus a prima sui pueritia usque ad totam suae vitae adolescentiam praeclaro scientiae ornamento, morumque innocentia eluxit. Purissima lux haec diu latere haud potuit, sed luxit coram hominibus virtute ac dignitate conspicuis, ita ut Lanuinus noster prima a sua iuventa acceptissimus fuit Praelatis Curiae Romanae, ac deinde ipsi S. Brunoni, qui tunc temporis Romae vitam ducebat, operam suam impendendo in obeundis legationibus, ac negociis Romanorum Pontificum, atque Apostolicae Sedis. Ob praeclaras virtutes quibus Ven. Lanuinus enitebat, Patriarcha Bruno eum valde dilexit, sibique in socium et comitem adscivit in fundandis Carthusianorum Monasteriis, quibus ardua ratio vitae Eremiticae a vocatis ad hunc perfectissimum statum ducenda erat. Perarduam esse vitae rationem, apprimeque perfectioribus Evangelii consiliis consonam, ex eo inspicimus fere intuitive, quod huic asperae vitae addicti, vitam ducunt in mundo absque mundo, nempe absque illis auxiliis, solaminibus, recreationibusque licitis, atque honestis, quae etiam pie viventibus mundus praebet.

Re sane vera eremiticam vitam ad normam Carthusianorum Constitutionum exercentes, propriam familiam deserunt, non cum alia familia religiosa eam commutant, quemadmodum in aliis virorum Monasteriis quae vitam minus strictam, asperamque ducunt, contingit; sed ut sibimetipsis vivant, perpetuo et sub silentio tempus insumentes in rerum coelestium contemplatione, rerumque temporalium contemptu, in orationibus, ac divina psalmodia recitanda, in corporis animique afflictationibus. Istorum est notissimo SS. Scripturae dicto « Vae soli » contraponere aliud eiusdem divinae Scripturae « O beata solitudo ». Vere enim beata haec solitudo ad normam ss. legum S. Brunonis transacta! In ea non amplius inspicimus homines mortales, fragiles, lutea vasa portantes, qui faciunt fructus in angustia, sed heroas illos, qui mortalitatem deserunt, eo quod thesauros pro immortali regno coelesti thesaurizant, qui infirmae

humanae naturae fragilitatem exsuperant, cunctis eius inclinationibus contradicendo. Humanae naturae superbiam in humilitatem vertunt, concupiscentiam carnalem in angelicam puritatem, auri famem, divitiarumque appetitum in squalidam paupertatem, honores in contumelias, huius mundi fastum in insanas vanitates; qui lutea vasa deponunt, quatenus homini veteri in peccatis enutrito superinduunt novum praetiosissima gratiae ac dilectionis veste indutum. Neque fructus ferunt in angustia, quia a laqueis peccati, diabolique soluti non habent amplius id quo in operibus sanctis multiplicandis retardantur. Sunt absque volatu in corpore, tamquam Aquilae tamen volant in spiritu: sunt neci obnoxii quoad corpus, vitam Dei immortalem in spiritu participant. Sunt nempe de iis, de quibus loquitur D. Paulus in Epistola ad Corinthios 2, c. 6: « sicut qui ignoti, et cogniti, quasi morientes, et ecce vivimus, ut castigati, et non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, et omnia possidentes ».

Qui taliter vivunt, nempe qui supra descriptum sanctum vitae genus in terris ducunt, profecto esse heroica virtute praeditos, nemo est, qui ambigat. Mentem nostram igitur ad Ven. Lanuini vitam claustralem convertamus ut eius miram sanctitatem, qua toto suae vitae tempore eluxit, intueamur.

De mandato S. Brunonis mittitur in Calabriam ut Eremicolarum Monasteria aedificet, atque ut iisdem praesit. De eius mira activitate in monasteriis aedificandis, eiusque dexteritate in gubernando, inferius dicturus ero, heic sermonem meum perstringam ad vitam claustralem Ven. Lanuini, cuius fuit tenerrimus et amantissimus cultor.

Licet in Monasteriorum aedificationem maxima activitate et efficacia operam suam insumeret, et in gubernando eximia dexteritate, prudentiaque summa eniteret, nihilosecius in hisce negotiis peragendis, videbatur pati, moestumque esse; felix putabatur quando ab iisdem negotiis non impeditus, eius dulcissimam solitudinem repetere valebat, quae ab eo Paradisus vocabatur, qua dulcissimo modo fruebatur, quia totum tempus insumebat in contemplatione rerum coelestium, in ferventi assiduaque oratione, atque in actibus maximae dilectionis erga Deum, nec non in excolenda omni virtute privata atque etiam eremitica. De ipso enim praefatus clar. Tromby testatur: « Erat

enim in observantia solitudinis studiosus, in orationis contemplationisque fervore relucebat tamquam alter Moyses, in abstinentiarum asperitudine suum namque reflexit rigorem, non enim tam sollicite a negotiis se expediebat, quam ad erimitice gustandam suavitatem festinabat: fatebatur enim plorans rerum temporalium exercitationes datas fuisse ad poenitentiam, solitudinem vero ad gustandum, quam suavis est Dominus, et ad futuram beatitudinem fruendam, negotiandumque cum summo Numine faciè ad faciem ».

De eius charitate erga proximum mira et magna leguntur in eadem Vita Ven. Lanuini a praelaudato clar. Tromby conscripta. Laudi omni pracerat eius benevolentia ac suavitas erga sodales sui Ordinis, quos in charitate sua non ceu inferiores, subditosque, sed tamquam pares, ac Superiores amplectebatur. Omnibus eorum indigentiis sive corporalibus, sive spiritualibus semper praesto fuit, ita ut ab omnibus in magna veneratione habebatur, qui dicere solebant, nullum in Provincia Ven. Lanuino esse aequandum in excellentia virtutum, quibus praeditus erat. Item miseratione erga pauperes, consodales omnes antecellebat, quia in eis Christi personam reverebatur.

In regimine Monasteriorum fuit summus. Eius dexteritas ac prudentia ita effulserunt, ut diu latere non potuerunt. Sat erit considerare fulgorem earumdem oculos Romanorum Pontificum Urbani II, et Paschalis II attraxisse, quique in variis legationibus, ac negociis Apostolicae Sedis adhibuerunt. Rei veritatem probavit eventus: namque negociis a Romanis Pontificibus praelaudatis Ven. Lanuino demandatis, mirum in modum se gessit, atque cuncta ad felicem exitum perduxit. De quibus testantur Epistolae eorumdem Pontificum, in quibus dexteritas et prudentia summa Ven. Lanuini in negociis peragendis quam maxime commendantur.

Tanto crevit eius fama in omnigena virtute, ut demortuo S. Fundatore Ordinis Carthusianorum, consensu omnium Confratrum, ac auctoritate Romani Pontificis Magister Generalis sui Ordinis renuntiatus sit. In hoc gravissimo munere obeundo ad normam legum S. Fundatoris, et Apostolicarum Constitutionum cuncta peregit. Regularis disciplinae studiosissimus, in quolibet Monasterio instaurandam augendamque diligentissime curavit. Monasteria sui Ordinis mira activitate charitatisque zelo auxit ita, ut ab omnibus mirus Monasteriorum aedificator vocaretur.

Bonum Christi odorem, quem Ven. Lanuinus undequaque diffundebat oculos multitudinis, mentemque Magnatum ad eum convertit, quorum prior uti sanctum venerabatur, aliique omni obsequii genere eum prosequebantur, ita ut ad ostendendam operibus eorum reverentiam, eidem Lanuino et in solatium eius Monasteriorum quamplura temporalia bona dono dedere.

Quae omnia leguntur in praefata notitia compendiosa Ven. Lanuini, quae ex documentis in Archivio Ordinis asservatis deprompta fuit.

Expleto eius vitae mortali curriculo, Ven. Lanuinus Sacramentis Ecclesiae refectus, atque inter lacrymas omnium Confratrum anno Domini 1120 sancto fine quievit.

Fama magnae sanctitatis, qua ex hac vita migravit, ab eius sepulcro novum, amplissimumque testimonium recipit. Sodales eius, qui in eo S. Fundatoris perfectum imitatorem inspiciebant in omnigena virtute, eodem sepulcro S. Brunonis dignum invenerunt, atque eius ossa cum ossibus S. Fundatoris in eadem urna condiderunt, et licet decursu temporis de loco in locum translata sint, nihilosecius usque in hodiernum diem in eadem capsa asservantur. Audiamus igitur ad rem praeclarissimum Tromby, qui ita fatur: « Clausit tandem sancte et cum omnium moerore ultimum suae vitae diem Beatus Lanuinus undecima Aprilis anni reparatae salutis millesimi centesimi vigesimi primi; sepelierunt autem Fratres eius, et Filii in sepulchro sancti Patris Nostri Brunonis, et quia Sanctus ab omnibus venerabatur et cum opinione Sanctitatis decesserat, in eorum Martyrologium post S. P. denunciationem ita diem obitus sui annotaverunt: undecima Aprilis obiit Beatus Lanuinus. Bruno enim et Lanuinus amabiles et decori valde in vita sua, in morte quoque non sunt divisi ».

Pest haec quisque intuetur, Lanuinum nostrum totam eius mortalem vitam in excolenda omnigena virtute, et quidem in gradu heroico transegisse, nec non ex hoc mundo fama omnigenae sanctitatis egressum esse. Restat igitur, ut videamus, an ei perpetuus cultus fuerit praestitutus, ita ut ad normam legum, ac praescriptionum S. Rituum Congregationis, Apostolica Sedes eumdem confirmare possit et valeat.

Quicumque cultus est res facti, quare ex testimoniis fide dignis probandus venit.

Ante omnia praenotandum duco, cultum Ven. Lanuino

praestitum nullo pacto a Decretis Urbanianis attingi, quum in casu agatur de cultu vetustissimo per fere novem saecula huic nostro sanctissimo viro praestito. Quare absque alio plurimas ac concludentissimas eiusdem cultus probationes in medium proferam, quae a re tristi pro mortalibus, nempe a sepulchro Ven. Lanuini originem ducunt.

Convertamus paullum mentem nostram ad diem 11 Aprilis anni Incarnationis Dominicae 1120, in qua fertur Lanuinum nostrum supremum diem obiisse valde illacrymatum a suis, atque a finitimis populis, qui turmatim ad venerandum eius cadaver in Ecclesia sui Ordinis expositum, accesserunt. Non levitatis, vel curiositatis causâ, sed a fama excelsae sanctitatis tanti Viri Coenobitae compulsi, iustis funebriis a suis Confratribus persolutis magno numero adfuerunt. Una erat vox, unus erat clamor, qui ab illis pectoribus emittebatur. Mortuus est vir sanctus, et sui Confratrès testes de visu sanctitatis omnigenae, qua praeditus erat, eodem sepulcro Sancti Brunonis dignum merito putarunt. In hoc eodem instanti cultus, qui uni S. Fundatori praestitus erat, Ven. Lanuinum complexus est.

Quod semel contigit, idem perpetuo permansit; corpora enim S. Brunonis et Ven. Lanuini in eadem urna usque in hodiernum diem asservantur. De quo amplissime testantur binae eorumdem corporum recognitiones ab auctoritate ecclesiastica peractae.

Quod vero cultus erga Ven. Lanuinum amicissime copuletur cum eius perhonorifico sepulcro, cunctos Testes in processu adhibitos, omniaque documenta in eodem Processu relata amplissime testari, ac in tuto ponere. Re sane vera a depositionibus testium initium sumens, inter quos brevitatis gratia eligam quartum, quintum et octavum, qui quoad Servi Dei sepulcrum ac concursum ad venerandas eius cineres, nec non quoad vetustatem eiusdem cultus, ac eius recentiora argumenta, haec quae sequuntur, sub sanctitate iuramenti deponunt. Testis IV iuxta interrog. 8 resp. « Io so pure per antica tradizione che il corpo del B. Lanuino si è conservato assieme al corpo di S. Bruno, dove attualmente si trova nella medesima cassa ». Iuxta interrog. 9 resp. « Questa devozione al Beato Lanuino la ricordo in tutti, e sempre fin dalla mia fanciullezza, e si dice che fu sempre conservata da tempi antichissimi ».

Testis V iuxta eandem interrog. resp. « So pure per antica tra-

dizione, che il corpo del Beato Lanuino si conserva unitamente al corpo di S. Bruno nella medesima cassa... Il titolo di Beato e la divozione al Beato Lanuino fu tramandato a noi fin da tempi remoti, come generalmente tuttavia si conserva. Anzi mi costa, che parecchi ci raccomandiamo all'intercessione del medesimo invocandolo nelle nostre preghiere ».

Demum Testis VIII iuxta eandem interrog. resp. « So pure che il corpo del Beato Lanuino, come ho appreso dai miei antenati si trova nella stessa cassa, che contiene il corpo di S. Bruno ... Questa devozione al Servo di Dio Lanuino, e il titolo di Beato, giunge a noi fin da tempi immemorabili ».

De hoc eodem cultu Ven. Lanuino ab immemorabili tempore praestito testantur fere cuncta amplissima documenta in Processu et Summario Causae relata. Ab iisdem nonnulla, sed gravia, ac concludentissima excerpemus ad plenam eiusdem cultus probationem obtinendam.

Apud eumdem clar. Tromby, storia critico-cronologica del Santo Patriarca San Bruno e del suo Ordine Certosino, legitur: « Ritornando adunque donde ci siamo partiti, quel che gli altri sapevano per fama della virtù dei due nomati Personaggi (nempe S. Brunonis et Beati Lanuini) e miracoli, costavagli qual testimonio di veduta al maestro Lamberto. Onde sperimentando tutto giorno farsi sempre viemaggiore il concorso dei fedeli che con pietà e devozione indicibile si portavano a turme per raccomandarsi nei proprii bisogni alla intercessione dei Servi di Dio, egli quale Ordinario del luogo, stimò di non dovere trasferire di vantaggio la traslazione e l'elevazione, dove anticamente consisteva il culto religioso dei loro Corpi: cosa in quei tempi niente nuova, anzi infatti discoverte alla luce, ed accomodate quelle sante Reliquie, con congruente spazio separate le une dalle altre in una medesima cassa, e ripostavi dentro per distintivo una cartola le andarono ad allogare all'Altare nella Chiesetta di Santa Maria del Bosco, che sta a vista della Grotta, dove il Patriarca glorioso menava, quando era fra mortali, vita penitente, e dimorando in terra, conversava nei cieli ».

Idipsum desumitur, ac confirmatur ex Breve Chronicon Anonimi Monachi Carthusiensis: « Tandem cum iam cursum consummasset, multa fatigasset pro suo Eremo et fratribus stabiliendis tam in temporalibus, quam spiritualibus, plenus dierum et meritis, cum maxima sanctitatis opinione ad coelum advo-

lavit. . . Sanctae eius Reliquiae depositae fuerunt una simul cum sanctissimis Reliquiis Sancti Patris Nostri Brunonis, ubi nunc usque asservantur, ut sicut nec in vita, ita nec in morte separati essent duo hi filii splendoris ».

De hoc eodem cultu erga S. Brunonem et Ven. Lanuinum apertissime loquitur documentum quintum, in Summario Causae relatum, ubi haec habentur: « Item in eodem Trifone a latere dextero est aliud Altare dicatum et sacratum, sub quo Altare *(sic)* est corpus seu cadaver Sancti Brunonis et Beati Lanuini eiusdem ordinis Cartusiensis. Quorum sanctorum corpora sunt reposita in quadam cascia sub dicto Altare fabricata, et crate ferrea circumdata. Quorum sanctorum corpora sub *magna veneratione* in dicto loco custodiuntur, excepto capite dicti S. Brunonis, quod custoditur in magna veneratione contra dictam casciam ».

Hunc eumdem cultum Ven. Lanuino praestitum asserit Urbanus Florenza praestantissimus scriptor Ordinis Chartusianorum, qui ex documentis sui ordinis tradit, Lanuinum nostrum titulo Beati perpetuo condecoratum, eodemque titulo in manuscriptis et Chalendario eiusdem Ordinis appellari, nec non in catalogo Reliquiarum Sanctorum, quae olim adservabantur apud Ecclesiam eiusdem Monasterii legitur: « Corpus Beati Lanuini ».

Nomen Lanuini nedum in Chalendario, sed et in Martyrologio eiusdem Ordinis hisce verbis relatum est: « Decima prima Aprilis obiit Beatus Lanuinus »: et ibidem haec notatu digna referuntur: « I Padri che ne sapevano la integrità dei costumi, il rigore dell'osservanza, la santità della vita lo ebbero sin d'allora senza difficoltà alcuna in opinione di Beato e già si vede che con tal titolo si trova registrato negli antichissimi Necrologii della Certosa di S. Stefano ».

Idipsum eruitur ex Theatro Chronologico S. Ordinis Cartusiensis, auctore D. Carolo Iosepho Moratio, in quo de B. Lanuino haec leguntur: « Amplissimum monasterium, et Ordinem gravissimis ornavit moribus, praeclarisque virtutibus, quibus inter PP. Ordinis Beati titulo condecoratus est, et eodem, quo Divus Bruno tumulo conditus, post annos sex, et quadraginta cum ipso elevatus, in magnificentiori colitur S. Stephani Ecclesia ».

Nedum, ceu vidimus, Lanuini nomen in Martyrologio Ordinis Cartusiensis, sed et in Provinciae Calabricae martyrologio

relatum fuit sequentibus verbis: « Decimo septimo chalendas Septembris. . . In Monasterio Sancti Stephani Cartusiensis B. Lanuini Socii et discipuli Sancti Brunonis, qui post eius obitum dictum Monasterium sanctissime gubernavit ».

Coronidis gratia ad idem probandum, nempe ad verum cultum erga Ven. Lanuinum asserendum, confirmandumque in medium proferam nonnullas testificationes illustrium Testium Civitatis Serrae, et sunt Michaelis Regio Archipresbyteri Protopapa, Michaelis Giancotti sacerdotis, Ioseph Pisani Syndici, Vincentii Scrivo, Francisci Valente, et Francisci Barillari, qui sub sanctitate iuramenti tradunt, corpora S. Brunonis, et Ven. Lanuini in eodem sepulcro perpetuo condita, atque publicae venerationi exposita, ac reapse a populo Civitatis, et finitimis populis verum cultum assequuta esse usque in hodiernum diem.

Post recensitas testificationes, allataque documenta quis amplius ex vobis, Emi Patres, dubitabit adhuc de cultu publico et ecclesiastico fere per novem saecula Ven. Lanuino praestito? Namque a die suae sanctae dormitionis, quae undecima Aprilis 1120 contigit usque in praesens, omnis personarum coetus cultu publico, fervidaque devotione Eum prosequutus est. Mementote, Lanuinum nostrum ob suae sanctitatis haud dubiam famam eodem sepulcro S. Brunonis donatum esse, ad eum invisendum, venerandumque, dum e vita migravit, finitimi populi turmatim accessere, titulo Beati ab omnibus et perpetuo condecoratum, sub eodem titulo eius nomen in Chalendario Ordinis Cartusiensis, et in Martyrologio eiusdem Ordinis, ei Provinciae Calabricae refertur verbis eius sanctitatem extollentibus. Eius sodales coaevos, et non coaevos titulo Beati perpetuo nominavisse, et cultu publico usque in hodiernum diem prosequutos esse. Populos Civitatis, ac finitimarum regionum fama eius sanctitatis et miraculorum compulsos ad venerandos eius cineres indesinenter accessisse, atque in publicis privatisque indigentiis et calamitatibus eius patrocinium maxima cum fiducia implorasse, et adhuc implorare. Reverentiam vero alicui exhibitam ob sui sanctitatem, opem, quam ab Eo ratione eiusdem sanctitatis exposcimus, cultum publicum et ecclesiasticum constituere in propatulo est. Restat igitur, ut concludamus, Lanuinum nostrum a die sui obitus usque in hodiernum diem cultu publico et ecclesiastico a populo civitatis Serrae, nec non a finitimis populis prosequutum fuisse. Vidimus supra, cultum hunc a De-

cretis Urbanianis infirmari nullo pacto posse, initium enim habuit anno 1120, ac per consequens fere a quatuor saeculis praestabatur, antequam eadem Decreta in lucem edita sint.

Quae omnia complexus vigilantissimus Episcopus Squillacensis, non dubitavit sententiam dicere affirmativam, nempe constare de cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito Ven. Lanuino Ordinis Carthusianorum. En eius verba: « Visis Decretis Urbani octavi mox recensitis. Visis depositionibus testium legitime inductorum et examinatorum, et signanter ex officio advocatorum. Visis iuribus, scripturis et documentis omnibus productis, et legitime compulsatis. Visis omnibus Processus actis, visisque videndis, et consideratis omnibus considerandis.

« Christi nomine repetito, dicimus, pronuntiamus, declaramus et definitive sententiamus constare de cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito, idest ante annum millesimum, quingentesimum trigesimum quartum nunquam interrupto, et ad hunc diem feliciter continuato, Servo Dei Lanuino, et propterea Causam hanc versari inter casus exceptos a memoratis Urbani Papae octavi Decretis. Et ita dicimus pronuntiamus, et definitive sententiamus ».

Cuncta igitur in idem coeunt, scilicet omnia, quae supra retulimus, immemorabilem cultum Ven. Lanuino praestitum asserunt, probant, confirmant, extolluntque.

Dignamini etiam vos, Emi Patres, sapientia summa, qua praediti estis, fulgidissima argumenta, quae attulimus, diligenter expendere, ac serio examinare. Vos, qui inter florem et florem inter lepram et lepram facile discernitis, allatas probationes nedum sufficientes, sed superabundantes cum gaudio vestro dicetis.

Confido igitur, Vos, Emi Patres, propositum dubium affirmative dimissuros, ac sententiam Rmi Ordinarii Squillacensis esse confirmandam absque animi anxietate, iudicium feretis.

De hoc magnopere exultabunt Dioecesis Squillacensis, et finitimi populi. Exultabit et universus Carthusianorum Ordo, qui per asperrimas vias, motuque Angelorum coelum petit.

Laetabitur et Mater Ecclesia tantorum filiorum felicissima Genitrix, quaeque ceu militans super hanc miseram terram, et quamplurimis hodie obruta procellis, ab hisce filiis ad Coelorum mansiones provectis opem poscit, ut nymbis procellisque

e medio ablatis, ac duce placidissimo vento; vaga S. Petri Cymba occupet portum in pulcritudine et opulentia pacis.

Demum respicere dignamini ad fervidissima vota praestantissimi Viri Religiosi P. D. Aloysii Iosephi de Vaulchier, Postulatoris et Procuratoris Generalis Ordinis supradicti, qui sapienti consilio, plurimisque adhibitis curis, hanc sui Ordinis gloriam e sepulcro evocavit. Ad huiusmodi Vota lubentissime accedo et ego, eorum rationabilitatem, gravitatemque confirmando.

VALVEN. et SULMONEN. Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti ven. Servo Dei Falco Eremitae patrono Oppidi Palenae sancto nuncupato.

Inter ceteros viros, qui non modo verbi Dei praedicatione, sed etiam praeclarissimis virtutum exemplis Dioeceses Valvensem et Sulmonensem illustrarunt, Falcus Eremita iure connumerandus est. Is una cum aliis sex Anachoretis, duce Hilarione Abbate, vitam mundi eiusque illecebras contemnens, e Calabriae finibus, Saracenorum armis ac vexationibus exagitatus, in regionem Pelignam commigravit, ubi ut animas Deo lucrifaceret, tamquam eximius Christi adiutor strenue adlaboravit. Postquam vero cum sociis quamplurimos e perditionis via ad salutis tramitem revocaverit, meritis plenus constitit in silvestri oppidulo sito supra montem prope Palenam, ubi vitam solitariam ducens, caelestem beatitatem adhuc in terris libare visus est. Quare dilectus Deo et hominibus inibi placidissime ad superos evolavit, sepultusque fuit in Ecclesia sub titulo Sancti Aegidii Abbatis. Eius sepulcrum adeo fuit gloriosum, ut extemplo Ecclesia illa non solum voce Christifidelium et Episcoporum consensu, verum etiam ex Bulla Summi Pontificis Innocentii VII., qui antea fuerat Canonicus Cathedralis Basilicae Sulmonensis et Praepositus Valvensis, a Sanctis Aegidio et Falco fuerit nuncupata. Sacras istius exuvias subinde Palenam delatas, et in Ecclesia Matrice religiosissime reconditas, multis prodigiis enituisse traditum est. Quum tamen cultus ecclesiasticus eidem Falco antiquitus et indesinenter praestitus, nondum ab Apostolica Sede authentico Decreto recognitus fuerit; Rñus Dñus Tobias Patroni hodiernus Episcopus Valven. et Sulmonen., autumans ope monumentorum, sedula ac solerti cura sui Vicarii Generalis con-

quisitorum, demonstrare se posse a tempore immemoriali ac longe ante Decreta fel. rec. Urbani Papae VIII. praefato Dei Famulo tributum fuisse publicum cultum ecclesiasticum, obtinuit a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII. per Decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 17 Februarii vertentis anni, ut in hac Causa ab ordinaria et iuridica inquisitione dispensaretur, cuius vice plane supplebat series praefatorum documentorum in authentica forma in Actis Sacrae ipsius Congregationis rite exhibitorum.

Hinc instante ipsomet Rmo Antistite, quum in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, per me infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum, loco et vice Emi et Rmi Dni Cardinalis Raphaëlis Monaco La Valletta, Causae Ponentis seu Relatoris, sequens Dubium discutiendum fuerit propositum: *An constet de casu excepto a Decretis fel. rec. Urbani Papae VIII., in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu constare de casu excepto a Decretis fel. rec. Urbani Papae VIII.* Die XXVII. Iunii MDCCCXCIII.

De quibus facta postmodum per meipsum subscriptum Cardinalem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, cultum publicum ecclesiasticum Beato Falco Eremitae ab immemorabili tempore praestitum, confirmavit. Die 2 Iulii, anno eodem.

C. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, S. R. C. *Secretarius.*

DECRETUM GENERALE. De praeeminentia inter festa primaria et secundaria eiusdem ritus.

Die 27 Iunii 1893.

Iamdudum apud viros sacrae liturgiae peritos quaestio agebatur, gravissimi sane momenti, quoad praeeminentiam inter festa primaria et secundaria eiusdem ritus. Verum, hac controversia nondum composita, identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, ac plura particularia edidit Decreta, quin umquam rem per generale Decretum definiret. Quum vero hisce postremis temporibus in eiusmodi quaestione maxima esset discrepantia ex multiplici atque opposita penes scriptores sacrae liturgiae Rubricarum interpretatione; necessarium duxit Apostolica Sedes unicam tandem normam statuere, quae ubique et ab omnibus, praesertim in ordine Divini Officii uniformiter redigendo, servaretur. Quocirca Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. commisit R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotori, ut votum *ex officio* exararet, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis discutiendum; posteaquam diversae ea de re a viris in Rubricarum scientia peritis habitae fuerunt sententiae, elucubrationibus multa eruditione exornatis.

Quibus omnibus praelo cusis, communicatisque una cum voto praefati S. Fidei Promotoris, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, a me infrascripto Cardinali eidem Sacrae Congregationi Praefecto et Relatore, sequens Dubium propositum fuit, videlicet: *An festa secundaria Domini, B. Mariae Virg., Angelorum, Ss. Apostolorum, aliorumque Sanctorum praeferenda sint festis Primariis eiusdem ritus et classis, sed minoris personalis dignitatis, tam in occursu, quam in concursu, et in eorumdem repositione!*

Itaque Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, mature perpensis rationibus tum a memoratis viris, tum a R. P. D. Promotore S. Fidei adductis, ita rescribendum censuerunt: *In voto R. P. D. Promotoris Fidei, nimirum: Festa Primaria utpote solemniora, aliis secundariis in casu praeferenda esse tam in occursu quam in concursu, ad formam Rubricae X. de Translatione festorum n. 6. Quod si eadem festa transferri contingat, in illorum repositione servetur ordo praescriptus in*

memorata Rubrica n. 7; et fiat catalogus festorum, quae uti Primaria, vel secundaria, retinenda sunt. Die 27 Iunii 1893.

Demum his omnibus Sanctissimo eidem Domino Nostro relatis per me ipsum infrascriptum Cardinalem Praefectum, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habuit, et confirmavit, iussitque ita, et non aliter Rubricarum praescripta hac in re esse interpretanda: Rescripta, seu Decreta, tum generalia tum particularia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 2 Iulii, anno eodem.

CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA
S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

Vincentius Nussi, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM. De novo officio et Missa s. Familiae.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. Consociationem a Sancta Familia, quae laetos atque uberes fructus iam in Ecclesia ferebat, per Litteras diei XIV Iunii superioris anni eo salutari consilio approbavit, ut familiae christianae arctiori pietatis nexu Sanctae eidem Familiae devincirentur, et Iesus, Maria ac Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tuerentur ac foverent. Quo vero inter fideles cultus erga eamdem Sanctam Familiam in dies augeatur, plurimi amplissimi diversarum nationum Episcopi ipsi Sanctissimo Domino Nostro humillimis precibus supplicarunt, ut, quemadmodum iam in aliquibus locis obtinebat, Officium et Missam in honorem Sanctae Familiae Nazarenae sibi, religiosisque Congregationibus petentibus concedere dignaretur.

Porro, quum in peculiari officio, iamdiu in quibusdam Dioecesibus adhibito, nonnulla immutare opus esset; visum fuit novum Officium et Missae schema conficere, quod reapse de speciali Apostolica Auctoritate concinnatum, et prouti in superiori exemplari prostat, per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, una cum R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore diligenter revisum, a meipso Cardinali subsignata die eidem Sanctissimo Domino Nostro exhi-

bitum fuit. Sanctitas vero Sua illud in omnibus approbare dignata est, benigneque indulsit, ut Festum ipsius Sanctae Famliae cum Officio ac Missa propriis a singulis Sacrorum Antistitibus pro Clero sibi commissae Dioeceseos, atque a religiosis Congregationibus petentibus, sub ritu Duplicis maioris Dominica III. post Epiphaniam recoli valeat: simulque mandavit, ut in locis ubi huc usque Festum Sanctae Familiae celebratum est, illud praefatae Dominicae III post Epiphaniam affigatur, novumque Officium cum Missa antiquo in posterum substituatur: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Iunii 1893.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

Animadversiones

1. Novum de Sancta I. M. et I. Familia officium cum Missa concinnatum et approbatum est.

2. Officium istud non est praeceptivum, sed iis conceditur Dioecesibus, religiosisque Familiis, pro quibus Episcopi Ordinarii, vel Praepositi, illud a S. R. Congregatione postulaverint: uti Emus Vicarius iam petiit pro Urbe ac suburbicaria Dioecesi Albanensi, illi commissa.

3. Utpote Dominicae affixum et non universale, Officium de Sancta Familia iure translationis per se destituitur. Cum nihilominus nonnullae Dioeceses officia Dominicis vel Feriis affixa transferendi privilegium in genere possideant, hinc et IX lectio posita est, quae Homiliae Dominicae sufficietur, si transferatur. Idem translationis privilegium, si petitum obtineri facile poterit.

4. Festum huiusmodi secundarium est, ut tam in Occursu quam in Concursu, cedere debeat festo alii primario personalis dignitatis inferioris, si ambo eiusdem ritus, iuxta Generale Decretum d. d. 27 Iul. 1893.

5. Anno proximo 1893, Dominica III post Epiphaniam incidit in Septuagesimam. Uti per evulgandum Decretum palam fiet, praefata Dominica pro hac tantum vice, quamvis festo S. F. praevaleat per se, nihilominus ad ritum simplicem redigetur, ne vel penitus omittatur, vel idem festum, primo celebrandum, translationem patiatur. Haec sint satis.

VICARIATUS apostolici Carolinae septentrionalis.
Dubium quoad orationem dicendam quum s. Ioannes Baptista est titularis ecclesiae.

Rmus D. Leo Haid O. S. B. Vicarius Apostolicus Carolinae Septentrionalis in Foederatis Americae Provinciis Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: « In Ecclesiis quarum Patronus seu Titularis est Sanctus Ioannes Baptista, quanam oratione utendum est pro suffragio eiusdem in Laudibus et Vesperis, scilicet: Oratione de Nativitate an de Decollatione Praecursoris? »

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: Recitanda Oratio de festo Nativitatis, immutata voce *Nativitate* in vocem *Commemoratione*. Atque ita rescripsit et servari mandavit die Iunii 1893.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

PORTUS Ludovici. Dubium quoad preces dicendas post missam.

Rmus D. Leo Meurin Archiepiscopus hodiernus Episcopus Portus Ludovici Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: Quum in quibusdam Ecclesiis usus invaluerit recitandi, post Missas privatas quae pro animabus in purgatorio detentis in Altari privilegiato celebrantur, plures preces indulgentiis ditatas, scilicet: De profundis, actus fidei, spei et caritatis, S. Cor Mariae, ora pro nobis, et orationem pro defunctis, quaeritur: utrum preces a Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII post Missam privatam recitari praescriptae in casu praedicto omitti possint: Et quatenus Negative, utrum memoratae preces pro defunctis illis adiici valeant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, vicelicet: Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam. Atque ita rescripsit die 23 Iunii 1893.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

SANCTI CHRISTOPHORI DE HAVANA
Dubium quoad calendarium utendum a parochis religiosis.

Rmus D. Emmanuel Santander Frutos, Episcopus S. Christophori de Havana Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: « Ordines Religiosi, vulgo Congregationes nuncupati, qui remunerationem a Gubernio civili accipiunt ut Dioecesanis Ecclesiis inserviant, debentne sese conformare Calendario Dioecesano in Officio persolvendo Sacroque peragendo? » Sacra autem eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: Si Religiosi gaudeant proprio Calendario Negative; secus, Affirmative. Atque ita rescripsit et declaravit die 23 Iunii 1893.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

FIRMANA dubium quoad communionem Monialibus distribuendam.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Hamilcar Malagola Archiepiscopus Firmanus insequens Dubium pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Cengregationi proposuit, nimirum:

Ex Decreto *Lincien.* diei 4 Iunii 1892 ad XIV (1), Sacerdos pro distribuenda Communione Monialibus debet, si chorus retro post altare habeatur, post recitatum a ministro vel ab ipsis Monialibus *Confiteor* deponere pyxidem ad fenestrellam chori, et ibi ad Moniales conversus dicere *Misereatur* etc. *Ecce Agnus Dei* etc. Verum Communio administrari potest Monialibus, tam extra quam intra Missam, et quandoque accidit, ut simul ministrari quoque debeat inservienti Missae, vel etiam fidelibus. Praeterea in Communione extra Missam, non solum aliquae praescriptae sunt preces in Rituali Romano ante Communionem dicendae, sed nonnullae quoque, postquam Eucharistia administrata fuerit, recitandae; et denique ipsa benedictio danda praescribitur post administratam Communionem. Cum autem ex eodem Decreto non satis constet, utrum haec omnia in quacumque Monialium Communione peragi semper ad chori fenestellam

(1) Adest decretum hoc Vol. XXV, 58.

debeant, quando retro post altare situs est chorus; hinc ut in iisdem exequendis ritibus necessaria haberi possit uniformitas, quaeritur: An dispositio Decreti Lincien. intelligenda veniat *absolute,* an tantum *sub quibusdam limitibus?*

Porro Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, rescribendum censuit; *Negative ad primum, affirmative ad alterum; et ad mentem.* Mens autem est, ut Decretum in Lincien. ad Dub. XIV intelligi debeat de Communione ministranda tantum extra celebrationem Missae a Sacerdote stola et superpelliceo induto, et solis Monialibus, quando chorus vel retro post altare situs est, vel ab altari nimis distet.

Iis tantum in casibus, iisque rerum et locorum adiunctis, sive praecedentes sive sequentes preces in Rituali Romano praescriptae, ritusque reliqui ad fenestellam Monialium locum habeant; in aliis vero quibuscumque casibus servetur Rituale Romanum, et omnes praescripti ritus et orationes semper ab altari persolvantur. Atque ita servari mandavit die 13 Iunii 1893.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

DECRETUM S. C. Concilii — quo reprobatur collectio eleemosynarum missarum, eo consilio ut committatur celebratio earumdem sacerdotibus, quibus loco pecuniae aut libri, aut merces rependuntur.

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem adamussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis:

« I. an turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et « poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab « Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, « qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quo- « cumque modo missarum eleemosynas colligunt, et sacerdo- « tibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed « libros aliasve merces rependunt:

« II. an haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, « nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus « celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respon- « deant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis « missarum carentibus subvenitur:

« III. an huiusmodi eleemosynarum collationes et erogatio- « nes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab « Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosy- « nis permutatione hauritur, non in proprium colligentium com- « modum, sed in piarum institutionum et bonorum operum « usum vel incrementum impenditur:

« IV. an turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi « atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fide- « libus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, « mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive « non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine:

« V. an turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi « et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis, et mer- « catoribus recipiunt pro missis celebrandis libros aliasve mer- « ces, harum pretio sive imminuto sive integro:

VII. an liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex elee- « mosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tra- « dere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento « consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant:

in peculiari conventu anni 1874 S. C. resolvit:

« Ad I. Affirmative.

« Ad II. Negative.

« Ad III. IV. et V. Affirmative.

« Ad VII. Negative, nisi de consensu oblatorum. » (1)

Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares huius- modi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse

(1) Recule Vol. VIII, 107, 650 et seqq.

et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos: laici demum excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus maior missarum numerus congeritur quam iusta necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XIII in const. *Cum saepe contingat,* alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio, primo distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, qui eis indigere noverint: alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus, quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis, quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subiectis, aliisque quorum ex praescriptis interest notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam

allegare, aut ab huius decreti observantia se excusare quomodolibet possit: et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae die 25 Maii 1893.

ALOYSIVS Card. Episcopus Sabinensis
Praefectus.

L. Salvati *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI, die 14 Iulii 1893.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, die 14 Iulii 1893, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Mariano Raffaele. — *Gli Evangelii Sinottici - Realtà o invenzione? Studii.* — Napoli, Tipografia della Regia Università. 1893.

Cadorna Carlo. — *Religione - Diritto - Libertà. - Della condizione giuridica delle Associazioni e delle autorità religiose negli Stati civili. — Edizione postuma curata dal Generale Cadorna, con cenni biografici del Senatore M. Tabarrini, Presidente del Consiglio di Stato.* - Vol. 2. Ulrico Hoepli Editore-Libraio della Real Casa. Milano, 1893.

Amabile Luigi, già Prof. ord. di Anatomia patologica nella Regia Università di Napoli, già Deputato al Parlamento Nazionale.— *Il Santo officio della Inquisizione in Napoli. - Narrazione con molti documenti inediti.*— Vol. 2. Città di Castello, S. Lapi Tipografo-editore, 1892.

Mantegazza Paolo. — *Fisiologia della donna.* — Vol. 2. Milano, Fratelli Treves Editori, 1893.

Negri Ada. — *Fatalità.* — Milano, Treves, 1893.

Guidotti Giovanni, Preside del R. Istituto tecnico di Palermo. — *I tre Papi, ossia La pace fra le Chiese cristiane.* — Palermo-Torino, Carlo Clausen, 1893.

Ferrière Emile. — *Les mythes de la Bible.* — Paris, Félix Alcan Editeur, 108, Boulevard Saint-Germain. 1893.

Mivart St. George — " *Happiness in Hell* „ (Nineteenth Century) London, December 1892, — et " *The Happiness in Hell* „ ibidem, Febb. 1893 — et *Last Words on the Happiness in Hell,* ibidem Apr. 1893. *Decreto S. Off. Feria IV Die 19 Iulii 1893.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 14 Iulii 1893.

CAMILLUS Card. MAZZELLA Praefectus

Fr. Hyacinthus Frati O. P. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 24 Iulii 1893 ego infrascriptus Mag. Cursorum testatur supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in urbe.

Vincentius Benaglia, *Mag. Curs.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

EXEMPLAR supplicis libelli, mittendi ad s. Tribunal s. Poenitentiariae Romanae pro dispensationibus matrimonialibus exposcendis (1).

Beatissime Pater,

N. N. annos natus .....
et N. N. annos nata .....
dioecesis N..... ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, humiliter postulant dispensationem super impedimento

ut legitimum inter se matrimonium contrahere possint.

Causae sunt

1. Aetas oratricis.
2. Defectus dotis.
3. Angustia loci.
4. Cura prolis e superiori matrimonio susceptae etc.

Oratores pauperes sunt

Testamur vera esse exposita et oratores pro gratia commendamus.

Datum .....

(1) Specimen eiusmodi supplicis libelli apprime commendabile videtur tum brevitate, tum claritate: quo fit ut Curiae episcopales, paucis usae verbis, innuant quid petant, et causae quibus petitio innititur patefiant. Officiales autem huius sacri Tribunalis, quamplurimis pressi negociis explendis, quasi ictu oculi, deprehendunt quid petatur, quibusque de causis petatur.

APPENDIX I.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

Instr. S. C. S. Officii 4 Februarii 1891 — Ad Vic. Ap. Iaponiae Merid. Instructio quoad nonnulla matrimonia in Iaponia.

Ex litteris Ampl. Tuae die 1 Nov. 1888 datis cognitum est incolas insulae Kitzuki, ex progenie veterum christianorum retinere quidem latinarum precum usum, earum tamen vim ignorare; recipere baptismum, sed de illius valore dubitari; ethnicorum more vivere, eorumque matrimonia tum ex divortii consuetudine, tum ex aliis impedimentis, quibus passim obstringuntur, invalida ut plurimum habenda esse: atque hanc abnormem eorum conditionem gravissimas parere difficultates cum in verae Ecclesiae gremium recipiendi sunt. Petis proinde ut ea super re certa tibi tuisque missionariis agendi norma praefiniatur. Cui petitioni libenter obsecundantes Emi PP. ea quae sequuntur tibi respondenda mandarunt.

Imprimis haud placet silentium illud quod a Te tamquam generalis regula praescriptum est circa praeteritas nuptias et praesentes uniones eorum, qui ad veram fidem redire cupiunt. Singuli enim casus explorandi prudenter, et diligenter, examinandi sunt, ut eis, prout necessitas postulat, consulatur. Nam bona fides, et ignorantia invincibilis (si tamen adsit) excusare a peccatis poterit eos qui in illicita et invalida unione vivunt: efficere tamen ut ea unio verum matrimonium sit, non poterit. Neque facile ipsa matrimonia invalida ea etiam de causa iudicanda sunt, quia cum opinione indissolubilitatis seu cum intentione divortii inita fuerint. Nam tum solummodo huiusmodi erronea opinio

MONITUM. — **Saepenumero accidit, ut ad manus nostras perveniant acta Apostolicae Sedis maximae utilitatis, edita aut peractis temporibus, vel haud dudum; quae tamen prius omnino nos latuerant. Ne Ephemerides nostrae, optimique lectores hoc priventur commodo, censuimus eadem ista acta, quando nobis innotescant, per appendices parvas referre, notando, ope cuius s. Congregationis, Rom. Pontifex haec protulerit.**

et intentio matrimonium invalidat cum in pactum deducta fuerit; quod pactum ex verbis, quibus consensus expressus fuerit patefiet.

Ut via aperiatur instaurando iuxta christianas leges conscientiarum ordini in insula Kitzuki, primo ac praecipue investiganda erit validitas baptismatis singulis collati, habitis prae oculis responsionibus quas Suprema haec Congregatio S. Officii ad dubia dedit Vicar. Apostolico Iaponiae feria IV die 11 Martii 1868. Ex hac investigatione nonnulli invalide, plures dubie, aliqui valide baptizati reperiri poterunt. Qui invalide baptismum receperunt, tamquam ethnici habendi sunt, ac proinde si isti matrimonia inter se contraxerunt, nisi obstet aliquod impedimentum iure naturae dirimens, vera habenda erunt. Qui valide aut dubie baptizati fuerint, ii subsunt impedimentis etiam iure ecclesiastico dirimentibus, excepta clandestinitate, quae isthic non viget. Qui idcirco si inter se matrimonia inierint, et nullo alio impedimento dirimente ligati fuerint, eorum matrimonium validum censendum erit. — At fieri potest ut una pars valide aut dubie, altera vero invalide baptizata fuerit. Hoc in casu eorum matrimonium nullum erit ob cultus disparitatem. Quando autem matrimonia invalida non deprehendantur ob disparitatem cultus, locus erit investigationi aliorum impedimentorum, quibus contrahentes fortasse detinebantur, et praesertim affinitatis quae facillime in memorata insula contrahi refers. Nec deterreri se ab huiusmodi investigatione missionarii facile sinant: nam studiose quidem ea peragenda erit, sed simul caute prudenterque, et opportune monitis iis, quorum interest, eam secretissimam, ipsis autem nulli detrimento, imo magno commodo futuram: tum quia, propriae eorum conscientiae consuletur, tum quia, detecta prioris coniugii nullitate, in ea in qua vivunt unione, adhibitis etiam dispensationibus, quibus opus fuerit, perseverare permittentur.

Ex his colliges quid in singulis casibus agendum sit. Si constiterit eos qui actu in putati matrimonii possessione reperiuntur, iustis praecedentibus nuptiis esse ligatos, non poterunt ad baptismum admitti nisi separentur. Si vero constiterit primas eorum nuptias per divortium solutas, fuisse nullas, ad baptismum admittantur, nisi forte alio impedimento dirimente obstricti sint; quo in casu, si impedimentum sit ex iis, super quibus Ecclesia dispensare solet, praevia dispensatione, cuius impertiendae, harum literarum vigore necessariae Tibi et opportunae facultates conceduntur, et renovato consensu, in eadem unione relinquantur.

Quod si, instituta diligenti investigatione, dubium adhuc de valore priorum nuptiarum perseveret, nec dilui possit, tunc, dummodo alia

non obsint impedimenta super quibus Ecclesia non potest aut non solet dispensare putati coniuges baptizandi, in bona fide et in actuali matrimonii possessione relinquendi sunt. In casibus autem difficilioribus, uti si ex. gr. primae nuptiae impotentiae aut vis et metus vitio laborent, res referenda est ad S. Sedem, transmissis actis, et accurate expositis omnibus casus adiunctis.

Si denique ambo coniuges invalide baptizati dignoscantur, et alter tantum converti velit, tunc facile fieri poterit ut huic consulatur per legitimum usum privilegii a D. Paulo in favorem fidei promulgati, interpellato scilicet priori coniuge infideli. A qua interpellatione, si iustae rationabilesque causae adsint, dispensabitur. Iustae autem huiusmodi causae tunc aderunt cum ex processu saltem summario et extraiudiciali moraliter constet coniugem infidelem interpellari non posse, aut interpellationem vel inutilem vel graviter periculosam futuram esse. Matrimonium vero eius cum quo dispensatum fuerit, etiamsi postea innotuerit coniugem infidelem suam voluntatem iuste impeditam declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore initi matrimonii conversum fuisse, nihilominus numquam rescindi, sed validum esse debebit.

Const. Pii PP. V. 2 Augusti 1571 — Indulgetur Indis habere uti legitimam uxorem quae cum viro baptizatur.

Romani Pontificis aequa et circumspecta providentia, ne ea quae pro salubri Indorum noviter ad fidem conversorum directione sanciri debent et terminari, alicuius haesitationis scrupulo subiaceant, declarationibus et aliis opportunis consuevit providere remediis. Cum itaque sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est quod recipientibus Baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existit ; et quia saepenumero contingit illam non esse primam coniugem, unde tam Ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium ; sed quia durissimum est separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi Baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire : ideo Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Episcopos et Ministros ab huiusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, ac apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, sic ut praemittitur baptizati, et in futurum baptizandi, cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant, tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, declaramus, matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere etc.

S. C. S. Officii 5 Augusti 1759. — Episcopus Coccinensis.
Dubia quoad matrimonium infidelium, quorum alter convertitur, alter minime.

Saepe contingit ut, ex duobus infidelibus, alter convertatur ad fidem, alter converti quidem tunc nolit, consentiat tamen cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris, et quin eum pertrahat ad mortale peccatum, imo promittat se quoque fidem postea amplexaturum, quod ob aliquam specialem rationem aliquamdiu differre necessarium ducit. Quare fidelis infidelem non dimittit, sed cohabitare pergunt ut coniuges, idque ad longum tempus et aliquos etiam annos: at postea infidelis, mutata voluntate, non solum converti non vult, sed tentat fidelem pertrahere ad idolorum cultum, vel discedit, nec iam consentit habitare cum illo, imo ad alias nuptias ipse transit. Quaeritur:

1. An in hoc casu possit etiam fidelis derelictus discedere, et ad alias nuptias transire, habeatque hic locum privilegium ab Apostolo promulgatum: *Si infidelis discedit, discedat.*

2. An id solum habeat locum quando infidelis discedit odio fidei, an etiam quando discedit propter discordias, vel aliam causam a fide diversam.

3. An etiam possit fidelis transire ad alias nuptias quando infidelis quacumque de causa ab eo discessit, nec sciri potest vivat adhuc necne.

4. An fidelis, qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eum pertrahat ad mortale peccatum.

5. An aliquo, et quanto tempore possit fidelis post conversionem cohabitare cum infideli, quin privetur potestate transeundi ad alias nuptias?

R. Ad 1. In casu de quo agitur, affirmative.

Ad 2. Cum militet ex parte coniugis conversi favor fidei, eo potest uti quacumque ex causa dummodo iusta sit, nimirum si non dederit iustum ac rationabile motivum alteri coniugi discedendi, ita tamen ut tunc solum intelligatur solutum iugum vinculi matrimonialis cum infideli, quando coniux conversus, renuente altero post interpellationem converti) transit ad alia vota cum fideli.

Ad 3. Praemittendam esse interpellationem qua intimetur coniugi infideli an velit converti, a qua interpellatione Apostolica Sedes iustis de causis dispensat.

Ad 4. Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione, dummodo

nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris: quare, si infidelis non servat supradictam conditionem, adhibenda sunt iuris remedia ad hoc ut eam servet: alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quoad vinculum; quocirca in casu de quo agitur, coniuge infideli superstite, non potest fidelis ad alia vota transire.

Ad 5. Conversus ad fidem, in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli, adhuc superstite contracti, sed tunc acquirit tantummodo ius transeundi ad alias nuptias, cum coniuge tamen fideli, idque si coniux infidelis renuat post interpellationem converti. Ceterum tunc solum coniugii vinculum dissolvitur, quando coniux conversus ante susceptionem Baptismi habeat plures uxores, et prima recusat amplecti fidem: tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere dummodo fidelis fiat, sed in hoc casu contrahentes mutuum consensum coram parocho et testibus renovare debent.

S. C. S. Officii 29 Ian. 1805. — Vic. Ap. Chan-si et Chen-si. Dubia de matrimonio infidelium; in quo mulier vendita fuit. etc.

Audito Dei verbo a quodam gentili qui, post venditam legitimam uxorem, alteram duxit, nunc cum sua ficta uxore petit Baptisma. Missionarius eum docuit necessario esse faciendam venditae uxori interpellationem; qua facta legitima uxor respondit quod vehementissime peroptat redire ad suum primum coniugem; ipsa namque, cognita religionis christianae veritate, Christo nomen dare intendit eo vel maxime quia christiana fieri prohibita fuit a suo emptore, qui eam in uxorem duxit, et ex quo procreati sunt varii filii; qui neque permittit ei observare legem Dei, nec in ea educare filios; et, quod peius est, illicitum illegitimumque contractum matrimonialem scindere recusat, eoque renuente, nec a iudice cogi potest, proindeque nullus est modus, absque dictae mulieris emptoris consensu, ut ad legitimum consortem a quo fuit vendita, redire queat.

1. Quaeritur num venditor uxoris baptizari possit, ita ut cum sua uxore post Baptisma matrimonium revalidari possit, ut habetur in folio I. facultatum, n. 11, cui repugnat illa clausula: *nisi prima voluerit converti.*

2. Item quaeritur utrum baptizari possit uxor vendita quae nullo modo discedere potest e domo sui emptoris, si ab eodem obtineat se-

parationem tori, et post clanculum observet legem Dei, licet in ea educare nequeat proprios filios.

Difficultas maxima circa primum quaesitum est, quia venditor, nisi recuperare potest legitimam uxorem, non vult dimittere aliam.

Circa secundum quaesitum, obtenta tori separatione, an non infidelis poterit mutare consilium? Posito etiam quod non mutet consilium, quomodo reparari poterit scandalum? Credentne infideles aeque ac christiani, quod inter huiusmodi fictitios coniuges adsit praedicta tori separatio?

R. Ad 1. Iuxta ea quae proponuntur, negative quoad revalidationem matrimonii, et item quoad Baptisma, nisi ab adulterino concubitu desistat: monendus interim erit de obligatione, quam habet redimendi, si possit, et cum primum poterit, venditam uxorem.

Ad 2. Praehabita separatione tori ab illegitimo coniuge, affirmative; dummodo se abstineat etiam ab omni actu idololatriae et christianae fidei quomodolibet adverso. Quod si videat in praxi id praestare non posse, et proximum adsit periculum relapsus vel scandali, moneatur de obligatione, quam habet, confugiendi ad alias regiones cum primum poterit, et redeundi ad suum legitimum coniugem iuxta adnexam Instructionem.

Instructio. — Merito dubitantes an non timendum sit ne mulier vendita quamdiu versabitur in potestate emptoris, qui eâ hactenus abusus est, in proposito non perseveret abstinendi cum a carnali commercio tum ab omni opere vel sermone idololatriam exprimente vel quolibet modo christianae fidei opposito, ac proinde ad statum infidelitatis relabatur; Emi·DD. A. Tuae commendant ut antequam venditae huic mulieri petitum ab ea baptismum conferat, omnem suum zelum adhibeat ad tentanda media opportuna, per quae prout ferre poterunt locorum circumstantiae, mulier illa redimi queat, sive legitimum ipsius consortem, qui et ipse christianam cupit amplecti religionem, exhortando ad id praestandum, sive alio quovis modo, sive venditae mulieri insinuando, ut omnes inquirat vias tentandi fugam a domo emptoris quandocumque poterit. Si autem neque his neque aliis quibusdam modis e manibus emptoris liberari queat ista mulier, tuum erit examinare utrum firma persistat in proposito fidem christianam amplectendi et baptismum suscipiendi; atque in primis an prompta sit ad reiiciendam quamcumque inhonestam emptoris invitationem, et omne cum eo carnale commercium, et ad renunciandum cuilibet actui vel idololatriae, vel quavis alia ratione christianae religioni contrario: si stantibus iisdem localibus circumstantiis, A. Tua spem ac securitatem moraliter certam habere

queat praefatam mulierem in tali esse proposito atque in eo perseveraturam esse, (quod quidem sapientiae ac prudentiae tuae discernendum relinquitur) tunc optatum ei baptismum conferre poteris, cui certe vis inerit ad firmandum roborandunque sincerum ipsius atque efficax propositum. Deficiente autem praedicta spe ac securitate moraliter certa, tum A. T. cum eodem suo notissimo zelo in ea muliere fovere nitatur iam conceptum desiderium christianae fidei amplectendae, ac proinde baptismi suscipiendi, ubi primum, mutatis specialibus in quibus versatur circumstantiis, id exequi poterit sine contumelia Creatoris et reatu peccati; quo nimirum, in casu saltem gravis infirmitatis, aut mortis periculo, privata non maneat medio ad aeternam salutem tam necessario.

Ex Instr. S. C. S. Officii 16 Sept. 1824 — (ad Archiep. Quebecen.).
Dubia quoad matrimonium infidelium, muliere amplectente christianam religionem.

Dubia proposita: — 1. Vir et mulier infideles plures annos vixere simul tamquam coniuges. Contendit mulier se a viro acceptam fuisse in uxorem cum promissione perpetuae cohabitationis. In huiusmodi porro promissione (accedente copula) consistit totum matrimonium inter istos infideles iuxta morem regionis. At vir negat quod talem promissionem unquam emiserit, seseque liberum existimans, eamdem dimisit cum filiis ex mutua eorum cohabitatione procreatis. Dimissa mulier christianam religionem amplectitur, licetque cum priore viro remanere possit absque perversionis periculo, si ille de suis promissis admonitus eisdem stare vellet, quaeritur an, eo renuente, ipsa matrimonium cum viro christiano inire possit? Et quatenus affirmative, an prior quoque vir, si postea ad fidem convertitur, possit etiam aliam christianam uxorem ducere?

2. Mulier quaedam infidelis coniugem aeque infidelem duxerat, quem sine causa reliquit, adhaesitque viro christiano, quem ipsa facta christiana in coniugem accipere vult. Quaeritur an cum eo iungi possit, spreto primo coniuge infideli, qui ad alias terras transivit nec verisimiliter in patriam reversurus est?

R. Ad 1. Nihil propositi dubii species praeseferre dignoscitur quod ex traditis a Benedicto XIV (De Syn. Dioec. l. 13. c. 21) facilis non sit solutionis. Duo enim ibi Pontifex ponit principia: 1. Matrimonia infidelium dissolvi posse si coniugum alter ad catholicam convertatur fidem, remanente altero in infidelitate ac renuente cum coniuge converso cohabitare; vel si voluerit, non tamen absque contumelia Crea-

toris; ideoque partem conversam posse inter catholicos ad alia vota transire. 2. Constare tamen debere de infidelis coniugis renuentia, non ex sola praesumptione, sed per iudicialem eiusdem interpellationem, nisi interveniat Apostolica dispensatio.

Iam vero quoad primam dubii partem: renuit, ut exponitur, vir infidelis stare promissis de perpetua cum muliere cohabitatione, imo negat se huiusmodi emisisse promissa ac proinde se verum iuxta morem regionis contraxisse cum ea matrimonium; negat igitur se illam habuisse, et habere velle in uxorem. Quod, ut quisque videt, plus est quam simpliciter declarare « se cum ipsa cohabitare nolle »; sufficeret autem haec declaratio: eo ergo magis sufficere dicendae sunt recensitae casus circumstantiae ad hoc ut liberum sit conversae mulieri aliud matrimonium inire. Neque obstat quod mulier remanere posset cum infideli coniuge absque perversionis periculo, si ipse admonitus de promissis cum ea cohabitare vellet: nam et admonitus iam supponitur, et renuere asseritur.

Animadvertendum tamen est haud satis esse extraiudicialem notitiam renuentiae viri infidelis ante mulieris conversionem, praesertim si nullo comprobetur authentico aut publico documento. Non enim tuto in tam gravi negotio adhiberetur fides unius dimissae uxoris assertionibus. Oportet igitur iudicialiter virum interpellare, antequam facultas fiat mulieri novum ineundi matrimonium, nisi concurrant circumstantiae ab eodem Benedicto XIV indicatae, ob quas utendum sit Apostolica dispensatione, ut fusius dicetur ad dubium secundum.

Quo vero ad secundam partem dubii: disputant equidem inter se theologi et canonistae, quaestionemque se intactam relinquere declarat laudatus Pontifex in sua Constitutione *Apostolici ministerii* (super abusu libelli repudii conversorum a iudaismo ad fidem catholicam): an scilicet qui ex coniugibus in infidelitate perseverat, in poenam suae perfidiae illigatus remaneat, vel ubi coniux conversus ad alias iam transit nuptias, liber et infidelis censendus sit. Ast longe dispar est praesens casus et extra quaestionem; non enim hic agitur de libertate viri in infidelitate adhuc perseverantis, sed de eius libertate postquam catholicam et ipse amplexatus est fidem, ac mulier aliud iam iniit matrimonium. Quo in casu quod favore fidei concessum est mulieri, fidei quoque favore concedendum est viro, ne alioquin ansa ei praebeant catholicam aversandi religionem, aliisque infidelibus coniugibus in infidelitate permanendi. Praecisa itaque quaestione de ligamine poenali, quae in praesentiarum locum non habet, res est ex communis iuris principiis deducenda. Principium autem iuris communis est: soluta a vinculo

coniugali muliere, solutum remanere et virum. Quippe vinculum est inter duo, seu duorum in unum, idcirco libertas unius libertatem infert alterius. Nec refert inquirere an vir revera emiserit, vel non, assertam promissionem, scilicet an verum constiterit ipsum inter et dictam mulierem matrimonium. Quandoquidem non matrimonii dubietas in causa est eius solutionis, sed renuentia cohabitandi, quin imo solutio verum matrimonium supponit.

Ad 2. Duo in hoc dubio asseruntur, unde eius auctor videtur rationem sumere dubitandi: nempe viri per mulierem facta derelictio, et eiusdem viri in alias terras transmigratio, in patriam verisimiliter non reversuri. Sed exploratum est horum neutrum valere ad hoc ut mulier facta christiana possit absque dispensatione Apostolica alteri nubere, *spreto,* idest non interpellato altero coniuge. Et sane: non valet primum quia cum matrimonium infidelium, cui nullum obstet impedimentum iuris divini aut naturalis, validum sit et indissolubile, nedum arbitraria alterutrius derelictione non solvitur, sed neque mutuo amborum coniugum consensu nec voluntate dirimi potest. Subsistit igitur coniugale vinculum, nec potest solvi omissa viri interpellatione. Neque valet secundum, ut hinc dici queat, cessare in casu obligationem interpellationis faciendae: missionarios enim latere non debet, Benedictum XIV (de Syn. Dioec. lib. 6. cap. 4. et lib. 13. cap. 21.) 1. non satis tutam in praxi appellare opinionem illam, quae ponit iudicialem interpellationem licite omitti posse quoties aut fieri reipsa nequit, aut, si fieret, nullius utilitatis fore reputatur; 2. ipsumque in ea esse sententia, quam et fuisse memorat sententiam S. C. Concilii in quadam Florentina (17 Ianuarii 1722), nimirum: etiam in casu quod coniux infidelis in longinquas abierit regiones, aut ita latitet ut interpellari nequeat, adhuc opus esse dispensatione Summi Pontificis, cuius est declarare in quibusnam circumstantiis desinat obligare praeceptum divinum quo praedicta interpellatio videtur iniuncta. Iudicio autem remittitur Episcoporum in illis Missionibus versantium, quibus facta sit facultas huiusmodi concedendae dispensationis, decernere in casibus particularibus, an concurrant urgentes eae circumstantiae ob quas dispensandum sit ab interpellationis obligatione.

S. C. S. Officii 4 Iulii 1855 — Vic. Ap. Siamen.
Dubia quoad matrimonia infidelium cum christianis.

I. Cum sinenses interdum emigrantes discedant, et in regno Siamensi permanenter maneant, hinc fit ut per distantiam locorum inter-

pellatio ad coniugem infidelem pervenire nequeat, vel est multum difficilis. Quaeritur: An possit dispensari ab interpellatione coniugis, attentis facultatibus Synodi Sutchuensis, cap. IX, § 8, quae id permittit pro difficultate exquirendi partem interpellandam, vel quia in tanta est distantia ut interpellatio ad illam pervenire nequeat, vel saltem res est multum difficilis. Quod deducitur ex Brevi Gregorii XIII, die 25 Ianuarii 1585.

II. Leges in illis regionibus admittunt divortium et sinenses successive plures recipiunt uxores, et, relicta prima, habent aliquando filios a secunda muliere.

Quaeritur 1. Si prima recusat redire cum viro, facta interpellatione, neophytus potestne, praevia dispensatione disparitatis cultus, contrahere cum secunda infideli, quae tantum vult cohabitare, a qua habuit filios?

Quaeritur 2. Si secunda mulier infidelis det spem futurae conversionis, licet filios non habeat, potestne similiter neophytus coniungi cum illa, praevia dispensatione ut supra?

Quaer. 3. In casu quod secunda mulier converti velit, satis erit tantum interpellari prima an converti velit, omissa alia interrogatione an consentiat habitare pacifice?

III. Evenit aliquando quod prima mulier vendita maneat in servitute, ipsa vero ad obtinendam libertatem consentit tantum habitare pacifice.

Quaeritur: 1. An primus vir eiusdem teneatur (eam) redimere a servitute, licet non ab ipso vendita fuerit, sed a parentibus vel a secundo viro, qui postea eam repudiavit?

Quaer. 2. Si neophytus habeat secundam uxorem in infidelitate, a qua filios habuit, et haec consentit converti ad fidem, vel cohabitare in pace, potestne illam retinere, renovato consensu, et data dispensatione, si necessaria?

Quaer. 3. In casu quod prima mulier, ut a servitute liberetur, simulet se velle converti ad fidem, postea converti recuset et cohabitare pacifice, potestne coniux denuo vendere infidelibus ad recuperandam pecuniam, et cum altera in matrimonio coniungi?

IV. Si neophytus in infidelitate plures uxores habuit successive, quas repudiavit, illa autem, quam in actu conversionis retinet, consentit converti ad fidem, neophytus potestne coniungi cum ipsa, quin prima interpelletur iuxta Decretum a Pio V pro Indis sub die 2 Augusti 1571?

V. Si vir infidelis habens uxorem mulierem christianam, retineat concubinas, potestne dici hoc esse iniuriam Creatoris, ita ut in hoc

casu mulier christiana possit uti privilegio in favorem fidei ad contrahendas alteras nuptias?

VI. Titius, relicta prima uxore infideli, transit ad alias regiones, ubi edoctus et baptizatus, cum Anna christiana nupsit coram parocho sine interpellatione, celato primo matrimonio: postea ad meliora reversus culpam confitetur, et petit dispensationem ab interpellatione primae uxoris ut renovet consensum cum Anna: potestne dispensari, si adsint conditiones ad dispensandum necessariae? Titius bona fide contraxit matrimonium cum Anna et ignorabat illud esse impedimentum.

R. Respondendum esse per S. Cong. Prop. Fide R. P. D. Vic. Ap. Siamensi iuxta adnexam instructionem.

Instructio. Propositis dubiis et quaesitis Episcopi Mallensis, Vic. Ap. Siamensis, feria 4, die 4 Iulii 1835 S. C. S. Officii respondendum censuit sequenti Instructione, cum fere omnia quaesita, utpote respicientia interpellationem coniugis infidelis, faciliorem solutionem admittant si attendatur verbis et praescriptionibus Synodi Sutchuensis, quae, approbante S. Sede extensa fuit etiam ad regna Sinis adiacentia, inter quae comprehenditur etiam regnum Siamense; siquidem in cap. IX, § 8 eiusdem Synodi perspicue declaratur quando ab interpellatione dispensari possit, et quibus modis ad normam Brevis Gregorii XIII sit procedendum, et insuper praescribitur de quibus facienda sit: ibidemque reperitur quando et quomodo, prima legitima uxore renuente vel converti ad fidem, vel saltem cohabitare sine contumelia Creatoris, possit fidelis secundam ducere. At, si etiam secunda renuat converti, declarans tantum habitare pacifice, minime licitum est viro fideli. Si vero agatur de particulari casu, et gravia subsequantur mala, certior faciendus est Romanus Pontifex, ad quem recurrendum semper est in casibus extraodinariis, cum adnotatione omnium circumstantiarum. Interim standum erit praescriptionibus Synodi Sutchuensis et facultatibus a S. C. de Prop. Fide eidem Vic. Ap. impertitis. Cumque, ex eis quae habet Vic. Ap. in tertia secundi dubii quaestione, videatur inniti Apostolicis facultatibus dispensandi cum infidelibus plures uxores habentibus, ut post Baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima legitima uxor voluerit converti, atque in hoc casu sufficere ut interpelletur num velit converti, S. Cong., antequam propositae quaestioni quidquam respondeat, eidem Vic. Ap. scribendum censuit, ut afferat rationem dubitandi circa usum earumdem facultatum. Si vero agatur de legitima uxore in captivitate detenta, etsi repudiata ab altero viro, instruendus erit neophytus, ac monendus ut debitam interpellationem non omittat, a qua tantum dispensetur si adsint supra-

dictae iustae causae, servatis semper servandis. Aliunde, respondente captiva muliere (supponitur legitima) se velle aut converti aut cohabitare sine contumelia Creatoris, eam a quocumque venditam redimere non negligat, si ei suppetunt media. Nunquam vero coniugi converso licebit eam vendere, etsi mendax in suis pollicitationibus reperta fuerit. Verumtamen, si pars infidelis, etiam post longam cohabitationem cum viro converso, nedum converti recuset, sed insuper tentet fidelem pertrahere ad peccatum, vel a viro iniuste divertat, aut alias ineat nuptias, poterit conversus uti privilegio in favorem fidei concesso, ac matrimonium cum alia muliere fideli licite et valide contrahere.

Praeterea vetitum omnino est christianam nubere pagano; quod si, praevia dispensatione disparitatis cultus a S. Sede obtenta, quandoque eiusmodi matrimonium fieri contingat, notum est illud indissolubile futurum quoad vinculum, et solum aliquando quoad torum posse dissolvi, si motiva canonica adsint a iudice ecclesiastico agnoscenda. Nunquam proinde, vivente viro illo infideli, licet concubinario, poterit christiana mulier secundas inire nuptias. Si vero agatur de uxore pagana alicuius pagani concubinarii, quae convertitur, tunc facta interpellatione (ut supra), si renuat converti aut cohabitare absque iniuria Creatoris, ac proinde desinere a concubinatu (qui sine iniuria Creatoris certe haberi nequit), potuerit uti privilegio in favorem fidei concesso.

Generatim, si coniugis conversio praecesserit matrimonium cum infideli, praevia dispensatione Apostolica initum, nullo modo illo frui potest privilegio in favorem fidei concesso; si vero matrimonium praecesserit conversionem, tunc pars conversa poterit uti eo privilegio, servatis servandis, prout dictum est.

Animadvertendum est etiam, quoad impedimenta dirimentia, ignorantiam invincibilem aut bonam fidem haud sufficere ut valide contrahatur matrimonium. Etsi quandoque (quod tamen raro credendum est in praxi) illa ignorantia et bona fides excusare valeat a peccato, tamen nunquam efficere potest matrimonium validum quod obice dirimente fuerit initum. Hinc si quis transeat ad alias regiones, et ibi edoctus et baptizatus uxorem duxerit christianam, omissa debita interpellatione primae legitimae uxoris, eam facere tenetur, nisi adsint illae causae dispensandi prout in Synodo Sutchuensi cautum legitur.

Itaque ad enodationem propositorum casuum attente et fideliter perpendenda est laudata Synodus, expendendae sunt facultates Apostolicae, et consulendi probati auctores. Quod si nihilominus difficultates ac dubia suboriantur, tunc recurrat ad S. Sedem, enucleatis omnibus circumstantiis, prout dictum est.

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Gasparem Decurtins; quibus gaudet de conventu operariorum nuper acto Biennae in Helvetia.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nihil Nobis optatius accidit quam opportunitatem nancisci studii declarandi et sollicitudinis qua complectimur operariorum classem, cuius fortunam miseram allevari cupimus dignamque fieri populis humanitate excultis, iustitia et caritate ducibus, quas intulit christiana religio, magisque in dies provehet per orbem universum. Fert enim ratio ministerii Nostri, ut illic semper praesto simus ad opem ferendam parati, ubi moerentes solatium expetunt, patrocinium infirmi, miseri malorum levamen. Nobilis huius officii conscientia exciti, eorumque memores quae docuit Servator divinus humanum genus, nuncia amoris et pacis verba fecimus orbi Catholico per Litteras encyclicas, quarum initium « *Rerum novarum* ». Fuse in iis agentes de conditione opificum eo spectavimus ut sedaretur triste dissidium quo graviter conflictatur in praesens humana societas, cui popularium cupiditatum concitatio, quasi taetrica nubes incumbit, instatque procella fremens naufragii iniecta formidine. Neque omisimus pro re nata penes supremas auctoritates civiles operariae plebis causam agere, ne tanta tamque utilis hominum multitudo derelicta atque indefensa dedatur classi quaestuosae, quae in rem suam vertit illorum egestatem.

Propterea non levem voluptatem cepimus ex iis quae nobis, dilecte Fili, nunciavisti de conventu nuper acto Biennae in Helvetia, quo congressi a pluribus opificum millibus delegati viri, utut e dissitis profecti locis, studiis et religione diversi, maximo favore et plausu prosequuti sunt praedictas Litteras encyclicas, ultro agnoscentes tradita in iis documenta apprime accommoda ad tuendas legitimas eorum rationes, firmasque bases parandas (quod omnium in votis est) quibus aequus rerum ordo adstruatur, unde in hominum societate solida sequatur pax, veteri inter dominos et mercenarios contentione dirempta. Ac sane quantopere eo conferat salutaris vis Catholicae Ecclesiae, quum constans et late patens experientia demonstrat, tum eorum ipsorum confessio, qui sese ab illa profitentur alienos. Suapte enim natura et institutione, populorum mater et educatrix Ecclesia est, ac

praevalida in promptu habet instrumenta et praesidia, quorum ope ab hominibus iure sociatis vita commodius, nedum honestius et sanctius, agatur. Proinde facere potest quin leniendis doloribus et allevandis miseriis amanter ac liberaliter operam conferat suam. Satis est ea meminisse quae, teste historia et traditione maiorum, Ecclesia gessit ut antiquae servitutis labem aboleret. Ex eo quod sola suis viribus potuit tantum tollere stirpitus humani generis dedecus quod penitus moribus inoleverat, facile licet arguere quid praestare queat ut operariam classem eximat ex iis rerum angustiis in quas aetate hac nostra eam coniecit humanae societatis conditio. Facile pariter exinde intellectu est, ad hoc perficiendum opus pietatis eximiae ac verae humanitatis nihil potius et efficacius esse quam conniti ut alte insidant animis christianae praecepta legis, moribusque hominum moderatrix praesit Evangelii doctrina. Quare haud minorem inesse putamus laudem quam opportunitatem et fructum in eo consilio quod iniistis, ut per huiusmodi conventus populi et imprimis operariae classis animi iis imbuantur documentis, quae memoratis Litteris Nostris explicavimus e sanctissimis Ecclesiae doctrinis hausta, atque ut illis probe perceptis, certam induant persuasionem, ea quae legitime expetunt bona opperienda esse, non ex inconsulta socialis ordinis perturbatione, sed ex vi salutari sanctoque dominatu illius sapientiae, quam de caelo illatam ad regendos hominum mores Christus in terras effudit.

Nec minus Nobis probatum extitit scitum illud Biennensis conventus, quo cautum est ut proxime novus ac frequentior indicatur operariorum coetus, cuius communi voto eorum curae qui rebus publicis praesunt eo convertantur, ut pares ubique ferantur leges quae infirmitatem protegant puerorum mulierumque operantium, eaque effici iubeant quae Litteris Nostris agenda suasimus. Neque vero multis opus est, ut summa huiusce rei ratio in aprico sit. Nam siqua gravis et probabilis causa est, ex qua publica auctoritas iure sese interponat legum latione ad rationes tuendas operariorum, nulla sane gravior ac probabilior videri poterit, quam necessitas subveniendi imbecillitati puerorum et feminarum, unde initia vel ortum succedens progenies habet, viresque et opes gentis cuiusque magna ex parte promanant. At parte ex alia nemini obscurum est quam imperfectum patrocinium foret labori opificum per leges datum, quas diversas sibi unaquaeque civitas ferret. Quum enim aliae aliunde

profectae merces saepe eodem confluant ut venum eant, certe modus et finis labori opificum alicubi praescriptus fructus industriae proveheret alterius gentis in alterius perniciem.

Hasce aliasque id genus difficultates sola nequit infringere legis humanae vis. Vinci illae demum et infringi poterunt, si christiana de moribus disciplina passim excepta mentibus late floruerit, hominesque actus suos ad normam exegerint documentorum Ecclesiae. Quae si praecesserint, commode accedet ad communem salutem concors adiutrix legumlatorum prudentia et omnium, quibus quaeque gens pollet, virium actuosa explicatio.

Tibi vero, dilecte Fili, qui studio inflammato vires ingenii operamque omnem et industriam eo confers, ut scopum tam nobilem assequi liceat, hoc benevolentiae Nostrae testimonium palam praebere voluimus, certa spe ducti Te strenue perstiturum in inceptis, sedulo adnitentem, ut latius in dies doctrinae vulgentur et invalescant traditae in documentis, quae ad levandas miserorum aerumnas firmandumque socialem ordinem ab hac Apostolica Sede prodiere. Divini interea auspicem favoris qui conatibus tuis secundus adspiret, Apostolicam benedictionem Tibi tuisque peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI mensis Augusti Anno MDCCCXCIII.

Pontificatus Nostri decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE SSmi. D. N. Leonis XIII ad Emum. Lecot, Archiepiscopum Burdigalensem, quibus gaudet quod magis invalescit apud Gallos studium conciliandae pacis et concordiae.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gratae vehementer Nobis litterae extiterunt quas die XXVI superioris mensis Iulii ad Nos dedisti; novum enim praebuere argumentum tuae erga Nos voluntatis, et sollicitudinis, qua duas causas prosequeris quae Nobis maxime cordi sunt, quippe Religionis et Gallicae gentis bonum respiciunt. Sane ex accurata descriptione, qua praesentem istius regionis statum Nobis exhibuisti, perlibenter agnovimus in dies magis invalescere studia

conciliandae concordiae et pacis quae, datis iterum iterumque litteris, cordatis istic omnibus probisque viris enixe commendavimus. Equidem felicis instar ominis illud habemus quod intelligimus rationis vocibus cedere falsas opinationes mentibus inditas de Ecclesia quasi sit gentis prosperitati infensa, ultroque ad temperatiores sensus aequitatis ferri, cum viros acriori praeditos ingenio, tum populares homines qui simplices suapte natura ad recte sentiendum feruntur. Id laetam Nobis spem ostendit felix illud atque optatissimum tempus appetere solidae pacis quo gens Gallica possit dispersas vires colligere, easque ad commune bonum coniunctas intendere. Verum etsi merito ex hisce iucunde afficiamur, facere tamen non possumus quin aegre feramus graviterque improbemus quorumdam ausum, qui catholicum nomen praeseferentes et amorem avitae religionis, ita se partium studiis abripi sinunt, ut procacibus scriptis in vulgus editis violenter audeant viros impetere qui praecelsas obtinent in Ecclesia Dei dignitates, nec ipsum supremum Antistitem expertem faciant conviciis suis. Imo etsi iis probe gnarum sit, se nihil hoc tramite assequi, quo magis causa politica quam tuentur proficiat, hoc tamen uno gaudere videntur fructu laboris sui, quod conatibus Nostris moram atque impedimenta inferre possint, ac salutari obsistere propensioni animorum qui fessi dissidiis ad pacem inclinant. Quare ne id eveniat in quo ipsa Galliae salus sita est, praeoptant invicem distrahi dissentientes filios familiae eiusdem, ac fraternum certamen diutius perduci cum ingenti patriae et religionis pernicie.

Equidem quid animo intenderimus quum amicum paternumque alloquium sacro congruens ministerio Nostro ad gallicam gentem convertimus, nemini iam obscurum esse potest vel anceps. Diuturna experientia perspicue docuerat omnes statum civitatis ita istic immutatum, ut in praesenti rerum conditione haud posset sine gravi perturbatione ad pristinam formam reverti. Catholica religio, quam multi, licet immerito, existimabant fovere intestina dissidia in summum vocabatur discrimen; vexationibus in dies acrioribus obnoxia fiebat Ecclesia. Haec plane erant eiusmodi quae neminem latere possent. Iamvero in ea rerum asperitate Nos, quorum est religionis summas tueri rationes, etsi plane sciremus nemini absque temeritate fas esse coërcere finibus actionem providentiae Dei in futuras gentium sortes, nec Nobis in mente fuerit civium lacdere intimos animi

sensus, quibus adhibenda reverentia est; pati tamen nequivimus ut quidam partium studio ducti, religionis specie quasi clypeo uterentur, quo tutius publicae potestati iamdiu constitutae obsisterent: ex quo obsistendi conatu nullus quidem erat expectandus utilitatis fructus, ingens imo religionis detrimentum. Quare eo spectantes, prout rei dignitas poscebat, ne religio augusta certaminibus misceretur humanarum cupiditatum vel tricis fallacibus politicae rationis, seu rebus, omnibus uti par erat, celsius emineret, probos cordatosque cives gallicos omnes appellavimus, suadentes, ut civitatis statum, prout constitutus fuerat, agnoscerent ac pro fide sua retinerent, veterumque iurgiorum obliti contenderent ut iustitia et aequitas praeessent legibus, debita Ecclesiae redderetur observantia et libertas, atque ita, studiis collatis, prosperitati communis patriae consulerent. Quum haec ratio consilii sit et incepti Nostri, miserum simul et absurdum est extare aliquem qui iactans maiorem sibi quam Nobis curam esse Ecclesiae, ius sibi arroget loquendi eius nomine adversus documenta et praescripta illius qui Ecclesiae eiusdem tutor et Caput est. Putamus equidem huiusmodi homines, qui tam audacter indigneque se gerunt, neminem in Galliis reperturos veros inter Ecclesiae filios, qui eorum sententiam probet aut imitetur exempla. Ecclesiae enim veri nominis filios eos iure censemus qui praenobili bono religionis et patriae privatas sententias utilitatesque posthaberi haud aegre patiuntur. Istorum minime ambigimus quin dociles animos solidamque virtutem et Deus amplis muneret praemiis, et boni omnes probent meritaque efferant laude.

Pignus interea praecipuae benevolentiae nostrae Apostolicam benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, Clero et fidelibus tuae curationi commissis ex imo corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III augusti anno MDCCCXCIII. Pontificatus Nostri decimo sexto.

LEO PP. XIII.

BREVE SSmi D. N. Leonis XIII quo declaratur ut nomine beatorum nuncupari possint venerabiles Dei famuli Petrus Martyr Sanz Episcopus Mauricastrensis et Vicarius Apostolicus Provinciae Fo-kiensis in Regno Sinarum, Franciscus Serrano Episcopus electus Tipasitanus et Apostolicus eiusdem provinciae Vicarius, Ioachimus Royo, Ioannes Alcober et Franciscus Diaz, Sacerdotes Missionarii ex Ordine Praedicatorum.

Totum mundum martyribus plenum Magnus sanctaeque memoriae Praedecessor Noster Gregorius Papa mirabatur, atque in vigesima septima homilia aiebat: « Iam pene tot qui vi- « deamus non sumus, quot veritatis testes habemus. » Et sane ab ipsis primordiis innumerorum Martyrum rigata sanguine adolevit Ecclesia, neque unquam illi in posterum miranda fortitudinis exempla defuerunt. Quemadmodum in omnem terram exivit sonus eorum, et barbaras in gentes, atque inhospita litora Christi praecones Evangelicam lucem inferre sunt conati, ita et terrarum orbis regiones pretioso Martyrum sanguine rubuerunt. Romani autem Pontifices, quibus divinitus universi Dominici gregis cura concredita, ut populum Christianum ad fortia exempla imitanda excitarent, gloriosas Martyrum memorias religiosa iugiter solemnitate recolere consueverunt, et vel a primis Ecclesiae saeculis publicum Martyribus cultum, caelitumque honores decrevere.

Praeclarissimos hos inter praeliatores, et adsertores nominis Christi, quos, ut S. Cyprianus scripsit, ipse Iesus Dominus « in acie confirmavit, erexit qui pugnavit, et vicit in Servis suis », iure adnumerandi sunt invicti fidei pugiles Petrus Martyr Sanz Episcopus Mauricastrensis et Vicarius Apostolicus Provinciae Fo-kiensis in Regno Sinarum, Franciscus Serrano Episcopus electus Tipasitanus, et Apostolicus eiusdem Provinciae Vicarius, Ioachimus Royo, Ioannes Alcober et Franciscus Diaz, Sacerdotes Missionarii ex Ordine Praedicatorum, qui superiori saeculo ab idololatris Sinensibus in odium Christianae religionis interfecti, exercitam Apostolicis laboribus vitam strenue pro fide certantes nullaque vi aut cruciatu devicti luculentissimum sanguine suo Divini nominis gloriae testimonium praebuerunt. Hi quinque fortissimi Iesu Christi Athletae Catholici Hispaniarum Regni cives, atque illustris Gusmanae familiae filii fuerunt. Adolescentuli adhuc longinquas et barbaras regiones animo volvebant, itinera, labores, Divini verbi praeconium inter ethnicos mente molie-

bantur. Gentes multitudine innumerabiles locisque infinitas, sed impia superstitione coecas, immanitate efferatas meditabantur, atque inibi dilatare tentoria Israel, Christianae religionis beneficia effundere, se ipsos charitati devovere, mortemque pro Christo oppetere inhiabant. Religionis igitur ac verae fidei provehendae zelo, simulque gloriosae pro Christo mortis desiderio adducti, ut ad praedicandum infidelibus Evangelium mitterentur, supplici prece Ordinis sui praesules adire non dubitarunt. Nobilissimi voti compotes effecti, diversis licet annis, in Sinas se contulerunt. Non illos patriae charitas, non maris tempestatumque furor, non longi itineris labor, non Apostolici ministerii periculum de sententia deterruit. Atqui efferatam idololatrarum atrocitatem, gliscens in iis regionibus contra Catholicos bellum, certissimum subeundum vitae discrimen, et quae sibi barbari tortores pararent, sciebant. Nihilominus nullis curis, nullisque parcentes laboribus, alacritate summa, apostolatus sui partibus fungebantur, ante omnes Venerabilis Dei Famulus Petrus Martyr Sanz, qui ab Apostolica Sede, ob praestantissima merita, Mauricastrensis Episcopus et Vicarius Apostolicus Provinciae Fokiensis in Regno Sinarum renuntiatus, Missionis totius regimen et administrationem sollicito studio et egregia prudentiae consilique laude moderabatur. Dirissima per id temporis persecutio, quae anno MDCCXXIX in Christifideles saevierat, quodam modo sedata Fo-kiensi in Provincia videbatur, sed omnino extincta nondum erat. Quare Venerabilibus Dei famulis, dum fidei propagandae operam impense navant, ac sollerti industria fidelibus, ac praecipue aegrotis religionis Christianae subsidia afferunt, ne in persecutorum manus inciderent, prudentia maxima opus erat. Nihilominus complures homines verae doctrinae aures praebentes piacularibus aquis abluuntur, magna fit morum conversio, et universi fere Urbis Fo-gan cives Christo auctorantur. Sed strenuos fidei pugiles ad potiora vocabat Dominus. Anno enim MDCCXLVI, auctore viro infideli, qui a consiliis erat militaris Praefecti, acrior ac dirior adversus Christianos persecutionis tempestas oboritur. Hic nequam, ipsisque infidelibus invisus, atque immoderata auri fame detentus homo, a diversore Venerabilis Dei famuli Petri Sanz mutuam pecuniam efflagitavit, sed ab immerita petitione reiectus, in vindictam aestuavit. Et continuo accusationis libellum ad Supremum Provinciae Tribunal dedit, contemni in Urbe leges, Europaeos Evangelii prae-

cones hospitio impune excipi, Imperatoris decretum plura Sinensium millia Christi legem profiteri. Addidit et Missionariorum, et fidelium nomina, et loca in quibus ipsi conventus agerent, designavit. Ad Pro-Regem, hostem Catholici nominis infensissimum, accusatione delata, extemplo horrendum in Fo-kiensi Provincia Christianae genti bellum indictum. Armata militum manus, significata ab improbo delatore loca pervadit, fidelium domus excubiis cinguntur, sacrae supellectiles diripiuntur, Missionariorum hospites male multantur. In satellitum manus primus incidit Venerabilis Dei famulus Ioannes Alcober, postremus Venerabilis Ioachimus Royo, qui cum diu huc illuc delituisset, iussu tandem Episcopi Mauricastrensis iam in vincula coniecti ultro se persecutoribus obtulit, ne crudelior in Christianos furor infidelium evaderet. Mox ad Urbem Fo-cheu longo itinere ac fame prorsus enecti, catenis manicisque constricti deducuntur, ibique in publicis custodiis detenti, miranda patientiae, pietatis, constantiae ac fortitudinis exhibent testimonia. Pluries ad tribunal adducti, pluries a iudicibus diris cruciatibus in quaestionem vocati, confessionem fidei interrito invictoque animo iterant, ac minas inter et convicia humana augustiorem serenitatem praeseferunt, desideriumque, quo flagrant, sanguinem pro Christo effundendi. « Steterunt, scilicet, ut S. Cypriani verbis utamur, torquentibus fortiores, et saevissima diu plaga repetita inexpugnabilem fidem expugnare non potuit. » Inter compedes carcerisque squallorem, et qui ad eos invisendos accederent, et alios captivos et satellites ipsos ad verae religionis professionem flexanimis verbis hortabantur, tantaeque fortitudinis exemplo et fidelium animos confirmabant, et idololatrarum etiam admirationem sibi pariebant. Integer iam ferme annus se verterat, ex quo Venerabiles quinque Dei famuli in vincula coniecti erant; iam coram primis et alteris iudicibus, ipsoque coram Pro-Rege suam quisque causam dixerat, iam singuli Catholicam fidem iterum, iterumque verbo et opere confessi, sinenses ritus forti pectore despexerant, ac damnaverant, cum iudiciali ordine legitime absoluto, eo res deducta fuerat, ut sententia pronuntiaretur. Itaque pro tribunali sedens Pro-Rex, Venerabilibus quinque Iesu Christi Athletis coram se accitis, in haec verba sententiam protulit: « Petrus Sanz, eo quod sicut caput reli-
« gionis Christianae, suaque falsa doctrina dementet viros ac
« mulieres illico capite plectatur; Franciscus Serrano, Ioachi-

« mus Royo, Ioannes Alcober et Franciscus Diaz, eo quod eadem « falsa doctrina in errorem ac deceptionem plebem inducant « decollationis rei declarantur, sed in carceribus novum de- « cretum expectent. » Veluti nautae, qui longo maris itinere confecti, optatum tandem portum conspicerent, laetitia et gaudio maximo Venerabiles Dei famuli sententiam audientes afficiuntur, sed intensiori idcirco in catholicam fidem odio exardescens improbus Pro-Rex statim illam ad Imperatorem mittendam curat, supremam ipsius sanctionem enixis precibus expostulans. Quare paucos post menses, confirmata ab Imperatore sententia, Venerabilis Dei famulus Petrus Sanz, Episcopus Mauricastrensis, carcere eductus denuo ad Pro-Regis tribunal trahitur; ibi coram urbis Gubernatore et militiae Praefecto in genua provolutus feralem sententiam supremamque illius sanctionem audit; ac mox duplici fune brachiis post tergum vinctis, ad supplicii locum milites inter hac lictores incedit. Inscriptam in haec verba tabellam collo Christi Martyr gerebat: « Decreto Imperatoris « capite plectitur, propterea quod falsa doctrina decipiat, per- « vertatque corda hominum, eius nomen est Petrus, sit cunctis « in exemplum. » Praeclara tristi in itinere pietatis charitatisque ab ipso argumenta edita, moerore ac tristitia oppressis fidelibus « bono animo estote, aiebat, optime, optime, nonne « gaudere debemus quod propter legem Dei nostri morimur? » Mortalis fere impatiens vinculi fervida sese in Deum precatione attollebat, ut quo superhumano flagraret gaudio ex ore ipso vultuque emicabat. Ubi ventum est in supplicii locum, iussu carnificis genua flectit, ac solum ab illo tantum temporis spatium exorat, donec coeptas preces absolvat; his peractis, admonens lictorem, ut cito munus suum expleat, ultro libensque cervicem securi praebet. Interea quatuor alii superstites Venerabiles Dei famuli, novum in custodiis decretum erecto ac flecti nescio animo expectabant. Inustam in facie barbarum in morem mortis sententiam quasi gloriae signum fidelibus ostendebant, ac iugiter supplici prece Deum prosequebantur, ne desideratissima martyrii palma destituerentur. Iam bini post inclytum Mauricastrensis obitum effluxerant menses, cum pii cuiusdam Sacerdotis industria, detento in urbis Fo-cheu carceribus Francisco Serrano Literae Apostolicae sunt traditae, quarum vi ipse, Episcopus Tipasitanus renuntiatus, in Coadiutorem Petri Martyris Sanz pro Vicariatu Apostolico provinciae Fo-kien regendo

eligebatur, nondum enim Romam martyrii nuncius pervenerat. Sed ad gloriosum Pastoralium laborum finem Venerabiles Dei famuli properabant. Iam vagus in vulgus manaverat rumor, futurum ut imperator capitis poenam captivis Missionariis in exilium commutaret, cum novus Pro-Rex, qui non minori quam praedecessor Christianum in nomen odio ferebatur, inito cum civitatis ac provinciae proceribus consilio, Servos Dei in carceribus clam enecandos decrevit, Imperatori deinceps relaturus illos diutinae custodiae incommodis ac aerumnis confectos ex hac vita migrasse. Intempesta itaque nocte diri satellites in Venerabilium Dei Servorum cellas irrumpunt, ac primum Franciscum Serrano et Ioachim Royo, qui venientes comiter exceperant et laeti mortis nuncium audierant, occlusis respirationis viis interimunt; postea Francisco Diaz et Ioanni Alcober intortis collo funibus spiritum elidunt. Sic a strenuissimis fidei adsertoribus pretio sanguinis empta immortalitas. Sic primi ad Sinas ex inclyto Praedicatorum Ordine missi Evangelii praecones gloriosam martyrii palmam adepti sunt; idemque Ordini, iam tot tantisque in rem Catholicam meritis conspicuo, decus novum atque ornamentum addiderunt. Neque caelestia signa defuere. Mira enim corporum incorruptio, supranaturalis splendor a suaveolentibus Venerabilium Dei Servorum exuviis emicans, pervicacium quorumdam infidelium conversio ad fidem, teterrimae denique poenae, quibus tyranni aliique caedis auctores obnoxii fuerunt Martyrum gloriam luculenter confirmarunt. Quare de ipsorum Beatificationis causa apud Congregationem sacris tuendis ritibus praepositam agi coeptum est; ac iuridicis probationibus rite expensis, de quinque Venerabilium Servorum Dei martyrio, causaque martyrii VI Idus Iunias Anno MDCCLXXVII fel. rec. Pius PP. VI Praedecessor Noster constare declaravit. Postea integrum post elapsum saeculum de signis martyrium ipsum confirmantibus Nos idibus Novembribus superioris anni decretum tulimus. Hisce peractis ad legitimum causae complementum supererat, ut Venerabiles Fratres nostri eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales rogarentur, num stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii et causae martyrii pluribus signis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores iisdem Dei Servis decernendos; hique in generali conventu hoc ipso anno XIII Kalendas Ianuarias coram Nobis habito, tuto id fieri posse

unanimi consensione responderunt. Attamen in tanti momenti re, Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem anni vertentis die, qua salutis Nostrae Auctorem in cunabulis Magi venerati sunt, sollemni decreto pronunciavimus, procedi tuto posse ad dictorum quinque Venerabilium Dei Famulorum Beatificationem.

Quae cum ita sint, Nos, precibus etiam permoti universi Praedicatorum Ordinis, Auctoritate Nostra Apostolica praesentium vi facultatem facimus, ut Venerabiles Dei famuli Petrus Martyr Sanz Episcopus Mauricastrensis et Vicarius Apostolicus Provinciae Fo-kien in Regno Sinarum, Franciscus Serrano electus Episcopus Tipasitanus et Vicarius Apostolicus, eiusdem Provinciae Fo-kien, Ioachimus Royo, Ioannes Alcober et Franciscus Diaz, Sacerdotes Missionarii ex Ordine Praedicatorum, Beatorum nomine in posterum nuncupentur, eorumque corpora lypsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa de communi Martyrum cum orationibus propriis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani per Nos approbatis. Eiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus tum intra fines Vicariatus Apostolici Fo-kien, tum in omnibus templis coenobiis Ordinis Praedicatorum adnexis, ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare tencantur; et quod ad Missas attinet ab omnibus Sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus. Denique concedimus, ut sollemnia Beatificationis eorumdem quinque Martyrum supradictis in templis celebrentur, cum Officio et Missis duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium definienda intra primum annum, postquam eadem sollemnia in aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Literarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iu-

dicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Literis ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII Aprilis MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

L. ✠ S.

SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CASTRIMARIS

MATRIMONII.

Die 6 Maii 1893.

Sess. 24 cap. 3 de Reform. matr.

COMPENDIUM FACTI. Die 16 Decembris 1874, in Cathedrali Ecclesia Dioecesis Castrimaris, iuxta ritum S. R. E. per verba de praesenti, matrimonium contraxerunt Carolus Crel, annos natus 28, et Paulina Gambardella in aetate constituta 22 annorum. Ast, contrario numine, factum est, ut sponsi, primo quidem quoad thorum et deinde etiam quoad tectum separationem quaererent, donec per sententiam Tribunalis Civilis, latam sub die 11 Aprilis 1881 eorum matrimonii nullitas declarata fuit, ob viri impotentiam absolutam, antecedentem et perpetuam.

Hac obtenta nullitatis sententia, mulier civiles nuptias inivit cum alio viro; sed postea facti poenitens, sub die 24 Novembris 1887 supplices preces porrexit SSmo Domino Nostro, ut dignaretur canonice declarare nullitatem matrimonii sui cum Carolo Crel, ad effectum matrimonium contrahendi cum viro, cum quo civiliter unita reperiebatur, et a quo recedere civili lege non poterat.

Disceptatio Synoptica.

Votum Theologi. Ut mulieris postulationibus satis fiat, tria, ni fallor, inquirenda veniunt, et demonstranda ex Actis Processus, ait Consultor, videlicet 1. an revera constet, matrimonium in casu, ob viri impotentiam, numquam consummatum fuisse; 2. an revera constet virum in talibus conditionibus reperiri ut absolute matrimonium consummare non possit; 3. an revera probata maneat viri impotentia, nedum absoluta et antecedens, sed etiam perpetua. Singula breviter quoad factum perpendam: facto enim in evidentia posito, vestrum erit, Sapientissimi Iudices, quid Sacri Canones statuant, quid theologica doctrina doceat declarare.

Itaque matrimonium, prout in themate, numquam revera consummatum fuisse, idque ob viri impotentiam, pluribus potest argumentis demonstrari, ex iis deductis, quae matrimonium vel praecesserunt, vel concomitata sunt, vel sunt subsecuta.

Et sane dum agebatur de matrimonio contrahendo, peritus medicus Dñus Nicolaus Scherillo, qui opem suam praestabat duabus familiis Crel et Gambardella, quique proinde iuvenem Carolum optime agnoscebat, Paulinae patruum monuit ut matrimonium impediret, eo vel quia Carolus ad matrimonium inhabilis erat.

Idem testatur Aloisius Lanni, qui cum pluries adspexisset denudatum Carolum Crel in alveum descendentem, et virilium conformationem ac frigiditatem animadvertisset: statim ac audivit fore ut matrimonio copularetur cum Paulina Gambardella, retinuit non posse tale matrimonium exitum felicem habere, eo vel quia inhabilem Carolum ad consummationem putabat. Quinimo, ex eadem experientia, idem testatur Nicolaus Di Martino, nec non Antonius Rosati qui omnes matrimonii exitum antequam contraheretur praenuntiaverant.

Et quod isti futurum praeviderant, factum plenissime confirmavit a prima nuptiarum nocte: ipsis enim partibus fatentibus, omnis nisus ad consummationem inutilis evasit,

etsi pluries repetitus. Id fatetur mulier de cuius veracitate plenissimum testimonium habetur in Actis. Idem confirmat ipse Carolus Crel dum asserit, se neque prima illa vice, nec unquam postea membri erectionem expertum esse; unde se numquam ad maritalem unionem pervenisse concludit.

Nec praetereunda gravissima quaedam circumstantia, quae persuasionem de filii impotentia in parentibus manifestat. Habetur enim ex Actis quod prima nuptiarum nocte Caroli mater praesens esse voluit, et de facto praesens fuit, ut filium matrimonio operam dantem, de modo se gerendi doceret; inutiliter tamen, quia filius frigidus, ut erat, remansit.

Ast haec omnia ex consequentibus evidentissime confirmantur. A primis enim matrimonii diebus fama evolavit in vulgus quod Carolus nequibat matrimonium consummare, unde fere statim eo usque pervenerunt inter sponsos iurgia, ut mulier viri vultum unguibus foedaret, et mulieris comam scinderet vir. Et vir quidem rei gravitatem agnoscens, tali fuit furore correptus, ut timeretur ne in insaniam prosiliret, et mulier aegritudine confecta valetudinem amittere videbatur. Unde factum est, ut a thoro separarentur, idque ex medicorum consilio et parentum Caroli voluntate.

Nec satis; nam Caroli pater, nescio qua conscientia, filium adegit ut meretricibus adhaereret; imo pluries ipse adesse voluit flagitiosi criminis magister et testis, ut inde nati absolutam impotentiam vel nolens admittere cogeretur.

Hanc autem impotentiam experimento confirmavit testis Benedictus Pellerano, qui denudatum Carolum cum tactibus in pudendis ad venerem excitaret, facto suo inhabilem omnino ad matrimonium comprobavit. Quod pariter praestitit alius testis Ioseph Rossetti, interrogationibus, verbis amatoriis, lascivis incitamentis, quibus omnibus Carolum a sua frigiditate removere non valuit.

His addendum quod perdurante maritali vita, Carolus patris et socri consilio plures peritos medicos consuluit ut opportunas curationes praescriptas haberet, quin tamen unquam proficeret. Quinimo ipsi periti medici curationis inuti-

litatem fassi sunt, et patrem redarguerunt eo vel quia filium cogendo ad matrimonium, infelicem feminam reddidit.

Et hoc confirmatur ex facto, quod, post separationem, inspecta mulier a sua amita Rosa Gambardella integra reperta fuit ut virgo, quin violati claustri signa ulla praeberet. Quod ex non dubiis indiciis deduxit alia testis, Gelsomina Gambardella, soror actricis. Quae omnia fere statim ad aliorum aures pervenerunt, uti colligere est ex depositione Alphonsi Gambardella. Unde ipsi Caroli genitores de hoc matrimonio loquentes cum Paulinae parentibus, filii impotentiam apertissime doluerunt, et mulierem, quod aequo animo id tulisset, laudaverunt.

Ex his igitur omnibus apertissime evincitur matrimonium in casu numquam revera consummatum fuisse, idque ex viri impotentia certissimis argumentis comprobata.

Opponet fortasse quis validius desiderari in demonstratione argumentum, desumptum ex medicorum peritia, qui soli iuridice de impotentia testimonium dicere possunt. At sciatis oportet, Sapientissimi Iudices, me consulto abstinuisse a deducendo argumento ex medicorum peritia, quia inde probatam volo alteram demonstrationis partem, quae tota in eo est, ut quaerat an saltem potuerit Carolus matrimonium consummare. Si enim constet, ex medicorum peritia, Carolum neque potuisse matrimonium consummare, a fortiori probatum manebit ipsum, ad factum quod spectat, revera non consummasse. Atqui res ita se habet. Quod ut clarius pateat, animadverto pro Tribunali Ecclesiastico assumptam fuisse illam ipsam medicorum peritiam, quae exarata fuit pro Tribunali Civili. Ut autem iuridicam vim haberet etiam in foro ecclesiastico, vocatus fuit D. Carmelus Patamia, unus ex medicis, qui pro Civili Tribunali peritiam exararunt. Et hic, interiecta iuramenti religione ad sancta Dei Evangelia, latam peritiam in omnibus confirmavit, iuxta ea quae pro Civili Tribunali deposuerat.

Iam vero ex hac medicorum peritia duo manent evidentissime probata, scilicet 1. Carolum in eo statu reperiri, ut

virilis membri erectionem pati non possit; 2. Caroli virilia ita a natura conformata esse, ut, data etiam membri erectione, sit et maneat verus coitus impossibilis; idque duplici ex causa, videlicet tum ex enormi praeputii massa, quae impedit quominus virile membrum usque ad muliebre vas pertingere possit, tum ex eiusdem praeputii debilitate, quae maritali congressui omnino se opponit. Est igitur evidens, in talibus conditionibus, impossibilitas consummationis; nam ibi est vera consummatio impossibilis, ubi est impossibilis verus coitus. Atqui in casu verus coitus haberi non poterat. Ergo vera consummatio fuit omnino et absolute impossibilis.

Duo igitur ex Actis sufficienter et iuridice manent comprobata, idest factum non sequutae consummationis et impossibilitatem eiusdem obtinendae, datis conditionibus, in quibus Carolus reperiebatur. Ast huiusmodi conditiones tales ne sunt ut sufficienter demonstrent impotentiae perpetuitatem?

Affirmativam responsionem praebent periti medici. Ast ego, licet profanus, non puto hanc affirmativam responsionem esse sufficienter demonstratam. Et re quidem vera, tres sunt principaliores rationes, quibus innituntur periti medici, ut impotentiae perpetuitatem doceant. Aiunt enim 1. longitudinem virilis membri non provenire ex cavernosis corporibus, quae esse dicunt parva, tenuia et rigida; sed potius ex abnormi praeputii longitudine ac varicositate; unde erectionem impossibilem putant; 2. asserunt Carolum hebetem esse, ideoque virilis potentiae incapacem; 3. demum ex ipsa massa praeputii neque coitum, neque potentiam futuram possibilem agnoscunt.

Sed contra est 1. quod iudicium de cavernosis corporibus certum non praebet argumentum nisi examinentur in statu erectionis, iuxta ea, quae mihi asserta fuerunt a perillustri quodam medico, quem hoc in casu, et hac in re consulendum putavi. Igitur ex hac prima medicorum ratione, ad summum probabilitas, non vero certitudo perpetuae impotentiae deduci potest; 2. animadverto contra medicorum peritiam, quod ipsi

non asserunt cum omni certitudine Carolum hebetem esse, sed dicunt tantummodo id videri. Ast ex eo quod Carolus sit *probabiliter* hebes, non sequitur ipsum esse *certe* impotentem. Et hoc in hypothesi quod revera detur absoluta connexio inter physicam impotentiam, et mentalem hebetudinem, quod tamen negandum esse teneo; fieri enim posse audivi a plurimis medicis quod hebetudo mentis possit aliquando sociari cum valida potentia. Ceterum, data medicorum in casu peritia, dicendum foret Carolum non carere potentia, cum ex datis in Tribunali responsionibus excludi posse videatur mentis hebetudo; 3. demum animadverto contra medicorum peritiam, quod ipsi non dicunt an massa illa praeputii, quae coitum impedit, auferri potuerit per chirurgicam operationem. Esto quod hodie haec operatio sit forsan impossibilis, cum Carolus sit constitutus in aetate 46 annorum. Ast quando Carolus matrimonium contraxit aetatem habebat annorum 28, et 35 quando fuit a medicis inspectus. Si igitur quando matrimonium contraxit, possibilis erat chirurgica operatio, certe matrimonium ratum fuit, licet consummari non potuisset per extrinsecum impedimentum. Hoc in casu idem dicendum foret ac de femina arcta; ideoque tenendum esset ex c. *Fraternitatis*, matrimonium non reddi nullum per impedimentum quod potest auferri.

Scio equidem, Emi Patres, ex testium depositionibus et ex factis, quae supra commemoravi, evidentissime deduci 1. quod Carolus revera non consummaverit; 2. quod fuerit et permanserit in talibus physicis conditionibus, ut consummare non potuerit; 3. quod revera sit in hoc statu permansurus; ast cum iuridica probatio huius perpetuitatis impotentiae desumenda sit vel ex triennali experimento, quod in casu locum non habuit, vel ex peritorum attestatione, quae in casu omnem dubitationem non excludit; hinc est quod iuridice quidem probatur factum non sequutae consummationis, et impossibilitas ad illam obtinendam ob extrinsecum impedimentum; sed intrinseca impotentia, et eiusdem perpetuitas, morali tantum certitudine constant, non vero iuridica.

Quibus sic stantibus, ad consulendum partibus, praesertim quia mulier iam cum alio viro civiliter coniuncta reperitur, cum evidenter et iuridice constet revera matrimonium consummatum non fuisse ob impedimentum saltem extrinsecum, et cum valida habeantur argumenta, quae saltem moralem certitudinem pariunt de existentia impotentiae etiam intrinsecae, et perpetuo duraturae, in hanc sententiam deveniri posse puto, scilicet: « *Attentis omnibus, supplicandum SSmo pro dispensatione* ad cautelam *a matrimonio rato, et non consummato in casu* ». Idque nisi EE. VV. placuerit absolutam matrimonii nullitatem declarare.

Votum Canonistae. Finem matrimonii esse sobolis propagationem cuique notum est: siquidem naturalis sexuum coniunctio ad propagandum humanum genus ab initio est instituta: *Crescite*, ait rerum Creator progenitoribus, *et multiplicamini:* ideo *masculum, et feminam fecit eos;* haec autem sexuum distinctio, ait D. Thomas, ordinatur ad coitum, quem in finem et sexus natura distinxit, et peculiaria in hunc usum conformata membra cuique attribuit. Talis autem multiplicatio haberi non potest, nisi per copulam, propterea in contractu matrimoniali, quem Christus Dominus erexit ad dignitatem Sacramenti, mutua traditur in corpus alterius potestas cum obligatione reddendi debitum, quod utraque pars sub gravi tenetur reddere, ne finis matrimonii frustretur. Unde cum traditio corporis sit de intrinseca matrimonii ratione, si aliquod in eo fuerit impedimentum, quod vinci nequeat ad copulam exercendam, matrimonium nullum est et ille qui se novit absolute ineptum non potest alteri ad usum corpus suum obligare, et ex ipso iure naturali nefas esset attentare congressum.

Ex his facile deducitur, matrimonium de quo agitur, propter viri impotentiam antecedentem, absolutam, perpetuam, esse nullitate mulctandum. Superfluum porro erit *Impotentiam* definire.

Paulina Gambardella a patre stimulata nuptias celebravit cum Carolo Cler, iuvene, qui in omnium opinione hebes et

bardus habebatur; nihilominus, ut patri morem gereret, rite, coram Ecclesia die 16 Decembris 1874 in matrimonium Carolo se coniunxit: itaque condormierunt, sed licet copulam fuerint experti pluries, et iteratis vicibus, nunquam tamen, nec leviter eam perficere potuerunt. Virum enim tali ac tanta frigiditate affectum esse, sponsa cognovit, ut nec membrum vel leviter erigere et consequenter nec semen prolificum eiicere unquam potuerit, unde irriti semper et inutiles subsequentes congressus redierunt. Caroli pater, re comperta, Medicos consuluit, pharmaca adhibuit sed frustra, ac tandem, vix credibile, vocata meretrice, coram se, cum ea copulam experiri iussit, sed irrito conatu. Ex his igitur facile dignoscitur Carolum Cler certâ absolutâque impotentiâ antecedenti laborare: ideoque nec permittenda, uti docent Theologi ac Canonistae, ulteriora experimenta, cum ipso iure naturae nefas sit attentare copulam cum impotentia sit aliter certe, et aperte cognita, et probata.

Quid interea de Paulina, quae nec nupta, nec innupta remansit? Elapso septennio a Tribunali civili an. 1881 petiit, obtinuitque dissolutionem contractus, propter impotentiam Caroli legaliter seu iudicialiter a Medicis assertam. Sed inde Paulina coeno amore seducta, alteri Viro se dedit, et civile, uti vocant, matrimonium contraxit, et hodie cum eo vivit. Attamen modo conscientiae stimulis agitata vehementer optat pacem cum Deo componere, ideo rogat SS. D. N. supplici libello, ut dignetur pronunciare nullitatem matrimonii cum Carolo Cler, qua obtenta se legitime coniungi cum altero poterit.

Ideo modo quaeritur utrum matrimonium inter Carolum Cler, et Paulinam Gambardella nullum, irritumque fuerit ex impedimento impotentiae in viro, et an matrimonium manserit inconsummatum: sed probata in Viro absoluta impotentia inconsummatio plane sequitur.

Ad consequendam veritatem, secundum iura, ad trutinam perpendendae sunt 1 Coniugum confessiones. 2 Testium depositiones. 3 Peritorum iudicia, seu inspectiones. Si ex hisce

capitibus patebit impotentiam in Carolo fuisse, et esse antecedentem, absolutam, perpetuam, matrimonium quoque cum Paulina fuisse et esse nullum, irritumque pariter inferri licebit.

1. *Confessio coniugum.* — Paulina, quae actrix est, ad examen a Iudice citata in Curia Bariensi praeter ea quae in libello supplici exposuerat, praestito iuramento, perspicue, et sine ambagibus respondit ad interrogationes a vinculi Defensore propositas, deponens sine ulla contradictione se post initum cum Carolo matrimonium pluries carnalem copulam fuisse expertam, sed frustra, et inaniter; siquidem ex Sponsi insuperabili frigiditate iste membrum virile nullatenus erigere poterat, quod semper torpidum, et iners manebat, unde semen prolificum nec leviter effudisse testata est. Hanc copulae inanitatem compulsa identidem repetit, et insuper addit se scire Carolum pharmaca ad se excitandum adhibuisse, sed frustra, et inutiliter. Cum igitur consummatio esset absolute impossibilis, separatione facta quoad thorum, nunquam in posterum copula inter eos tentata est. Ex imprudentia vero Parentum Caroli, istius impotentia in omnium cognitionem pervenit. Ita Paulina Gambardella in iudicio deposuit.

Sed audiendus alter coniux, pars principalis, Carolus Cler. Is legaliter citatus in Curia Neapolitana, praestito iuramento tactis SS. Evangeliis, in examine interrogatus a vinculi Defensore plane et sine contradictione Paulinae depositiones confirmavit: nempe se matrimonium non propria, sed Patris voluntate iniisse, et uti videtur, eius officia vir simplex ignorasse. Unde et ipse una cum Sponsa deponit, et candide confitetur copulam cum ea pluries tentasse, sed frustra, nihilque obtinuisse; eo quod virile membrum numquam erigere potuerit propter invincibilem frigiditatem. Quod cum pater cognovisset, vocata femina iam corrupta, voluit ut coram se, et ipso docente, coitum cum ista experiretur, et nihilominus inane fuit et vanum experimentum hoc, non semel etiam renovatum. Hinc in fine deponit matrimonium absolute

inconsummatum mansisse. Propterea ex utriusque coniugis unanimi et concordi iudiciali confessione constare colligitur de impotentia ex frigiditate experta, et perspecta, et ideo matrimonii nullitatem exurgere. Attamen coniugum confessio post initum matrimonium contra eiusdem valorem elicita non statim probandi vim habet, imo ipsa sola et per se omni vi caret ceu clamant iura; sed expendenda est cum ceteris probationum generibus: audiantur ergo Testes.

2. Testes qui vocantur septimae manus a Paulina inducti, consanguinei, affines, amici familiae fuerunt: hi omnes, praemisso iuramento et perlecta Paulinae depositione, a Iudice interrogati unanimi concentu, et unanimiter ipsam mendacii esse omnino incapacem deposuerunt: de Sponsi vero impotentia loqui apud omnes audivisse, et pro certo habere matrimonium numquam fuisse consummatum ob praedictum in Viro impedimentum testati sunt.

Ad instantiam Rmae Curiae Bariensis iudicium rite fuit institutum in Curia Castrimaris Stabiarum, ad quam vocati sunt Testes septimae manus, scilicet, consanguinei, affines, amici, inter quos etiam sacerdotes. Isti omnes, post iuramentum, plus minusque de auditu, et apud omnes de vulgata Caroli Crel impotentia cum hebetudine coniuncta uno ore affirmarunt: sed Testis de Martino etiam *de visu* testatus est, siquidem se vidisse deponit Caroli organa genitalia quae imperfectissima, et ad generationem inepta erant. Hucusque Testes ex utraque parte in curia Bariensi et Castrimaris vocati et auditi.

Sed iubente hac S. Congregatione Neapoli quoque ad tramitem iuris vocatus est D. Carolus Cler, et post eum testes septimae manus. Carolus pars principalis confirmat omnia, quae alias deposuerat, videlicet confitetur aperte propriam impotentiam, et sine ambagibus sui matrimonii inconsummationem, nec Paulinae in iudicio dictis ullo modo contradicit. Ast ampliori modo Testes acciti de Caroli impotentia deposuerunt, quam antecedentem, absolutam, perpetuamque esse dixerunt; quin imo Ioseph Rossetti vir gravis, attenta

hebetudine observata in Carolo valorem *consensus* in dubium vocari posse subiungit. Ceteri Testes eadem de audita Caroli impotentia deposuerunt, sed duo etiam corpus ipsius se explorasse testati sunt, atque eius genitalia ad copulam exercendam esse omnino imparia et inertia absque dubio iudicarunt.

3. Peritorum legale iudicium: cum Paulina Gambardella a civili Tribunali petiisset, ut civilem contractum propter Viri impotentiam dissolutum declararet, Iudex civilis tres peritos medicinae doctores elegit, qui physicam Caroli Cler constitutionem inspicerent: hi diligenter et accurate impositum officium sunt exequuti, ac tandem clarissime et uno ore concluserunt Carolum Cler organa genitalia habere imperfectissima, et ad copulam maritalem inepta, ideoque impotentia *antecedente, insanabili*, et *perpetua* esse affectum. Istorum Peritorum legale iudicium exhibetur in calce Processus ecclesiastici, quod, si ita placuerit, poterit admitti in hoc sacro Foro, sicuti optat Bariensis Curia. Neglecta autem fuit tamquam superflua et inutilis feminae physica inspectio.

Itaque si considerentur quae hucusque de hac causa iudicialiter collecta fuerant Barii, Castrimaris et Neapoli, videtur dubitari non posse de impotentia Caroli Cler, et de consequenti inconsummatione matrimonii cum Paulina Gambardella, siquidem conveniunt confessiones coniugum, Testium depositiones, Peritorum iudicium: impotentia vero iudicialiter probata nullum, irritumque iure naturali, divino, et humano reddit matrimonium, cuius finis est propagatio sobolis. Idcirco pro nullitate iudicandum esse, meo quidem iudicio, censeo cum Rmo Archiepiscopo Bariensi, qui miserae Paulinae resipiscentiae favere se ostendit, eamque ab illicito concubitu subtrahere quamprimum peroptat.

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Carolum Crel, cui die 16 Decembris 1874 nupsit, Paulina Gambardella in inutile lignum traducit, et proin connubium opere imperfectum atque irritum proclamat.

Lectissimi consultores, theologus et canonista, inter se

haud conveniunt: eximius enim consultor theologus de matrimonii nullitate non satis constare censet, sed dispensationi locum esse existimat; canonista vero irritum matrimonium absque ambagibus renuntiat.

Ut muneri meo faciam satis ostendam neque matrimonii nullitatem, neque eiusdem inconsummationem ad iuris amussim demonstratam esse.

Enimvero potissimum argumentum, quo inconsummatio matrimonii eiusque nullitas ostendi posset, examen scilicet in corpore Caroli Crel a tribus archiatris peractum, claudicat, quia medici non iudicis ecclesiastici, prout iura praescribunt, sed laici magistratus iussu negotium expleverunt.

Quo vero ad iuratam coniugum confessionem testimonio *septimae manus* suffultam doleo, quod Caroli sorores ad iudiciale examen accedere renuerint; nec video ad examen accitam coniugum cubiculariam.

Tametsi, iis etiam omissis, testimonium *septimae manus* haud magni ponderis esse solet, quia testes huius generis facta, circumstantias, adiuncta ut plurimum dicendo amplificant, imo quandoque alienissima etiam a veritate iudici denuntiant, prouti parti se inducenti prodesse autumant.

Quinimo avito magistratui explorationem corporis praecipienti mordicus obstitit Paulinae patronus. Heic quaeram, si Paulina, cum viro valedixit, intacta, ut Minerva, manebat ceu *septimae manus* testes affirmant, quorsum patronus experimentum obstetricum aversatus est?

Quibus praenotatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Et quatenus negative:

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. re disceptata sub die 6 Maii 1893 censuit respondere:

Ad I. *Affirmative vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta Sacra Congregatione.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Matrimonium in themate nullum declaratum fuisse deficiente, ex una parte, aptitudine ad naturalem sexuum coniunctionem.

II. Traditionem etenim mutuam corporum ad sobolis procreationem, pertinere ad intrinsecam matrimonii rationem; et ideo nulliter contrahi quoties aliquid adsit impedimentum ad copulam exercendam.

ALEXANDRINA

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 18 Martii 1893.

Sess. 24 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Infausto aevo gallicae invasionis, ex novem paroeciis, quae olim in Alexandrina civitate recensebantur, per imperiale decretum anni 1806 duae suppressae fuerunt, atque ita earum numerus ad septem tantummodo coarctatus est. Imperiali decreto autem et ecclesiasticae auctoritatis ratihabitio accessit. Siquidem die 14 Martii insequentis anni Praesul Villaret, Casalensis Episcopus et Alexandriae Ordinarius praefatum decretum executioni mandabat, designans praeterea uniuscuiusque paroeciae territorium. Designatio haec vero hisce verbis fiebat: « Ecclesiae S. Marci, quae est collegiata loco Cathedralis suppressae, regiones urbis positas sub numeris civicis 2, 21, 22, 23 etc. » Paroeciae vero S. Mariae ad Nives seu S. Laurentii, praeter urbanas regiones pariter sub civicis numeris descriptas, attribuit « praeterea capsinas sequentes, nimirum capsinam alias dictam *Ioannis Prati*, nunc vero *Mazzola*, extra urbem positam, uti et aliam *la Moiza* et *Moizzetta*, aliam etc. »

Ita se res habuerunt usque ad annum 1825, cum Alexandrinus Episcopus Alexander d'Angennes populo paroeciae

S. Laurentii extra civitatem degenti plenius consulere cupiens, die 12 Februarii decretum emisit, cuius hic praecipuam partem referre praestat. « Quum itaque in visitatione pastorali, nuper per Nos facta, comperimus, districtum quemdam extra moenia huius civitatis, qui olim ad suppressam paroeciam S. Andreae aliasque pertinebat, modo vero a viginti annis circiter ecclesiae collegiatae et parochiali S. Mariae ad Nives et de Curte, S. Laurentii praesentis civitatis subiectum existere, in eodem parochianorum quingentorum et ultra numerum reperiri, tum ob locorum distantiam asperam coenosamque viam tempore praesertim hyemali senes puerosque ac debiles non sine maxima difficultate ad illam pro audiendis divinis officiis, et percipiendis sacramentis accedere non posse, cum si nocturno tempore civitatis ianuas claudi contigerit, ut saepius fieri solet, aegrotos praesertim spirituali sacramentorum subsidio carere, vel serius eisdem differri; ad dismembrationem, et erectionem respective novae paroeciae procedere statuimus. Idcirco facta hac super re, diligenti inquisitione, ac desuper constructo citato et audito d. Archipresbytero Bandolino Mussa dictae ecclesiae S. Mariae ad Nives et de Curte, nec non S. Laurentii parocho, processu de quo in actis, dictum districtum, seu territorium extra ianuam Ianuensem, sic dictum, positum, atque dictae paroeciae modo hactenus subiectum cum hominibus incolis, et familiis, a dicta parochiali ecclesia S. Mariae ad Nives, et de Curte et S. Laurentii nuncupata huiusce civitatis auctoritate ordinaria, et a S. Concilio Tridentino delegata, accedente, atque Nostri Capituli consensu, dividimus, et dismembramus: et donec nova ecclesia parochialis in centro, vel alio loco a Nobis, vel successoribus Nostris praedicti territorii aptiore designando, a parochianis construatur, ecclesiam confraternitatis hac in civitate prope ianuam Ianuensem sub titulo SS. Crucifixi existentem, cum suo loco, et districtu praedicto in parochialem ecclesiam.... ita erigimus, et constituimus atque sub invocatione S. Ioannis Evangelistae erectam volumus, et declaramus. »

Interim gallicum dominium eversum fuerat, atque Alexandrina civitate rursus sub Sardiniae regis dominio redacta, ad formam conventionis anni 1814, inibi erectas munitiones seu propugnacula destrui mandatum est. Attamen huiusmodi demolitio nonnisi lento gradu processit, ita ut usque ad annum 1857 nulla controversia quoad eversarum munitionum territorium excitata fuerit. Hoc vero anno, veluti enarrat sententia in praesenti causa a Vicario generali lata, quum muri antiqui Alexandriae quasi disparuissent, et extructae fuerint novae munitiones longe a civitate, canonici S. Laurentii censuerunt spectare ad illorum Ecclesiam collegialem, stationem viae ferreae, extructam infra ambitum novorum propugnaculorum. Sed quaestio perempta fuit argumentis apodicticis.

Nihilominus triginta elapsis annis, acrius atque latius exarsit controversia. Siquidem anno 1887 non modo parochus S. Laurentii, sed et Capitulum cum parocho Cathedralis et praepositus S. Alexandri ab Episcopo petierunt, ut declararetur pertinere ad urbanas paroecias loca ubi erigebantur antiqui muri ad meridiem civitatis.... et externum limitem loci praedicti sese saltem provehere usque ad praesentia propugnacula. Quibus cum parochus S. Ioannis opposuisset, declarari exposcitur iam pertinuisse et nunc pertinere ad paroeciale districtum S. Ioannis evangelistae territorium originem habens a muris ambitus circularis civitatis infra flumen Tanarum et portam Marengo.... praeterea declarari pertinere ad paroeciam S. Ioannis etiam moenium sedem. Re vero coram Vicario generali discussa, die 4 Martii 1890, sententia prodiit haec decernens: 1°. Reiecto supplici libello actorum. 2°. Pertinuisse et pertinere, ratione incontroversa, ad paroeciam S. Ioannis evangelistae, territorium cunctum quod olim pertinuit ad Ecclesiam collegialem et paroecialem S. Mariae ad nivem, et S. Laurentii etc.... sicuti habebatur tempore, quo emanatum fuit decretum diei 12 Februarii 1825. 3°. Parochum S. Ioannis evangelistae posse exercere iurisdictionem paroecialem supra territorium

in quo erigebantur munitiones civitati proximiores.... donec actores aut ex illis alter formiter ostenderit propriam iuris potioritatem super dictum territorium.

A qua sententia Capitulum una cum parocho Cathedralis et parochis S. Laurentii et S. Alexandri appellationem interposuit apud S. Sedem.

Disceptatio Synoptica

Defensio Capituli et parochorum etc. Qui actorum iura tuenda suscepit putat in primis sententiam contra iudiciorum leges fuisse latam, quippe quae possessionem servandam adversariis decernens, controversiam, praeter id quod in libello postulatum fuerat, in petitorio minime resolvit. Animadvertit praeterea pro urbanis parochis vehementem praesumptionem dimicare, ita ut si nunc non de iure tantum constituto, sed et de iure constituendo ageretur, ea tantum ad ius trium parochorum in tuto ponendum sufficeret. Ait enim, novissima aedificia quae in extrema civitatis parte erecta causae originem praebuerunt non solum intra urbem extare sed a propinquioribus ruralis paroeciae aedibus ultra milliarium abesse. Ad quae firmanda auctoritatem invocat geometrae Callegaris et parochi S. Laurentii nec non chiliarchi munitionibus militaribus praefecti, qui testatur: quod in charta munitionum antiquarum Alexandriae notatur una tantum domus ad meridiem portae, de qua agitur, et extra moenia. A moeniis distat domus m. 1266.

Verumtamen rem definiendam esse censet decreto Episcopi d'Angennes anni 1825, quod de districtu extra ianuam Ianuensem posito, loquitur. Atque hic putat, iudicem primi gradus a veritate aberrasse, cum ex eo quod asseratur praefatam ianuam in interiori potius quam in externa parte fuisse, intulit ianuae designatione lineam constitutam fuisse pro termino inter urbanas paroecias et ruralem. Misso autem quod si militaris auctoritas testata est quod ianua reperiebatur in ambitu moenium interiori minime statuit illius

locum, observat patronus, exploratum in iure esse limites paroeciarum omnino certos esse debere. In themate vero cum novae urbis aedes, ut ex typo geometrico in actis edito, superficiem interioris ambitus occupaverint, num illae aedes ultra vel citra lineam ianuae positae sint, intelligi non posset.

Insuper contendit, decretum anni 1825 nullum aliud propositum habuisse quam paroeciarum separationem inter urbem et agros. Hoc vero demonstrari autumat ex eo quod Episcopus Villaret de *capsinis* extra urbem locutus fuerit, quae praecise ab Episcopo D'Angennes dismembratae postea fuerunt. Ita pariter ex eo quod peractam divisionem Ordinarius populo nuntiavit his verbis: districtus territorialis extra moenia positus, fuit segregatus.... et erectus in novam paroeciam; quin de termino a ianua constituto ratio ulla habita fuerit. Ceterum, hanc divisionem inter districtus urbanos et rurales non modo ab ecclesiastica auctoritate, sed et a municipali recognitum fuisse tradit iam ab anno 1838.

Praeterea perpendendum vult orator, in citato decreto novo parocho attributum fuisse « districtum seu territorium »: quibus profecto intelligi nequit, ut ipse ait, parvum aliquod spatium moenibus interiectum. Secus enim decretum eo sensu legendum esset, ut iurisdictio extra moenia pro iurisdictione intra moenia haberetur. Distantiam vero ruralis districtus a moenibus eam esse tuetur, quae huiusce significationis promiscuitati obstet. Recolit siquidem propinquiores S. Ioannis aedes ultra milliarium a murorum ambitu abesse, idque demonstrari putat ex eo quod ex domunculis in decreto descriptis, quae minus ab urbe distat « la Vescova » iuxta geometram Callegaris bis centum super mille passibus a civitate disiungitur. Quibus positis, censet adiunctum illud quod in decreto legitur « si nocturno tempore civitatis ianuas claudi contingeret » esse, praeter distantiam et difficultatem, alteram dismembrandi rationem, minime vero terminum in loco ianuae et lineae definitionem. Quod etiam confirmari adnotat ex plurali numero, quo Episcopus usus fuit; nam si de finibus locutus fuisset, non ianuas, sed ianuam nominasset.

Verum potiusquam in verborum interpretatione immorandum, inspiciendam censet substantiam seu decreti summam. Recolit autem Episcopum d'Angennes in pastorali visitatione districtum quemdam extra moenia animadvertisse, qui maximas difficultates ad parochialis muneris exercitium praebebat. Ac primo locorum distantiam deprehendisse asserit patronus, quae quanta fuerit ex geometrica tabula in actis edita et militaris auctoritatis testimonio communiter deprehendi autumat. Unde ratiocinatur: si ob distantiam agrestis regio a paroecia S. Laurentii fuit avulsa, eamdem ob causam disiunctum esse debuit quidquid urbis et moenibus adhaeret a iurisdictione paroeciae ruralis. Neque obstare monet, parochos S. Ioannis semper in civitate mansisse et adhuc manere; namque in decreto anni 1825 precario tantum urbana ecclesia parocho fuit assignata et quousque ruralis ecclesia extrueretur.

Alteram causam dismembrationis, animadvertit orator, fuisse asperam coenosamque viam, hyemali praesertim tempore. Porro ait, nullo iure parochum contradictorem decretum interpretari contendere, ut sibi liceat quod Episcopus parocho S. Laurentii prohibuit, nempe urbanam et agrestem iurisdictionem habere per asperam coenosamque viam. Si enim, pergit, longum et difficile iter erat ex urbe ad agros facile et breve ab agro ad urbem fieri non poterat.

Postremam rationem in decreto accessisse putat: « si nocturno tempore civitatis ianuas claudi contigerit, ut saepius fieri solet, aegrotos praesertim spirituali sacramentorum subsidio carere, vel serius iisdem differri. » Hanc potiorem causam novae erectionis non fuisse, infert orator, non modo ex eo quod ianua haud semper occludebatur, sed etiam quia huiusmodi difficultas commeatum respicit non modo ab interiori munitionum parte, sed etiam ab externa, cum aditus ab utraque parte intercluderetur. Exinde vero sequi adnotat, quod si saepe parochus urbanus ex civitate egredi nequibat, saepe pariter ruralis urbem ingredi non posset. Ceterum concludit, hodie neque moenia prohibent aditum ad civita-

tem, quamquam haec sit vallis et propugnaculis munitissima, neque ianuae ab illa aditum ad agrum intercludunt. Quod si civiles seditiones vel obsidio, seu alia belli necessitas, rigidiorem custodiam requirant excubiae procul dubio intus et extra urbem pariter vigilarent, quinimo, ut ratio suadet, difficilius ingressum in urbem quam ex illa egressum permitterent.

Denique orator animadvertit, pluries Episcopum dixisse territorium *extra moenia*. Praemittit, ea voce moenia, cum sit a muniendo, iuxta auctoritatem Forcellini et Iacobi Cortese, non muros tantum, sed etiam propugnacula aggeres muniendi causa instructos designari, ac contendit hoc sensu a Praesule d'Angennes huiusmodi vocabulum intellectum fuisse. Quod vero ius attinet, invocat auctoritatem Barbosae *De off. et pot. Episcopi all.. XXXII n. 71* – ibi – « Septimo infertur habitantem in confinio duarum ecclesiarum parochialium censeri parochianum illius in qua domus aditum habet ex notabili doct. *Bart. in l. 6. n. 6 in fin. ff. de damno infecto;* huius illationis ratio est quia ex aditu iudicatur de domo cui cedat *l. c., cui aedes ff. ob legat. 5 etc.* Cui concinit Reiffenstuel *Ius. Can. lib. III tit. XXIX n. 20.* Fagnanus *in Cap. Ad Audientiam De Eccl. aedif. n. 10.*

Post haec aliud argumentum suppeditari censet ab ecclesiae parochialis loco ad tramites decreti 1825, atque hoc et a iudice primi gradus admissum fuisse putat, qui urbanam ditionem S. Ioannis impossibilem professus est his verbis: admissa etiam erectione paroeciae . . . difficultas accedendi, praesertim si ambitus moenium praesens clauderetur, tunc causam praeberet iustam Ordinario dismembrandi praedictum ambitum a S. Ioanne evangelista, eundemque uniendi alicui ex urbanis paroeciis, aut novam erigendi paroeciam. Siquidem interpretatio decreti quae ad mentem decreti novam dismembrationem induceret, minime admittenda esset, nisi dicere velimus nullius bono Episcopum D'Angennes anno 1825 dismembrationem iussisse. Inepte autem opponi autumat, ruralem Ecclesiam neque aedificatam fuisse, nec aedificari

posse. Etenim si nondum extructa fuit, id inobedientiae parochi S. Ioannis adscribendum esse ait, qui potius quam in « centro ruralis paroeciae » illam in civitate extruere volebat; hacque de causa illi petita superficies a municipali auctoritate his verbis denegata fuit: habito pro certo, quod si aliqua obvenire posset utilitas paroecianis S. Ioannis Baptistae ex Ecclesiae erectione, tantum veniret si haec aedificaretur inter domos, quae sparsim extant extra portam Savona; nam dum cogantur petere civitatem, tantum valet ut Ecclesia sit ubi reperitur, quantum ubi parochus vellet; quia satis sunt pauci gressus ad Ecclesiam comperiendam. Unde concludit patronus ex hucusque dictis scatere: 1 Episcopum D'Angennes per decretum anni 1825 gravibus incommodis quae ob urbanam et ruralem commixtam iurisdictionem eveniebant, occurrere voluisse: 2 ad hoc assequendum, ruralem ab urbana ditione novae paroeciae erectione segregasse; et 3 rurali parocho districtum seu territorium extra moenia tantum, non vero munitionum superficiem adscripsisse.

Post haec, quibusdam occurrens difficultatibus, orator illam diluere sategit, quae ex designatione territorii paroeciae S. Laurentii per numeros censuarios facta peti posset, et ex qua sequeretur, urbanam paroeciam nihil, praeter eos numeros, acquirere potuisse. Satis autem putat contradictori respondere, eum pariter per decretum anni 1825 nihil aliud habuisse quam districtum seu territorium, ac hisce verbis nullomodo designari posse moenia sive munitiones. Quinimo si urbanus parochus anno 1807 nedum urbanae ditionis partem habuit, sed etiam ruralis, arguendum dicit, illi munitiones etiam interiectas contigisse, cum absurdum esset paroeciam in duas partes divisam configere. Quod si hanc unius corporis continentiam quis denegaret, negandum pariter censeret, rurales domos numeris distinctas in decreto anni 1807 unum corpus effecisse cum ecclesia Sancti Laurentii, quae a domibus longe distat. Quid autem ineptius, observat, paroecias solis domibus constare, non autem spatio vel domibus interiecto, vel quod illis adhaeret.

Neque vim habere autumat aliam parochi S. Ioannis animadversionem, qua etiam sententia usa fuit, videlicet in hoc iudicio tres parochos sistere, quia nesciunt cui novae aedes adscribendae sint. Etenim asserit, urbanorum parochorum ius non modo in illa fronte versari quae paroeciam respicit S. Ioannis, sed etiam in toto moenium ambitu e conspectu totius ruralis territorii. Definita vero a S. C. C. urbana iurisdictio in moenibus, trium parochorum erit inter se omnia componere et cuiusque limites describere. Tandem putat nihil ad adversariorum causam conferre responsum S. C. in Gratianopolitana diei 21 Maii praeteriti anni. Tunc enim inter finitimas paroecias muris tantum et propugnaculis, non vero agrorum planitie unius milliarii disiunctas quaestionem agitatam fuisse recolit, atque iam ab anno 1858 ab Episcopo Ginoulhiac paroeciarum terminos per divisionem controversi territorii fuisse constitutos.

Ad postremum contradictoris argumentum ex possessione desumptum gradum faciens orator, nonnulla sententiae verba reprehendenda autumat, quibus superficies eversarum munitionum uti res nullius enunciatur, ideoque parochum S. Ioannis eam merito sibi addixisse dicitur. Etenim dato et non concesso quod tres parochi urbani in probatione defecissent, non exinde ius parochi ruralis oriretur, sed potius responderi posset iuxta Salomonis oraculum: « nec mihi, nec tibi, sed dividatur ». Praeterea cum moenia sint civitatis accessorium, utpote ad earum defensionem erecta, intrare putat principium: « accessorium sequitur principale ». Neque veritati niti contendit patronus curiae sententiam, cum asserit: quod parva esset Zona territorii, quae tribui posset quatenus paroeciis urbanis tribui deberet. Siquidem ex lytographico typo a praesidii chiliarcho edito ac in actis relato colligi censet, novas et amplas aedes non solum in superficie eversarum munitionum, sed imo in interiori huius parte fuisse aedificatas.

Tandem relate ad iactatam possessionem observat hic agi de aedibus recenter extructis, quae nullius possessionis prae-

sidium inducere possunt. Recolit enim orator, sententiam quatuor actus parochialis iurisdictionis pro parocho S. Ioannis admisisse, horumque antiquiorem diem praeseferre 23 Augusti 1885. Quoad vero antiquiorem possessionem, hanc unum aedificium respicere ait, quod vulgo dicebatur « cascinotto dell'artiglieria », de quo geometra Callegaris retulit: occupare aream metr. 450 circa, et distare circa 160 met. ab antiquo munitionum ambitu, nunc eversarum. Ibi autem, municipalis auctoritas testatur, morari nunc tantum duas personas. Praeterea, pergit orator, actus plures a parocho S. Ioannis ad exercitium sui muneris hoc in loco ostendendum allegati, si dividantur, ne unus quidem annuatim superest. Unde concludit, longissimi temporis possessionem inepte invocari, cum pluralitas actuum ad possessionem et observantiam requiratur, ad ea quae habet Gagliardi *De Iurep. tom. 1, cap. 7, num. 5.* Ceterum et parochus S. Laurentii testatur « d'aver benedetto nel sabato santo il cascinotto detto dell'artiglieria dal 1840 al 1845 circa, come appartenente alla parrocchia di S. Lorenzo, » eique Petrus Molinari qui illum comitatus fuit, edito testimonio, plene adstipulatur. Quibus positis, memorat patronus in iure compertum esse vel unico contrario actu possessionis vel observantiae cursum deleri. « Observantia enim excluditur etiam per unicum actum difformem, » uti docuit Rota in *decis. 260, n. 21, p. 13,* et confirmavit in *dec. 319, n. 37, part. 11, dec. 65, n. 14, p. 15, dec. 327, num. 27, p. 17, et dec. 213, num. 13, p. 19, t. 1.* Quoad parochum S. Alexandri, refert orator, illum iurisdictionem semper habuisse in aedibus vulgo « tettoie militari » super antiquarum moenium ambitu erectis, idque, ex ipsius parochi attestatione comprobari. Concludit igitur possessionem unius domunculae haud inducere posse praescriptionem quoad territorium eversarum munitionum iuxta notissimum effatum « tantum praescriptum quantum possessum » De Angelis, *t. ult. part. 2, p. 211.* Ceterum neminem latere ait, fines paroeciarum ne saeculari quidem lapsu praescriptioni obnoxios esse, veluti, ceteris missis, docent

Reiffenstuel *Ius Can. I, II, tit. XXVI, n. 40,* et Schmalggrueber *Ius eccl. par. III, tit. XXIX, 55, 3, n. 22 et 23.*

Defensio Parochi S. Ioannis. Ex adverso tamen parochi S. Ioannis patronus contendit imprimis nullum ius esse Capitulo et parocho Cathedralis nec non praeposito S. Alexandri sistendi in praesenti iudicio, ideoque ab eo esse removendos. Revocata enim notione iudicii ad *l. 8 et 13 Cod. De iud.* memorat, Rotam *Decis. 476, n. 8, et Decis. 552, n. 4, tom. 2, cor. Molines,* tenuisse actionem illi tantum competere, qui ius habeat persequendi in iudicio quod sibi debitum est, eumque fundamentum suae intentionis concludenter probare debere. Verum nullum ius provocandi ad iudicium Capitulo Cathedrali inesse censet, tum quia usque ab anno 1824 unanimi suffragio pro novae paroeciae erectione consensum dedit, tum etiam quia nullum illius ius fuit usurpatum, neque illatum aliquod damnum. Et re quidem vera cum Episcopus D'Angennes suburbanam paroeciam S. Ioannis constituit, eidem territorium extra ianuam Ianuensem olim ad paroeciam S. Laurentii pertinentem attribuit, quin aliquid a iurisdictione Cathedralis et S. Alexandri vel minimum auferret. Insuper si inspiciatur decretum Casalensis Praesulis Villaret anno 1807 latum, novum inde argumentum ad non ius actorum demonstrandum erui putat. Siquide ibi iurisdictio paroeciarum Cathedralis et S. Alexandri ad quasdam tantum civitatis regiones, cuius civici numeri designantur, circumscribitur, ac proinde ultra illas nullimode protendi potest. Id autem magis in tuto poni ait patronus ex graphica controversi territorii descriptione, quam EE. PP. inter informandum se exhibiturum spondet.

Neque aliquid facessere autumat, quod huiusmodi exceptio, qua duas paroecias a iudicio amoveri postulantur, haud in primo iurisdictionis gradu proposita fuerit. Nam, ait, parochum S. Ioannis duntaxat post curiae sententiam, decretum Episcopi Villaret et praefatam graphicam civitatis descriptionem cognovisse, ac proinde ea minime obiicere potuisse, quae adhuc ipsi erant ignota. Ceterum asserit orator, huius-

modi exceptiones in quolibet iudicii sede a reo convento contra collitigantes, opponi posse, neque ex mora ius parochi S. Ioannis peremptum fuisse.

Deinde controversiam propius attingens, tuetur sententiam Alexandrinae Curiae confirmationem S. C. C. mereri. Ait enim eam binas dirimere quaestiones, videlicet ante omnia declarare et decernere definitive spectare et spectasse ad S. Ioannis paroeciam rurale territorium olim paroeciae S. Laurentii, ac praeterea eidem parocho S. Ioannis ius competere continuandi et manendi in exercitio suae iurisdictionis super area iam occupata a propugnaculo civitati proximiori, ubi nempe adaperiebatur « porta Genova o Savona, » sed provisorio modo, et sub clausula revocandi sententiam, quatenus asserti actores, aut unus ex eis potiora iura demonstraverit. Animadvertit autem huiusmodi sententiam omnibus iuris praescriptionibus adamussim servatis fuisse latam, atque antequam ederetur ea omnia fuisse perpensa atque accurate descripta quae intricatam controversiam in lucem proferre potuissent. Verum, pergit orator, nedum quoad formam, sententiam numeris omnibus absolutam esse, sed etiam ob intrinsecas rationes; apprime enim cohaeret decreto Episcopi D'Angennes diei 12 Februarii 1825, ex quo haec consequi memorat. 1 Nonnisi ratione districtus extra moenia civitatis existentis et spectantis ad paroeciam S. Laurentii, erectam fuisse novam paroeciam, eo quia habitatores illius districtus ob distantiam et asperitatem viae carebant spirituali subsidio, praesertim nocturno tempore quo saepe portae civitatis claudebantur. 2 In eo edendo omnes solemnitates fuisse expletas, cum institutus fuerit processus citato et audito parocho S. Laurentii, et accedente Capituli consensu. 3 Patet a decreto, districtum seu territorium extra ianuam Ianuensem, quod olim ad ecclesiam S. Laurentii pertinebat, assignatum et tributum fuisse novae paroeciae S. Ioannis Evangelistae. 4 Eruitur demum, erectam fuisse in ecclesiam paroecialem, ecclesiam confraternitatis prope ianuam Ianuensem sub titulo SS. Crucifixi, donec altera constitueretur.

Porro adnotat sententiam de qua agimus nil aliud declarasse quam spectare « in modo assoluto et incontestabile » ad paroeciam S. Ioannis totum territorium rurale quod olim spectabat ad paroeciam S. Laurentii.

Ulterius observat, vi decreti dismembrationis et erectionis novae paroeciae, parochum S. Ioannis fuisse subrogatum alteri S. Laurentii. Porro compertissimum esse dicit, subrogatum succedere in omnibus iuribus privilegiis et praerogativis subrogantis, veluti ceteris missis, legitur in Oritana *Iurium parochialium diei 22 Septembris 1877*, § *Stolae usus*. Cum igitur in territorio existenti extra ianuam Ianuensem olim iurisdictionem habuerit parochus S. Laurentii, ait orator, eam modo ad subrogatum parochum devenisse.

Sed quod maius est, accedere putat observantiam annorum sexaginta et ultra parocho S. Ioannis omnino faventem. Quantam vero sibi ea vindicet auctoritatem non est cur multis dicamus, cum id tralatitium in iure sit. Rota *dec. 162 n. 2 part. 10 inter recent.* Lotterius *De re benef. lib. 2 quaest. 11 num. 123* et De Luca *De iurepatr. dis. 60 n. 9*. Eam vero magis faciendam esse recolit, si veluti in themate, sit legi proxima et coaeva, iuxta Pitonium *Discept. eccl. disc. 159, n. 44* et S. Congr. Concilii *in Ceriniolen Interpretationis 1 Aprilis 1876* § *Orta*. Iamvero in casu observantiam diuturni temporis proximam et coaevam ipsi erectionis decreto revera extare, colligi autumat ex ipsa sententia. Quibus si addatur anno 1857 eamdem fere controversiam a parocho S. Laurentii derelictam fuisse post rationes a parocho S. Ioannis curiae oblatas, res in tuto posita oratori videtur.

Ex hac igitur observantia, quae etiam ex noviter deductis confirmationem accipere censet, oriri animadvertit praescriptionem. Porro si possessio per quadraginta annos cum titulo ex *cap. I De praescr. in 6*, praescriptionem inducit, id magis in themate tenendum esse ait. Neque valide opponi quod fines paroeciarum sint impraescriptibiles; nam hic agitur ex utraque parte de paroecia, quae cum eodem iure fruatur, quaestio dirimenda est ad tramitem communis iuris. Quo-

circa ad eliminandam praescriptionem deberet adversa pars probare illam fuisse interruptam, aut sin minus a decennio defecisse, quod impossibile proclamat. Ceterum pergit, si iuxta doctores, confines probantur per exercitium iurisdictionis, ut videre est apud Mascardum *De prob. concl. 403, n. 2.* si confinia probantur per litteras Episcopi vel alterius iudicis ordinarii *loc. cit. n. 14;* a fortiori standum est in casu iudicio Ordinarii, qui iudicialiter inquisivit super pacifica possessione iurisdictionis paroecialis S. Ioannis annorum sexaginta et ultra, ab ipsa adversa parte admissa et recognita.

Post haec adnotat, in Alexandrinae Curiae sententia haec verba observatu digna reperiri: parochum S. Ioannis in iurisdictionis exercitio super controverso territorio perseverare debere, « fino a tanto che gli attori od alcuno di essi abbiano giuridicamente ed in modo certo dimostrato il loro poziore diritto etc. » Porro his verbis, ait, minime quaestionem definitam fuisse, sed iudicem manere in eadem controversia, donec eam totaliter definiat ac terminet per sententiam definitivam, ceu eruitur ex *L. 14 de ff. de re iudicata.* Verum prosequitur a sententia quae non est definitiva, non datur appellatio nisi in casibus a Concilio Tridentino praescriptis *Sess. 24 de Reform. cap. 20.* – Ibi – « Neque appellationes ab eisdem (Ordinariis) interpositae per superiores quoscumque recipiantur, nisi a definitiva, vel a definitivae vim habente, et cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. » Unde docet Ferraris notissimus in sua *Bibliotheca canonica,* in quatuor casibus appellari posse in iudicio: videlicet, primo a sententia definitiva; secundo a sententia vim habente definitivae; tertio a sententia interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, quando gravamen huiusmodi per sententiam definitivam reparari non potest; quarto a sententia interlocutoria, quotiescumque a sententia definitiva appellari non potest. *Verb. Appel. art. IV num. 26 et seq.* Atqui nullum horum casuum in themate locum habere censet. Scribit enim patronus: non agitur de sententia

definitiva, nam iudex sibi reservavit ius eamdem causam cognoscendi iterum atque decisionem emittendi super potioribus iuribus adversae partis; proinde nec agitur de sententia vim habente definitivae. Insuper non agitur de gravamine irreparabili, siquidem locus est reparationi si constet de potioribus iuribus per sententiam definitivam. Quare concludit, quaquaversus res perpendantur non esse locum appellationi contra alteram sententiae partem.

Ad ea vero roboranda quae hucusque de observantia patronus asseruit, allegat nonnulla testimonia quae EE. VV. fideliter videntur referenda. Ac in primis sacrista S. Ioannis de parocho affirmat, quod semper iura et onera sui ministerii implevit super territorio antiquarum munitionum; atque eadem persensisse ab antecessoribus, qui seniores supremum diem obierunt. Alii pariter gravi aetate praediti idem testantur. His accedunt regesta parochialia ecclesiae S. Ioannis, ex quibus colligitur matrimoniis eorum qui controversum territorium incolebant parochos praefati templi benedixisse, qui pariter mortuis in locis capsinae *Grossae, Spalti, Rubaglia* et « sopra le antiche fortificazioni » extrema officia persolverunt. Quae omnia, memorat, Episcopo tanti ponderis visa sunt, ut S. C. C. de rationibus ab eodem parocho deductis scribere haud dubitaverit: graves mihi visae sunt, et ideo nequeo non adhaerere eisdem.

Demum confugit ad responsum S. C. in Gratianopolitana diei *21 Martii 1892,* (1) in qua pariter de territorio eversarum munitionum inter urbanam et suburbanam paroeciam controvertebatur, ac recolit favore parochi suburbani decisionem prodiisse eo quia aggeres, propugnacula et cetera militaria opera ceu pars moenium haud habita fuerunt.

His relatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Alexandrinae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

(1) Recole Vol. XXV, 149.

Resolutio. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 18 Martii 1893, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

NANNETEN. ET CAPITIS HAITIANI.

DUBII QUOAD ORDINATIONES

Die 15 Iulii 1893.

Sess. 23 cap. 8 De reform.

Compendium facti. Vertente mense Iulio anni 1890, Episcopus Capitis Haitiani simulque administrator apostolicus Portus Pacis haec S. C. exposuit:

« Seminarium maius provinciae Haïtianae situm est in Dioecesi Nannetensi. Omnes autem seminaristae sunt subditi alicuius ex episcopis haïtianae ditionis. Usquemodo ordinationes in ecclesia Seminarii factae sunt tum ab uno, tum ab alio episcopo nomine episcoporum Haïti, aliquando etiam ab uno ex episcopis haïtianis, ex licentia episcopi nannetensis semel data, et litteris dimissorialibus ad episcopum ordinantem datis, non autem ad episcopum nannetensem. Testimonia etiam ordinationis ab eodem episcopo ordinante subscripta sunt, nulla facta mentione delegationis Episcopi nannetensis. » Atque his relatis, quaerebat « 1° Utrum retineri possit talis agendi modus. Quatenus negative 2° Numquid episcopi nannetensis solius sit sive per se sive per alium ordinationes facere in praedicto seminario, datis sibi ab ordinariis ordinandorum litteris dimissorialibus. 3° Cuius sit subscribere testimonia ordinationis. 4° Cuius nomine legi debeat interdictum ante ordinationem. » Preces ceu de more statim remissae sunt episcopo nannetensi, qui mense Septembri insequenti haec tantum S. C. significabat: « Mihi rem attentius consideranti, et perspicienti huiusmodi alumnos neque ratione originis, ut plurimos, neque ratione destinationis, neque ratione magistrorum quibus utuntur, sub ditione Episcopi Nan-

netensis constitui, visum est respondendum satius esse ut Episcopi provinciae haïtianae usum retineant de his quoad ordinationes et testimonia ordinationis disponendi tamquam de suis, omissa omnino delegatione Episcopi Nannetensis ».

His acceptis litteris, cum res aliquantulum obscura videretur, rescriptum fuit utrique Episcopo, ut magis praecise referret a cuius iurisdictione et vigilantia dependeant alumni et seminarium praedictum, nec non ut transmitterent, si quae essent in regulis aut fundationum tabulis dispositiones quae ad ordinationem alumnorum aut eiusdem Seminarii dependentiam spectarent. Ac tunc episcopus Capitis Haitiani hanc accuratam informationem S. C. allegavit, quae tenoris est sequentis: quam, licet vernaculo idiomate exaratam, totidem verbis hic exscribendam operae pretium existimo.

1. « Le Séminaire de la province d'Haïti est établi au Calvaire de Pont-château, diocèse de Nantes dans une maison appartenant à la Compagnie de Marie. Il a été fondé en 1872 par Monseigneur Alexis Guilloux, Archevêque de Port-au-Prince, avec l'agrément de Monseigneur Fournier, Evêque de Nantes et confié à la direction des RR. Pères de la Compagnie de Marie en vertu d'une Convention passée entre l'archevêque de Port-au-Prince et le Supérieur général de la dite Congrégation. Un rescrit du Saint-Siége a autorisé la Compagnie de Marie à s'occuper de la direction du Séminaire d'Haïti. »

2. « Le Séminaire de Pontchâteau est entièrement sous la iuridiction et la surveillance des évêques d'Haiti, et c'est à eux que le Supérieur de la maison rend compte à des époques fixées de l'administration spirituelle et temporelle de l'établissement. Le Supérieur général de la Compagnie de Marie a de lettres de vicaire général des Evêques d'Haïti afin de pourvoir en leur nom, aux nécessités du séminaire, spécialement pour les ordinations, les lettres testimoniales et dimissoriales, les *celebret* à donner aux jeunes prêtres, etc. »

3. « Les ordinations ont lieu le plus souvent dans la chapelle du Séminaire. Elles sont faites par un Evêque in-

vité de la part des Evêques d'Haïti, qui ont la faculté d'ordonner leurs sujets *extra tempora per se, vel per alium Episcopum*. Monseigneur l'Evêque de Nantes qui montre à l'établissement la plus grande bienveillance a daigné venir plusieurs fois lui-même faire les ordinations au séminaire, sur la demande du Supérieur. C'est à lui, du reste, qu'on demande l'autorisation nécessaire pour les fonctions pontificales quand elles sont faites par un autre évêque. »

4. « Les élèves du séminaire sont ordonnés au nom de l'Evêque d'Haïti au diocèse duquel ils sont incorporés après avoir été excorporés de leur diocèse d'origine, et en vertu des indults accordés aux mêmes évêques pour les ordinations *extra tempora*, les dispenses de titre d'ordination, etc. Les ordinations se font donc au nom des évêques d'Haïti par un Evêque qui agit en leur lieu et place, dans un établissement qui est entièrement sous leur dépendance, quant à son administration et avec la permission requise de l'évêque diocésain du lieu pour les fonctions pontificales ».

Haec eadem fere et Episcopus Nannetensis serius respondit, addiditque: « Non ullae regulae aut dispositiones aliquid praescribunt de ordinatione alumnorum. Ipsi alumni sunt subiecti alicuius ex Episcopis provinciae haitianae, non quidem ratione originis (e diversis enim Galliae dioecesibus congregantur), sed virtute litterarum excorporationis ab Episcopo originis acceptarum.... Seminarium quidem ratione loci, ad dioecesim Nannetensem pertinet, ibique Episcopus Nannetensis iurisdictione ordinaria primario pollet. Ex eius autem licentia semel data, Episcopi Haïtiani aut eorum delegati Pontificalia exercent, ordinationes celebrant, ceteraque huiusmodi sine restrictione praestant ».

Disceptatio Synoptica

Praxis servanda videtur. Et in primis favore inolitae praxis observari posset, eam consonam videri dispositioni Tridentini in *Cap. 8 sess. 23 De Reform.*, qua statuitur ut

« unusquisque a proprio Episcopo ordinetur ». Scitum enim est huiusmodi facultatem proprios subditos ordinandi exerceri posse ab Episcopis vel per se, vel litteras dimissoriales dando. Hae vero dimissoriales, ceu ius aperte monet, « ad quemcumque antistitem, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentem » mitti possunt. Unde profecto reprehendendi haud esse viderentur Haïtiani Episcopi, qui haud valentes ob locorum distantiam suis subditis in Gallia commorantibus sacros ordines per se conferre, eos ad alios Antistites sibi benevisos remittunt. Nec forsan obiici posset alios Episcopos, quibus litterae dimissoriales diriguntur, non posse Pontificalia et proinde ordinationem habere intra limites dioecesis Nannetensis ad tramites *Cap. 5 sess. 6 De reform.* Etenim ex deductis constat Nannetensem Praesulem amplissimam ad hoc concessionem Haïtianis Episcopis indulsisse, ac iure a S. C. C. in themate rogatum respondisse: « satius esse ut Episcopi provinciae Haïtianae usum retineant de his quoad ordinationes disponendi tamquam de suis, omissa omnino delegatione Episcopi Nannetensis ».

Accedit quod licet mentio expressa exemptionis Seminarii in loco Pont-château erecti, haud inveniatur in actis, nihilominus ea saltem aliquo sensu minime videretur deneganda. Sane ipse Antistes Nannetensis fatebatur praedicti seminarii alumnos « neque ratione originis, ut plurimos, neque ratione destinationis, neque ratione magistrorum quibus utuntur, sub ditione Episcopi Nannetensis constitui ». Ac praeterea ex litteris Episcopi Portus Pacis eruitur, superiorem generalem Congregationis Mariae Episcoporum provinciae haïtianae personam in Gallia gerere, ac vere eorum Vicarium generalem constitutum fuisse praesertim « pour les ordinations, les lettres testimoniales et dimissoriales, les *celebret* à donner à jeunes prêtres etc. ». Haec autem profecto dum ex una parte privilegium aliquod a S. Sede indultum ostendere videntur, ex alia clare innuunt praefatum Seminarium aliquali exemptione saltem de facto praeditum esse.

Quod si praxis hucusque vigens pro alumnis Seminarii

Haïtiani, in transmissione litterarum dimissorialium et in collatione ordinum haud sit improbanda, sequi etiam videretur idem tenendum quoad subscriptionem litterarum quae de peracta ordinatione fidem faciunt. Siquidem compertum est easdem litteras ab eo Episcopo dandas esse, qui sacram ordinationem habuit: ad summum exigi poterit, ut in iisdem testimoniis de venia Pontificalia exercendi a Nannetensi Praesule concessa mentio fiat.

Praxis reiicienda videtur. Nihilominus ex altera parte perpendendum est facultatem ordines conferendi non cuicumque Antistiti ubique competere, sed eam tantummodo in propria dioecesi exerceri posse. Sane, in casu haud agitur solummodo de exercitio potestatis ordinis, sed de actu iurisdictionis, qui extra territorium nequit admitti. Monet de Camillis *Inst. Iur. Can. tom. 2. pag. 105. edit. Paris. an. 1868,* posse quidem Episcopos alienum clericum ordinare cum dimissoriis Ordinarii eius, ast addit: « sed Episcopus qui eos (dimissoriales litteras) recepit, debet cavere uti ibi conferat, ubi datur ei pontificalium usus ». Et clar. Devoti *Inst. Can. lib. 1. Tit. 4. sect. 2.* § *II.* scribit: « Ordinum ubique conferendorum potestas unius est Romani Pontificis, Episcopi in dioecesi sua ». Quod autem in casu Episcopus nannetensis facultatem habendi Pontificalia in Seminario Haïtiano aliis Episcopis indulserit, id haud secumfert potestatem ordinationes quasi in proprio territorio peragendi. Unde ceteri Praesules, Haïtianis minime exclusis, quoties ibi sacros ordines conferunt, nomine nannetensis Antistitis agunt, cuius etiam esse videtur de ordinandorum requisitis iudicium ferre, omniaque ordinationi praemittenda moderari. Ceterum praxis Romae et fere ubique vigens ea est, ut quoties aliquis Antistes in aliena dioecesi ordines confert, id non modo ex venia, sed vice et nomine Episcopi dioecesani peragat.

Inepte vero prorsus ad seminarii exemptionem in themate confugeretur, quae cum odiosa res sit, utpote laesiva certi iuris Praesulis nannetensis, esset concludenter non vero per illationes probanda. « Seminarium quidem ratione loci ad

Dioecesim nannetensem pertinet, ibique Episcopus nannetensis iurisdictione ordinaria primario pollet » scribit S. Congregationi idem nannetensis Antistes, ac proinde nullum privilegium quod ordinariae iurisdictioni deroget admitti potest. Hisce autem positis, et controversia de subscriptione litterarum testimonialium absoluta videretur. Equidem cum unus nannetensis Praesul sacras ordinationes vel per se vel per alium in suo territorio peragere valeat, sequitur et ipsi tantum competere habitae ordinationis testimonia exarare.

Tandem relate ad ultimum quaestionis punctum scilicet cuius nomine legi debeat interdictum ante ordinationem, cum *ex capit. novit* et *l. omnes 2 ff. de off. procons.* extra territorium nemini datum sit iurisdictionem contentiosam exercere, ne iudici ordinario illius loci iniuriam inferat, Episcopi nannetensis nomine legi dicendum esset. Neque valet quod clerici subditi sint Episcopi ordinantis, nam ferens censuram debet esse intra proprium territorium, nam extra illud existens, etiam sibi alias subditum, censurâ haud ligare potest. Ita Abbas *in cap. novit 7 num. 3 de off. leg.* Schmalzgr. *Pars IV. t. 39 n. 24 etc.*

His quoad propositas quaestiones summatim delibatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An praxis usque adhuc servata in ordinatione clericorum Seminarii Haitiani intra limites Dioecesis nannetensis existentis, retineri possit in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An tantum Episcopi nannetensis sit ordinationes in praefato Seminario peragere, dimissoriales litteras Ordinariis alumnorum recipere, ferre interdictum ante ordinationem et collatorum ordinum testimonia subscribere in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii re discussa sub die 13 Iulii 1893 censuit respondere: Ad I. *Consulendum SSmo pro confirmatione praxis, ita tamen ut ordinandi ad alium*

Episcopum dimitti non debeant, quoties Episcopus Nannetensis ordinationes habeat. Ad II. *Provisum in primo* (1).

Ex quibus colliges: I. Ex iure unicuique Episcopo datam esse, non ubicumque sed tantum intra limites suae Dioecesis, potestatem iurisdictionis et facultatem promovendi ad ordines sacros subditos proprios, aliosque litteris dimissoriis Ordinarii sui praeditos.

II. Qua de re consuetudinem, quae hanc duplicem potestatem Ordinariorum limitaret, omnino fuisse respuendam, utpote iurium Episcoporum laesivam.

III. Hinc in themate opus fuisse, ut praxis inolita manuteneri posset, accedere apostolicum beneplacitum, quo ea confirmaretur, et legitima fieret.

ALBINGANEN.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 15 Iulii 1893.

Per summaria precum.

Compendium facti. Episcopus Albinganensis iam mense Martii huius anni Sanctissimo Patri, quem Deus diutissime sospitet, humiliter exponebat: administrationem Cathedralis, cui praeest Orator, aere alieno valde oberari, instaurationis causâ, post cladem, cuius causa terraemotus: eâdem inopiâ laborare Seminarium; ita ut oporteat dimittere nonnullos optimae spei iuvenes, qui gratis aluntur, eorumdem paupertatis causâ: apud Curiam esse fundum 14,000 libellarum, quarum reditus erogantur in missas, quae loci onere non gravantur, dummodo infra annum litentur: vim hanc pecuniae forsan conflatam fuisse per reliquias antiquorum legatorum missarum, aut per assignationes piarum animarum pro missis privatis et liberis: ideoque facultatem petere erogandi praedictam summam ad sublevandam Cathedralis et

(1) Recole Vol. XIV, 392, et 398; ubi relata fuit appendix quoad litteras testimoniales et dimissorias etc.

Seminarii egestatem arbitrio Ordinarii et pro necessitate utriusque entis, remissis etiam quasi per totum, oneribus.

Huiusmodi vero precibus die 8 Aprilis 1893 rescriptum fuit: « *Attentis etc. pro gratia ad quinquennium erogandi favore Seminarii reditum dumtaxat enunciatae summae, imposita singulis, qui beneficium exinde consecuturi sint, obligatione pias preces recitandi pro benefactoribus, et aliquot missas pro eisdem celebrandi postquam ad sacerdotium fuerint promoti, iuxta prudens Episcopi iudicium, supplendo, etc.* »

Nuperrime vero idem Episcopus preces instantius iteravit: rerum penuriâ coactus, petiitque ut amplior sibi indulgeretur gratia; ita ut posset consulere Seminario, et partem dimittere aeris alieni, super Cathedrali gravantis, ad dedecus et damna ulteriora praecavenda.

Disceptatio Synoptica

Petitio respuenda videtur. Commutationem voluntatis et praesertim missarum reductionem uti per se odiosam et piarum dispositionum eversivam a sacris canonibus improbari palam est. *Can. ultima voluntas, causa 13ª quaest. 2, l. 2 Cod. de sacros. eccl., Clement. Quae contingit de religios. dom.* Concil. Trident. *sess. 22 cap. 6 de Reform.* Reiffenstuel *III 26 n. 804.*

Sacra autem haec Congregatio Synodus Tridentinae sanctionibus inhaerendo valde semper sollicita fuit, ut praescripta missarum sacrificia in animarum expiationem adamussim litarentur, et ut sancte ac religiose custodirentur piae dispositiones, quas nec in opus melius, ubi commode impleri possint, immutari permittit, ceu videre est in Florentina *Reductionis onerum, 26 Augusti 1820;* in Tolentina *Commutationis voluntatis, 22 Aprilis 1826,* aliisque pluribus.

Praeterea in themate facultas ab Episcopo petitur erogandi non modo reditum, verum etiam ipsammet sortem, quod perraro a S. C. C. concessum fuit, et nonnisi acce-

dentibus gravissimis et perspectissimis necessitatis vel utilitatis causis, quae in casu haud existere viderentur. Re sane vera Seminarium, sorte erogata, non amplius reditibus frui posset, et in iure cautum est quod reparatio ecclesiae cathedralis fieri debeat de ipsis ecclesiae reditibus, si quos habet; secus adstringantur Episcopus, canonici de praebendis, deducto ne egeant; necnon omnes qui aliquid de ecclesiae fructibus participent; et ultimo loco totus clerus et populus. Reiffenstuel *lib. III tit. 48 num. 28;* Pirhing *III 48 n. 19;* Sperellius in *Decisione 68 num. 20.*

Petitio admittenda videtur. Nihilominus contra perpendendum est, S. C. C. innixam *cap. 6 sess. 22 de Reform.* Concilii Tridentini millies testatorum voluntates immutasse, quoties extiterit causa iusta et necessaria; et ad missarum aliorumque legatorum suspensionem devenisse, ut fabricae necessitati prospiceretur, ceu videre est in Senogall. *Fabricae eccl. 20 Febr. 1726 ad 2 dub.*, in Ferentina *Reaedificat. eccl. 25 Maii 1805*, et in Tiburtina *Suspens. capell. 13 Ian. 1816.*

Quod autem hic ad gratiam indulgendam causa iusta et necessaria concurrat, in dubium haud revocari posse videretur post ea quae Episcopus retulit.

Quod si EE. PP. censuerint, Episcopi precibus annuendum esse piarum voluntatum commutationem decernendo, perpendere haud abs re erit, utrum et quomodo apponenda sit conditio celebrandi quotannis aliquas missas, ut et cathedralis utilitati consulatur, et sarta tectaque quoad fieri potest piorum testatorum iura serventur.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 15 Iul. 1893, censuit respondere: *Prout proponitur, negative.*

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 15 Iulii 1893.

Per summaria precum.

Compendium facti. Sacerdos Alphonsus e Serino ordinis Minorum S. Francisci litteris datis die 4 Maii huius anni, supremi Principis benignitatem humiliter deprecatus, exponebat: sese dispensatione apostolicâ iam indiguisse ob amputationem digiti medii et indicis sinistrae manus passam; nunc vero, quum pollicis amputationem eiusdem sinistrae manus sit passus, exposcere novam dispensationem, ut missam litare valeat.

Disceptatio Synoptica

De irregularitatis existentia nullum dubium ut ex *cap. ult. De corpore vitiatis, cap. 2 De clerico aegrot.* et ex pluribus S. C. C. decisionibus patet. Cum tamen de iam promoto hic agatur, erga quos S. C. maiori in similibus casibus indulgentiâ uti solet, ne qui iam sunt sacerdotes ob superventum infortunium a sacrosancto missae sacrificio celebrando perpetuo abstinere cogantur, et hinc maiorem etiam afflictionem in suo gradu sustineant, quam illi qui pari infortunio ad sacros ordines promoveri prohibentur, preces non omnino spernendae videntur. Quod si huiusmodi dispensationis presbyteris indultae exempla adducenda sint, prae aliis non paucis etiam graviora afferri possunt ex Mutinen. *24 Maii 1734*, in qua benignitatem S. C. C. expertus est sacerdos, qui tres digitos pollicem scilicet indicem et medium amiserat, et ex Geruntina *26 Aprilis 1788*, in qua ob oratoris paupertatem vestro propitio rescripto donatus est sacerdos Caietanus Falbo, qui digitos universos laevae manus perdiderat.

Ut de causa tandem in huiusmodi dispensationibus requisita loquar, ea praesto esse videtur in ecclesiae utilitate. Siquidem Vice-procurator generalis eiusdem Ordinis S. Fran-

cisci super oblatis precibus rescribit: « Enixe commendo oratoris preces ». Quanti autem haec facienda sint, Emi Patres, eo vel maxime quod orator ad ordinem pertinet, in quo plures adsunt sacerdotes, vestrae erit sapientiae decernere.

Quibus expositis quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra Congreg. Conc. re disceptata sub die 15 Iulii 1893 censuit respondere: *Pro gratia, praecio experimento faciendo coram magistro caeremoniarum respectivae Ecclesiae Cathedralis.*

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

FIRMANA seu AVERSANA

PENSIONIS

Die 10 Martii 1893.

Compendium facti. Ad instantiam pensionariorum Ferrari et Ferraiè, tertio redeunte causa, contra Episcopum Aversanum, pensiones a Sede Apostolica super eius mensa impositas post annum 1860 solvere detrectantem, tum ob superventum augmentum taxarum, tum ob alias pensiones arbitrarie impositas a Gubernio *Dictatoriali* et *Locumtenentiali:* dubitandi formulae: *An et in qua summa et quo tempore Episcopus Aversanus pensiones solvere teneatur in casu.* S. Congregatio Episcop. et Regular. die 5 Martii 1875 consultissimum edidit responsum: « *Firmo remanente Rescripto diei 28 Augusti 1874, nempe ut interim non retardetur solutio quartae partis pensionum decursarum, esse locum pro nunc solutioni tertiae partis ratarum pensionum ab hoc anno inclusive decurrendarum, et causa reproponatur ad instantiam partium, seu partis immutato statu reddituum Mensae Episcopalis.* »

Ad tramitem huius resolutionis etiam pensio canonici Sabini Gioventù dioecesis Firmanae, Aversanam mensam gravans a Libellis 212.50 reducta fuit ad lib. 70.80. Verum cum canonicus Gioventù comperiisset et reditus Mensae Aversanae ab anno 1875 auctos fuisse, ad cessationem 8 vel 9 pensionum dato recursu sub die 17 Martii 1891 institit apud memoratam S. Congr. ut resolvatur quaestio, an et a quo tempore sit locus repetitioni integrae pensionis favore oratoris; et quoniam ab anno 1885 suspensa fuerat solutio pensionis reductae, petiit ut etiam super hoc puncto causa extenderetur: hinc discussio infra scriptorum dubiorum.

Disceptatio Synoptica.

Quae favent canonico Gioventù. Suas preces quoad instaurationem integrae pensionis esse benigne excipiendas canonicus sustinet, quia omnino id respondet nuper allatae decisioni S. Congregationis sub die 5 Martii 1875, ubi facultas fit pensionariis si status redituum mensae Aversanae immutetur, causam iterum proponendi. Iam vero statum redituum mensae in melius immutatum esse, patere, ait, canonicus Gioventù, nedum ex eo quod 8 vel 9 pensionarii morte intercepti sunt ab anno 1875 usque in praesens, inter quos Eminentissimus Cardinalis de Luca, qui super praefata mensa annua pensione lib. 3451 fruebatur, sed quod magis est, ipse non denegat Aversanus Episcopus, qui in suis literis diei 16 Iulii fatetur: *Mensam onere aliarum pensionum levatam esse*: quin imo addit: *suam mensam esse unam ex ditioribus.*

Neque ullo in pretio habendum quod oggerit idem Episcopus, nempe quod si reditus mensae aucti sunt, etiam alia onera sibi accesserunt, ut expensae favore Seminarii, opera beneficentiae publicae magis amplificata, et diffusio bonorum librorum. Reponit enim canonicus Gioventù quod cum haec opera sint merae liberalitatis anteponi non debent obligationi strictae iustitiae. Neque praesumi potest Summum Pontificem talia opera, praesertim diffusionem bonorum librorum, inculcantem, id fieri velle cum praeiudicio satisfactionis one-

rum ab ipsa Sede Apostolica impositorum : quin imo si vellet, non posset, obstaret enim regula : *de iure tertiis quaesito non tollendo.*

Quare ex hucusque disputatis, concludit canonicus Gioventù, prono velut alveo fluit, suam pensionem ad pristinum statum restituendam esse, et id usque ab an. 1875, cum ab hoc tempore mensa Episcopalis ab onere pensionum relevari inceperit : sin minus urget ut eius redintegratio initium sumat a mense Decembris an. 1883, hac siquidem epocha extremum diem vidit Emus Cardinalis de Luca, unus ex praecipuis pensionariis.

Quo vero ad alterum quaestionis punctum seu quoad repetitionem ratarum pensionis ut ut reductae ad tramites supra relatae resolutionis ab anno 1885 usque nunc decursarum et insolutarum, id maxime aequitati conforme esse contendit canonicus Gioventù : siquidem : *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum, Regul. XVI de Reg. Iuris in 6.* et *locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura, Reg. XLVIII de Reg. Iuris in 6.* cui consonat *l. 206 ff. de Reg. Iur.*

Deductiones Episcopi Aversani. E contra Episcopus acriter se opponit restitutioni pensionis in integrum statum sustinens eam permanere debere in rata designata a S. Congregatione an. 1875, nempe in tertia parte seu in libellis 70.84. Verum quidem est, ipse subdit, quod nonnullae pensiones desierunt, attamen nihil utilitatis Mensae Episcopali allatum est, alia onera enim subintrarunt, ut augmentum taxae quotae concursus quae nunc ascendit ad libellas plus quam 18.000, expensae favore Seminarii et alia id generis quae enumerat et quae complexive efformant annuam summam lib. 24.844:18 hinc reditus mensae potius quam aucti dici debent imminuti.

Attamen dato et non concesso quod reditus mensae succreverint, redintegrationem pensionis incipere debere a die motae litis. Contradictorem enim canonicum latere non possunt, pergit Praesul, patula verba Rescripti S. Congregationis sub die 5 Martii 1875, in quo, post concessam pensionis re-

ductionem praescribebatur, ut non fiat reditus ad integram pensionem, nisi ad instantiam partium, novum instauretur iudicium – ibi – *causa reproponatur ad instantiam partium seu partis, immutato statu reddituum mensae Episcopalis.* Aliunde iniquum foret actualem Episcopum cogi ad solvendam pensionis quotam, ad quam suus Praedecessor adstrictus foret.

Tandem quoad ratas pensionis iam decursas et insolutas id provenisse, ait Praesul, ex culpa ipsius pensionarii Gioventù, qui nunquam titulum concessionis exhibuit, paratus ad solvendum si regulariter postulasset: aliunde in Archivio Episcopali ne vola quidem de memorata concessione extat, et canonicus Gioventù solum an. 1891 reclamavit solutionem, quae tamen incipere deberet non ab an. 1885 ut contendit praefatus canonicus, sed potius ab anno 1886, seu a die 30 Augusti, qua die actualis Episcopus nactus est possessionem Sedis Episcopalis Aversanae.

Quibus pro utraque parte enucleatis, proposita sunt dilucnda

Dubia

I. *An et a quo tempore Canonicus Gioventù repetere possit ab Episcopo Aversano integram pensionem in casu?*

II. *An et a quo tempore idem Canonicus repetere possit ab eodem Episcopo solutionem tertiae partis pensionis, ad tramitem Rescripti 5 Martii 1875, et ab an. 1885 adhuc insolutae in casu?*

Resolutio. Sacra Congregatio Episcop. et Regular. die 10 Martii 1893, in Generalibus Comitiis, re mature discussa, rescripsit:

Ad I. *Affirmative a die latae sententiae 10 Martii 1893.*

Ad II. *Affirmative a die adeptae possessionis.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

DECRETUM, quo Orationi pro conversione Israelitarum adnectitur indulgentia centum dierum.

Beatissimo Padre

Le religiose di N. S. di Sion in Smirne, prostrate al bacio del S. Piede implorano umilmente dalla S. V. una qualche indulgenza per tutti i fedeli che reciteranno l'annessa preghiera, diretta ad ottenere la conversione degl'Israeliti:

Prière

Dieu de bonté, Père des miséricordes, nous vous supplions, par le Cœur Immaculé de Marie, et par l'intercession des Patriarches et des SS. Apôtres, de jeter un regard de compassion sur le restes d'Israël, afin qu'ils arrivent à la connaissance de notre unique Sauveur Jésus-Christ, et qu'ils aient part aux grâces precieuses de la Rédemption.

Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Amen.

Preghiera

Dio di bontà, padre delle misericordie, vi supplichiamo pel Cuore immacolato di Maria e per l'intercessione dei Patriarchi e de' santi Apostoli, di rivolgere uno sguardo di compassione agli avanzi d'Israele, affinchè pervengano alla conoscenza di Gesù Cristo, nostro unico Salvatore, e partecipino alle grazie preziose della Redenzione.

Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Amen.

SS. D. N. Leo Pp. XIII in Audientia habita die 15 Iulii 1893 ab infrascripto Secretario S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, universis Christi fidelibus, praefatam Orationem corde saltem contrito ac devote recitantibus, Indulgentiam *centum dierum,* defunctis quoque applicabilem, semel in die acquirendam, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congñis die 15 Iulii 1893.

Fr. Ignatius Card. Persico *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Alexander Archiep. Nicopolitan. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

SENEN. Decretum Canonizationis beati Joachimi Piccolomini, laici professi Ordinis servorum B. M. V.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae Canonizationis praedicti Beati Joachimi Piccolomini in casu et ad effectum de quo agitur?

Instante Rev. Patre Augustino Morini Sacerdote Professo Ordinis Servorum B. M. V. ac Postulatore Causae Canonizationis praefati Beati Joachimi Piccolomini, quum Emus et Rmus Dñus Card. Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanen. Relator Causae eiusdem Beati, cuius cultus immemorialis a fel. rec. Paulo Pp. V. per Decretum diei 14 Aprilis 1609 confirmatus fuit, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, proposuerit dubium: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae Canonizationis praefati Beati Joachimi Piccolomini in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re accurato examine perpensa, et audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 27 Iunii 1893.

Quibus omnibus per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Canonizationis praedicti Beati Joachimi Piccolomini. Die 12 Julii anno eodem.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

SINARUM. Decretum Beatificationis seu declarationis martyrii ven. Francisci Clet sacerdotis e Congregatione Missionis s. Vincentii a Paulo.

Per Decretum diei 18 Februarii superioris anni indultum fuit ab Apostolica Sede, ut Dubium tum super validitate processus Auctoritate apostolica, in Urbe confecti, tum super Cultu praefato ven. Servo Dei Francisco Clet non exhibito, proponi ac discuti valeret absque interventu et voto Consultorum in particulari Sacrae Rituum Congregationis Coetu. Hinc quum, instante R. D. Natale Barbagli Sacerdote et Postulatore Generali Causarum Beatificationis et Canonizationis servorum Dei e Congregatione Missionis, sancti Vincentii a Paulo, a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, et Causae Relatore, duo praefata Dubia proposita fuerint, Emi et Revmi Patres, Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore rescribendum censuerunt: « Quoad « validitatem Processus: Reformato Dubio: An constet de va- « liditate Processus Apostolici, in Urbe constructi et adnexorum « processiculorum in christianitate Sin-chim-veu et in Vicariatu « apostolico Ho-nanensi confectorum? Affirmative quoad pro- « cessum romanum; quoad vero Processiculos in Sinis con- « structos, supplicandum Sanctissimo pro convaliditate, sanatis « defectibus. Quoad obedientiam praestitam Decretis sa. mem. « Urbani Papae VIII super cultu eidem Ven. Servo Dei non « exhibito, Constare. Die 22 Iulii 1893. »

De quibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum subscriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua resolutiones ut supra ratas habuit et confirmavit: convalidatis processiculis eorumque sanatis defectibus. Die 23 iisdem mense et anno.

† CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Vincentio Nussi *Secretario*

Ioannes Ponzi *Substitutus.*

EPISTOLA ENCYCLICA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Episcopos Hungariae; qua dolet, quod nuper per leges civiles fuerint decreta alia non minus perniciosa Ecclesiae catholicae, quam quae antea decreta fuerant.

Constanti Hungarorum in hanc Apostolicam Sedem pietati observantiaeque paterna semper pontificum romanorum benevolentia mutuo cumulateque respondit; Nosque ipsi praecipuae caritatis providentiaeque testimonia nunquam passi sumus a vobis a gente vestra desiderari. Istiusmodi vero animum Nostrum singulari quadam ratione patefecimus, cum septem ante annos maximi faustissimique eventus memoriam Hungaria celebravit. Hanc siquidem opportunitatem nacti, epistolam ad vos dedimus, Venerabiles Fratres, in eâque tum avitam Hungarorum fidem, virtutes et clare facta commemoravimus, tum etiam consilia vobiscum de rebus communicavimus, quae ad gentis istius salutem et prosperitatem, per haec tam infensa catholico nomini tempora, pertinere viderentur. Eadem vero causa idemque propositum Nos modo impellunt ut iterum ad vos perscribamus.— Sane in eo genere rerum, quae omnium animos istic postremo hoc tempore permoverunt, Apostolici officii Nostri ratio postulat, ut vos clerumque vestrum ad animorum constantiam, ad concordiam, ad alacritatem in erudiendis monendisque opportune populis curae vestrae concreditis enixius cohortemur. — Sed alia praeterea sunt apud vos, quae novam sollicitudinis causam Nobis afferunt: pericula intelligimus, quae religioni graviora quotidie impendent. — Haec enimvero, uti praecipuas curas cogitationesque Nostras ad se convertunt, ita maxime operam vestram, Venerabiles Fratres, vehementius efflagitant, eamque valde confidimus consiliis expectationique Nostrae parem omnino futuram.

Quod generatim ad officia catholicorum attinet, tam acri praesertim insidiosaque institutorum christianorum oppugnatione, maiorem in modum oportet ut universi serio naviterque perpendant quanti referat in omni temporum rerumque varietate salvam incolumemque esse in civitate religionem, itemque quantopere intersit perfectam stabilemque hac in re animorum consensionem retineri. Causa nimirum agitur de summo maximoque omnium bonorum, quae est sempiterna hominum salus, neque minus de iis ipsis conservandis tuendisque rebus,

quae in civili societate vel ad quietem vel ad veri nominis felicitatem impense expetuntur. — Ita plane excelsi illi viri, gratissimâque omnis posteritatis memoria digni, sensere, qui in eximium fortitudinis animi exemplum ubique gentium, quavis aetate, mirifice eluxerunt, seseque velut murum pro domo Dei impertierunt; non sua omnia solum, sed et vitam ipsam, religionis Ecclesiaeque causâ, parati profundere. — In quo pariter habet Hungaria vestra domestica exempla, eaque, longo aetatum decursu, et multa et praeclara. Quin immo quod ipsa in catholica fide a Stephano rege et Apostolo suo accepta, fideliter constanterque permanserit, in hoc sane, praeter singulare Dei beneficium, agnoscendus est fructus firmissimi perpetuique gentis istius propositi; quod nempe mature intellexerit quum de religione ageretur, de gloria nominis, de ipsa incolumitate generis sui causam agi. Mirum vero quam generosas et insignes istiusmodi animorum affectio virtutes aluerit: quarum ope vel in summis temporum difficultatibus magnitudini periculorum non dissimilem Hungari fortitudinis constantiaeque magnitudinem opposuerunt. Earum sane praesidio virtutum, quum iteratas Tartarorum incursiones, tum etiam diuturnos immanesque Mahumedanorum impetus invicti refutarunt: digni sane qui in hoc tam periculoso certamine ab exteris etiam gentibus, a principibus summis, maxime a romanis Pontificibus, omni adiuvarentur subsidio; neque enim de fide tantummodo imperioque Hungarorum, sed de ipsa religione catholica, de Occidentis salute dimicabatur. — Simili ratione recentiorum saeculorum procellas, quae tam graves apud finitimas gentes edidere ruinas, etsi earum violentiam ipsa quoque sensit Hungaria, iacturasque fecit non sane leves, sospes tamen effugit; effugietque in posterum si modo suus religionis stet honos, omnesque pernoscant quae sua cuiusque sint quotidiana officia, eaque diligentissime colant.

Atque ut ad ea veniamus, quae propositum Nostrum propius attingunt, haud mediocri profecto animi dolore perspeximus, praeter ea quae in Hungariae legibus, uti alias conquesti sumus, « cum Ecclesiae iuribus discrepant et eius facultatem « agendi minuunt ac professioni catholici nominis officiunt (1) », et alia fuisse postremis hisce annis vel publica auctoritate decreta vel acta, haud minus sane Ecclesiae ipsi reique catholicae

(1) Epist. Encycl. ad Episcopos Hung. die 22 Aug. 1886.

perniciosa: eo autem qui nunc est communium rerum vestrarum cursu, valde pertimescendum, ne longe graviora eveniant religioni damna. — Iamvero, quod nominatim pertinet ad earum capita, quae ferventius apud vos proximo hoc tempore agitata sunt, vestrum est, Venerabiles Fratres, studiose concorditerque dare operam, ut omnes tum sacerdotes, tum laici apprime agnoscant quid sibi liceat et a quo cavere debeant, ne contra naturalis divinaeque legis offendant praescripta. Et quoniam plerique vestrum de iis ipsis rebus animarum curatores iusserunt Apostolicae Sedis iudicium, a vobismetipsis perrogatum, expectare, vestrum iam erit, Venerabiles Fratres, eosdem sacrorum administros sedulo admonere, ut religioni habeant ne minimum quidem ab iis discedere quae Apostolica Sedes vel statuerit vel praeceperit: quod autem sacerdotibus non liceat, planum est ne laicis quidem hominibus illud licere. — Ceterum ad prohibendam plurimorum malorum vim, permagni ponderis est, ut animarum curatores nunquam desistant multitudinem commonere, ut ab ineundis cum alienis a catholico nomine coniugiis, quantum fieri possit, abstineant. Probe intelligant fideles, notatumque animis habeant, ab eiusmodi coniugiis, quae semper Ecclesia detestata est, ex eo maxime esse abhorrendum, uti Nos ipsi alio loco ediximus (1), « quod occasionem praebent vetitae societati et « communicationi rerum sacrarum; periculum religioni creant « coniugis catholici; impedimento sunt bonae institutioni libero- « rum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum « aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique dis- « crimine ».

Sed avitae Hungarorum religioni maiora impendent, uti monuimus, damna. Quotquot istic sunt inimici catholici nominis non dissimulant profecto quid velint: nimirum, armis omnibus ad nocendum aptioribus, illud assequi ut Ecclesia resque catholica in deteriorem quotidie conditionem compellantur. Vos itaque, Venerabiles Fratres, vehementius quam unquam alias hortamur, nulli ut labori parcatis, quo tantum periculum a grege vobis commisso a patria vestra propulsetis. — Illud imprimis curate atque efficite ut universi, exemplo et auctoritate vestra confirmati, religionis causam fortes et animosi suscipiant, firmiter tueantur. Profecto, haud raro accidit, neque enim reticebi-

(1) Litt. Encycl. *de Matrimonio christiano*, an. 1880.

mus id quod est, ut nonnulli inter catholicos, quo tempore maxime deberent virtute constantiaque summa eniti in tuendis vindicandisque Ecclesiae iuribus, specie quadam humanae prudentiae ducti, vel in diversa abeant, vel nimis in actione timidos remissosque se praebeant. Atqui facile perspicitur, istiusmodi agendi rationem periculis sane gravissimis aditum patefacere, praesertim si de iis agatur qui vel auctoritate polleant vel in opinionibus multitudinis plurimum possint. Praeter enim quam quod officium deseritur iustum ac debitum, haud levis plerumque offensionis affertur causa, et via intercluditur ad eam obtinendam servandamque concordiam, quae facit ut omnes idem sentiant, idem suo facto comprobent. Qua sane re, catholicorum scilicet vel desidiâ vel dissensione, nihil potest inimicis catholici nominis optatius contingere: haec nempe illuc, quo proclive est, crebrius evadunt, ut inimicis ipsis liberum expeditumque ad peiora audenda locum relinquant. Oportet sane omnibus in rebus consilii prudentiam temperantiamque habere comites; Ecclesia ipsa vult in defensione veritatis consultam adhiberi agendi rationem: nihil tamen a germanae prudentiae legibus tam alienum, quam committere ut religio impune vexetur, populi salus in discrimen adducatur.

Cum vero ad firmandam concordiam, aeque ac ad actuosam catholicorum hominum solertiam excitandam, mire efficacem salutaremque vim habeant, uti experiendo patet, annui eorumdem conventus, in quibus de re catholica, de piorum operum omnis generis incremento, Episcoporum ductu atque auspiciis, communia consilia conferuntur; ideo vehementer optamus ut ea naviter perficiantur, quae vosmet non multo ante, hac super re, opportune providisse cognovimus. Neque enim dubitamus, conventus eiusmodi, qui ut aliis quoque in locis haberentur valde Nos auctores fuimus, rationibus vestris magnopere profuturos. — In eo etiam sedulo vos prospicere decet, ut in legumlatorum coetus ii viri spectatae religionis probataeque virtutis cooptentur, qui animum gerant tenacem propositi, videlicet ad Ecclesiae reique catholicae iura vindicanda promptum semper atque alacrem. — Videtis praeterea, Venerabiles Fratres, tum ephemeridum tum librorum ope, in id acriter incumbere qui ab Ecclesia dissident, ut errorum perversarumque opinionum venena late spargant in vulgus, mores bonos corrumpant, atque ab actione vitae christianae multitudinem abducant. In-

telligant igitur homines vestri, tempus iam esse conari aliquid maius in hoc genere, omnique ratione efficere ut scripta scriptis opponantur, quae magnitudini certaminis paria existant, atque idonea malis remedia suppeditent.

Maxime vero, Venerabiles Fratres, studia vestra in puerorum atque adolescentium institutione fixa et locata esse volumus. Mens Nobis non est ea iterare, quae iam in iisdem ad vos litteris, initio commemoratis, exposuimus: facere tamen non possumus quin nonnulla, quae gravioris momenti sunt, breviter attingamus. — De primordiorum scholis, instandum urgendumque est, Venerabiles Fratres, ut curiones ceterique animarum curatores summo in eas studio continenter evigilent, maximasque ponant officii sui partes in alumnis sacra doctrina erudiendis. Tale vero munus, nobile atque grave, ne alienae procurationi permittant, sed ipsi sibi assumant habeantque carissimum, cum certum sit a sana piaque puerilis aetatis institutione, non familiarum solum, sed rei ipsius publicae incolumitatem magnam partem pendere. Neque industriam solertiamque putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior ut scholae eiusmodi lacta quotidie incrementa capiant. Illud valde opportunum fuerit, in unaquaque Dioecesi *Inspectores* scholarum et *dioecesanum* et *decanales* constitui, quibuscum quotannis Episcopi de scholarum statu et conditione, immo et de ceteris rebus ad fidem, ad mores, ad animarum curam pertinentibus, consilia conferant. Quod si necesse sit ut vel novae instituantur, pro locorum ratione, scholae, vel ut iam conditae amplificentur, minime dubitamus quin vestra, Venerabiles Fratres, multis iam explorata argumentis, itemque catholicorum hominum ex omni ordine liberalitas prompta sit et generosa adfutura.

De mediis vero, ut aiunt, deque maiorum disciplinarum scholis, perstudiose cavendum ne bona illa velut semina in animos puerorum infusa, misere in adolescentibus pereant. Quantum igitur vel agendo vel rogando potestis, tantum contendite, Venerabiles Fratres, ut eiusmodi pericula vel amoveantur vel minuantur: imprimisque pastoralis solertia vestra in eo valeat, ut praelectionibus de religione tradendis probi deligantur doctique viri, utque eae removeantur causae, quae salutarem atque uberem earumdem fructum nimis saepe impediunt. — Ceterum, etsi Nobis bene cognitae sunt probataeque curae a vobismetipsis collatae ut istae studiorum optimorum sedes,

quae ex auctorum mente in Ecclesiae atque Episcoporum potestate esse debent, tales perseverent, quales ab ipsis constitutae, maiorem tamen in modum vos hortamur, ut omni oblata opportunitate in idipsum pergatis communi consilio, uti vestrum ius est et officium, incumbere. Quod enim dissentientibus a catholico nomine concessum est, aequitati pariter iustitiaeque repugnat id catholicis denegari: publice autem refert, ut quae a maioribus tam pie sapienterque instituta sunt, non in Ecclesiae fideique catholicae detrimentum, sed in utriusque tutelam ac praesidium, atque adeo in ipsius rei publicae bonum perpetuo adhibeantur.

Hoc denique officii Nostri ratio exposcit, ut ea vobis impensissime commendemus, quae de adolescentibus clericis, de presbyteris in eis ipsis litteris habuimus commendata. — Profecto si vestrum est, Venerabiles Fratres, plurimum consilii atque operae in recte instituenda omni iuventute ponere, multo vos magis in iis elaborare necesse est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, ut nempe et sacerdotii honore digni sint et muneribus eius rite obeundis aptam pro temporibus virtutem praeseferant. In quo quum praecipuas vigilantiae vestrae partes iure sibi vindicent sacra Seminaria, alacriore in dies studio contendite ut optimis ea institutis floreant, abundentque adiumentis iis omnibus quae necessaria sunt; ita sane ut, delectorum moderatorum disciplinâ, ad mores, ad virtutes sui ordinis proprias, atque ad decus omne doctrinae, vel divinae vel humanae, sacrorum alumni mature optimeque excolantur.

Quod vero ad fructuosam Cleri vestri actionem pertinet, hoc huius maxime est temporis, ut vestra, Venerabiles Fratres, sive in eo dirigendo concordia, sive in hortando monendoque solertia et caritas, sive in tuenda ecclesiastica disciplina firmitas officii eluceat singularis. — Vicissim quotquot sunt ex ordine cleri necesse est ut Episcopis suis summa cum fide adhaerescant, eorum excipiant monita, consilia et coepta adiuvent; in perfunctione autem munerum sacrorum, in laboribus pro salute hominum sempiterna suscipiendis promptos semper alacresque, caritate duce, sese impertiant. — Cum vero in omnes partes plurimum possint sacerdotum exempla, imprimis studeant, semetipsos vivam virtutis et continentiae formam oculis christiani populi constanter exhibere. Caute vere videant, ne civilium vel politicarum rerum studiis plus nimio se dedant; illudque saepe

Pauli Apostoli meminerint: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus: ut ei placeat, cui se probavit* (1). Certe, exteriorum providentiam, monente S. Gregorio Magno, in internorum sollicitudine rectum est non relinquere: nominatimque quum de religione tuenda aut de communi bono provehendo agitur, non sunt profecto ea negligenda praesidia atque adiumenta quae tempus vel locus afferat. Summâ tamen prudentiâ vigilantiaque opus est, ne scilicet gravitatem modumque transiliant sacri ordinis viri, et minus ipsi caelestia quam humana curare videantur. Aptissime idem Gregorius M.: « Saecularia « itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, « nunquam vero ex amore requirenda: ne cum mentem dili- « gentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de caelesti- « bus mergant » (2). — Illud etiam volumus, excitari a vobis qui curiis praesunt, ut ecclesiarum suarum *peculium* religiose custodiant diligentissimeque administrent: si qua vero et hoc in genere minus recta insederint, vos item aptam curationem pro munere admovete. — Praeterea valde opportunum censemus, studiosam a Clero conferri curam, ut quae istic sunt Sodalitates seu Confraternitates laicae in pristinum decus revirescant. Nempe de ea re agitur, quae non minus earumdem Sodalitatum, quam publicum spectet religionis bonum. Ut enim cetera omittamus, plurimum sane adiumenti vobis cleroque vestro talia Sodalitia afferre possunt quum in excolendo ad pietatem, ad christianam vitam populo, tum etiam in firmanda salutari illa, quam tantopere expetimus, animorum voluntatumque consensione.

Demum de iis omnibus, quae vel ad religionis fideique avitae tutelam, vel ad institutorum catholici nominis incrementum, vel etiam ad Cleri utriusque disciplinam pertinent, optimum sane saluberrimumque fore arbitramur, Venerabiles Fratres, si consilia identidem inter vos conferre consueveritis, ea communi iudicio decreturi, quae vel necessaria vel magis opportuna dignoveritis.

Futurum confidimus ut universi ex Hungaria catholici homines, tam plenâ periculi rerum suarum inclinatione perspecta, atque in his omnibus, quae diximus, paternae Nostrae sollicitudinis studiosissimaeque erga ipsos voluntatis testimonium re-

(1) II. Tim. II, 4.
(2) Reg. Pastor. p. II, c. VII.

cognoscentes, animum viresque sumant; omnique, uti par est, religione consiliis monitisque Nostris obtemperent. Vobis autem, Venerabiles Fratres, itemque clero populoque catholico, una velut mente unoque animo pro religione strenue adlaborantibus aderit propitius Deus, maximeque felicem coeptis vestris virtutem impertiet. Nec deerit profecto in causa sanctissima iustissimaque summi Principis benevolum ac propensum studium, Apostolici inquimus Regis vestri, cuius vel ab initiis principatus sui late perspecta sunt in gentem vestram promerita.

Quo autem omnia secundum vota ac prospere cedant, magnas ad Deum preces et ipsi Nobiscum adhibete, Venerabiles Fratres: potissime patrocinium interponite augustae Dei Genitricis; tum etiam implorate fidem sancti Stephani Apostoli vestri, ut e caelo Hungariam suam benignus respiciat, in eaque divinae beneficia religionis sancte inviolateque conservet. — Caelestium vero munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque vestro universo, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 11 Septembris An. 1893, Pontificatus Nostri decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

SENOGALLIEN.

PROVISIONIS PAROECIAE

Die 17 Martii 1893.

Compendium facti. Vacante Claravallensi paroecia dioecesis Senogalliensis, Cisterciensium Ordo, cui illa ab *immemorabili* pertinet, in Oeconomum Curatum nominavit religiosum P. Fanelli, qui precarium paroeciae regimen suscepit mense decembri anni 1890. Episcopus autem Senogalliensis cum

animadvertisset deinde religiosum hunc virum nec precarii officii *regium placitum* consequi potuisse, nec pro illius paroeciae cura idoneum esse, neque acceptum apud parochianos fore, praefati Ordinis Superiores rogavit, ut alium religiosum virum nominarent ad providendum stabili paroeciae regimini. Huiusmodi voto satisfacere quidem promiserunt memorati Superiores per nominationem religiosi P. Segantini, qui valde acceptus Episcopo erat; sed postea, die 18 Decembris 1891, Episcopo nunciarunt, se censuisse praefatam P. Segantini nominationem suspendere, totumque negotium eidem Episcopo remittere, rogando ut *pro hac vice* paroeciae ipse provideret per nominationem, pro suo arbitrio faciendam alterius sacerdotis extra eorum Ordinem in parochum claravallensem.

Valde id Episcopo displicuit, qui proinde et oblatum electionis munus respuit, et iuxta patefactum suum votum apud eosdem Superiores ulterius institit. Sed nihil cum ipsis proficiens, die 19 Februarii 1892 S. C. exposuit, quod si parochum ipse nominaret, hic in paroecia populi frequentissima solus esset, omni adiutrice opera expers et aemulationibus obnoxius, ita ut et parochianorum necessitatibus plane insufficiens et parochialibus oneribus ferendis omnino impar fieret; — ac subinde postulavit, ut Cistercienses vel serio et efficaciter providerent paroeciae regimini, vel eidem definitive et absque ulla temporis limitatione nuncium mitterent. Cistercienses autem super huiusmodi recursu a S. C. auditi, dum allatas difficultates diluere satagerent, vicissim postularunt, ut Episcopus vel a seipso pro hac vice provideret, vel in parochum institueret P. Fanelli, eumque gubernio commendaret pro *regio placito*, vel demum acceptaret nominationem alterius religiosi, qui paroeciam regeret sub dependentia P. Fanelli.

Hic est status quaestionis.

Disceptatio synoptica

Rationes quae episcopo favent. — Concilium Tridentinum *cap. 1 sess. 23 de reform.* discretissime docet quod

« Parochi ex praecepto divino tenentur oves suas agnoscere, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam agere et in cetera munia pastoralia incumbere. » Et *cap. 4, sess. 24* eadem S. Synodus addit: « Iidem etiam (parochi), saltem dominicis et aliis festivis diebus, pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter... doceri curabunt. » Iamvero dubitari non posse videtur, hodiernum oeconomum spiritualem in his muneribus valde deficere: id asseverat Episcopus; idque testantur non pauci parochiani claravallenses.

Sane ponderetur vult Episcopus deplorandum ac evidens factum: quod nempe post mortem P. Michaelis Bovi status paroeciae pedetentim in peius ruerit nedum ex nequitia temporum et specialibus loci adiunctis, verum etiam ex negligentia successorum praefati P. Bovi, inter quos P. Fanellius, sollicitudinis expers pro animarum cura, minus idoneus est ad excitandos pietatis ac religionis sensus in Christifidelibus iamdiu destitutis pastore animarum saluti studioso. Nisi propterea parochus sollicite nominetur, qui non quaerat quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, incredulum fieri totum populum censet idem Episcopus; cui chorum agunt non pauci parochiani, qui distinctius ac magis praecise accusant P. Fanellium de negligentia in Sacramentorum administratione, morientium adsistentia, puerorum instructione, sacrarum functionum adimplemento, ecclesiae nitore, missarum Purgatorii satisfactione etc., quique sub iuramenti fide testantur: Claravallensem paroeciam numquam fuisse in adiunctis adeo pessimis prouti in praesens, quo regitur ab Oeconomo P. Fanellio.

Ex his autem satis apparere deducebatur necessitatem sive removendi P. Fanellium, sive alium idoneum nominandi iuxta Episcopi petitionem. Atque huc insistendo, quoad praefatam imprimis remotionem alia causa addebatur, odium videlicet plebis. Quandoquidem P. Fanellius, prout refert Epi-

scopus, et non pauci parochiani testantur, spiritu avaritiae ductus, in conversationis genere non cautus, in verbi Dei praedicatione parum vel nihil aptus, ac in aliis pluribus reprehensibilis, omni prorsus populi fiducia destituitur; ita ut non desint etiam qui nec communionem paschalem suscepissent si alius sacerdos praesto haud fuisset. Porro neminem latent quae ad rem in iure sancita reperiuntur: locum videlicet esse parochi remotioni, quoties hic ob plebis odium salutem animarum amplius operari nequit. Ita in *cap. 10 Propter malitiam de Renunt.*, ita Conc. Trid., in *cap. 6, sess. 21 de reform.* Et plane consona est ss. Congregationum praxis, prouti videre est in pluribus resolutionibus S. Congregationis Concilii, ac praesertim in *Baren. Resignationis* et *reintegrationis die 29 Maii 1852* § *Iustitiam*, ubi legitur: « Receptum apud ss. Congregationem est, propter odium et inimicitias parochianorum, si eae iustae ac rationabiles sint parochum officio esse privandum. » Quinimo hoc ipsum tenendum docet ius et ss. Congregationum praxis in casu etiam, quo plebis odium verificetur absque ulla parochi culpa. Et merito ob notum axioma: *salus animarum lex suprema est*; ex quo hoc aliud consequitur: *parochus pro populo, non populus pro parocho.*

Quod si ius, praxisque ss. Congregationum, ita quoad parochos inamovibiles statuunt, fortius in themate id urgendum est, quia non de vero parocho agitur, sed de Oeconomo spirituali qui praeterea nec precarii officii *regium placitum* consequi hucusque valuit. Iure proinde ac merito Episcopus instat, ut Cistercienses, vel paroeciae omnino valedicant, vel ad eam nominent idoneum sacerdotem, qui Dei gloria, animarumque salute sollicitus ac studiosus sit: eo vel magis, quia ipse Episcopus ob rationes superius expositas nullatenus valet, prout praefati Cistercienses volunt, paroeciae pro hac tantum vice providere.

Iura cisterciensium. — Cistercienses e contra sustinent nullam imprimis adesse canonicam causam removendi P. Fanellium, cum hic sit vir maturae aetatis, quinquaginta plus

minus annos natus, maioris doctrinae, quam quae pro munere parochi requiritur, in facultate theologica apud Universitatem Gregorianam laureatus; pius et bonis ac illibatis moribus praeditus, in cura animarum ac munere parochi diuturnâ experientiâ versatissimus, et quidem in illa ipsa paroecia de qua agitur, ubi per quatuor circiter lustra, ab anno 1873, vice parochi fungitur cum magna sollicitudine salutis animarum et pari diligentia in adimplendis parochi functionibus. In quorum confirmationem commemorant petitionem biscentum quinquaginta parochianorum ipsi Episcopo favore hodierni Oeconomi spiritualis porrectam ad effectum, ut hic in parochiali munere confirmetur. Quin oggerere iuvet eamdem petitionem a feminis maiori ex parte fuisse subscriptam; nam 1° et mulieres norunt discernere inter bonum et malum, earumque testimonium de probitate et bono zelo sacerdotis non est ita leviter spernendum: 2° illae 250 mulieres repraesentant suas familias, in quibus longe plures numerantur viri, qui stant a partibus illarum, mariti, filii, nepotes.

Ut probent insuper P. Fanellium populo acceptum esse et nullatenus invisum, iidem Cistercienses commemorant, sexcentos alios, praeter praefatos biscentos quinquaginta parochianos, aegre ferentes tergiversationem Episcopi, voluisse interpellationem promoveri in Comitiis publicis (vulgo alle Camere) ut tergiversationi imponatur finis. Quod si reipsa haec petitio locum amplius non habuit, id repetendum est ex ipsius Fanelli opera, qui bene noscens in re ecclesiastica tractanda non esse procedendum tumultu populari, parochianos illos ab inchoato molimine retinuit.

Aemulationis igitur, qua nunc premitur P. Fanellius, causa quaerenda non est in ipsius Fanelli negligentia vel in plebis odio, sed verius in mala animi dispositione curiae episcopalis et in malitiosis verbis a nonnullis susurronibus divulgatis, qui recenter exorti, cuculorum instar, alienos nidos occupare cupiunt. Nedum proinde nullam in themate adesse canonicam causam removendi P. Fanellium a praesenti precario officio, verum etiam esse locum nomina-

tioni ipsius Fanellii in parochum stabilem concludunt Cistercienses.

Neque obstaculum huic nominationi parare valet timor ab Ordinario expressus : quod nempe cum *regium placitum* P. Fanellio negatum sit pro officio Oeconomi spiritualis, fortius ei negaretur pro officio Parochi. Respondent enim Cistercienses, timorem hunc non esse nisi coniecturam *de futuro*, quae *suspicionem ciet contra Curiam Episcopalem*, quaeque nullo fundamento innititur, quia P. Fanellius, ut omnes boni ecclesiastici, stat a partibus Papae, verum prudenter se non immiscet factionibus politicis, nec stabilitum Gubernium impugnat factis aut verbis; atque ob hanc prudentem agendi rationem, numquam ipse apud saeculi tribunalia accusatus fuit, minusque vero condemnatus. Adnotare praeterea satagunt, *regium placitum* nonnisi ob secreta ipsius curiae episcopalis molimina negatum P. Fanellio fuisse pro officio Oeconomi spiritualis; huiusque rei parochianos suspicionem habuisse, et ideo consilium iniisse promovendi petitionem superius commemoratam.

Licet autem insistere iure possent Cistercienses, ut Episcopus ratam habeat nominationem P. Fanellii vel alterius monachi, qui sub ipsius Fanellii dependentia paroeciam regat, nihilominus pro bono pacis eidem Episcopo ultro deferunt, ut pro hac vice provideat ipse, prout in Domino magis expedire iudicaverit. Quod quidem officium iniuste ab Episcopo respuitur, cum rationes, quae ad id ipse attulit, nullo in pretio haberi possint. Nam 1° ex attestatione P. Rolandi, praedecessoris hodierni administratoris spiritualis, falsum esse deprehenditur, sacra suppellectilia negatura novo parocho fore prout P. Fanellio; et 2° si vera essent cetera ad rem prolata, plane consequeretur, Cisterciensium Ordinem in eadem prorsus impossibilitate versari nominandi novum parochum.

Quibus hinc inde disceptatis, proposita fuerunt

Dubia

I. *An Superiores Ordinis Cisterciensium nominare teneantur novum Parochum in substitutionem actualis Oeconomi Spiritualis; vel nuncium definitive mittere Paroeciae claravallensi in casu?*

Et quatenus negative:

II. *An Ordinarius Senogalliensis pro hac vice obligari possit ad nominandum novum Parochum in casu?*

Resolutio. S. C. Episcoporum et Regularium, re tota discussa ac perpensa in plenariis comitiis diei 17 Martii 1893, rescribere censuit prout sequitur:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, cum facultate etiam nominandi presbyterum saecularem, et ad mentem.* Mens est ut scribatur Praesidi Congregationis Italiae ad hoc, ut, si prudenter fieri possit, P. Fanellius in aliam religiosam domum transferatur, et in prima collocetur P. Segantini.

Ad II. *Affirmative. Quatenus nempe Congregatio Cisterciensium providere nequeat per presbyterum regularem, neque per saecularem, Episcopus pro hac vice prorideat ipse per concursum.*

PISANA

ORDINIS MONIALIUM VISITATIONIS IURIUM

Die 17 Martii 1893.

Compendium facti. Sub die 22 Maii 1892 Superiorissa Monasterii Visitationis s. Mariae Pisis supplicem dabat libellum, exponens, quod anno 1886, quum ordinarius Confessarius deesset, Antistes defectui consuluit, modo provisorio, per P. Lucam Baldi e Minoribus Observantibus, donec vir ecclesiasticus ad hoc aptus adesset. Confessor regularis per

tres annos cum dimidio munere suo functus est, sed ultra permanere nequivit, quia familia Observantium coacta fuit derelinquere partem civitatis, in qua erat Monasterium. Dum Superiorissa cum sororibus exposcerent adhuc P. Baldi, eo magis quia aedificaverant apud Monasterium Hospitium, in quo degere posset familia Minorum Observantium, dati fuerunt duo viri ecclesiastici, qui parumper permanserunt in officio eisdem ab Antistite credito; et Pater Baldi iterum deputari ad officium confessarii nequivit, quia Constitutiones harum religiosarum haud sinunt, regularem fungi munere confessarii ordinarii.

Itidem enarravit Superiorissa, ex morte Canonici Casarosa, die 7 Martii 1892 amisisse Monasterium patrem spiritualem. Religiosae ad sibi vindicandum ius eligendi patrem spiritualem, iuxta proprias constitutiones, tres proposuerunt canonicos, ut ex his unus institueretur ad hoc munus ab Antistite; hic ex adverso proposuit Vicarium generalem; sed prospiciens haud libenter eundem excipi, tunc arbitrio proprio constituit Canonicum Ghisi in patrem spiritualem. Deputatio haec haud arrisit Monialibus; quibus innotuerat, Canonicum Ghisi, amicum Vicario Generali, istius desideria et praeiudicia habere communia. Hisce in adiunctis censuit Superiorissa rem deferendam esse iudicio Apostolicae Sedis, ut pax et tranquillitas restitueretur conscientiis totius Communitatis.

Disceptatio Synoptica

Defensio Religiosarum. Quoad primum dubium, ex tribus in calce expositis, autumat Superiorissa, penes se et consorores, iuxta constitutiones Ordinis, esse ius eligendi ordinarium confessarium, quem Antistes approbat, quoties in eiusmodi electione appareat servatas fuisse regulas praescriptas. Ast electio Patris Baldi, adiicitur, taliter facta fuit, ergo consequitur ab Antistite probandam esse, nisi posthaberi velint constitutiones Salesianarum.

In themate vero, obligationem Archiepiscopi, quoad confirmationem Patris Baldi, maiorem esse arguitur ex facto

quod, ex eiusdem Archiepiscopi et Definitorii consensu, religiosae aedificarunt Hospitium apud Monasterium, pro habitatione Minorum Observantium. His quoque addendum esse quod Pater Baldi per tres annos cum dimidio officium eiusmodi ita impleverit, ut omnes Religiosae plene acquieverint.

Animadvertunt praeterea Religiosae, proprias Constitutiones haud prohibere quominus confessarius sit e clero regulari, sed tantum disponere quod pater spiritualis sit e clero saeculari, confessarius vero in quantum fieri possit. Patet ergo, regulam haud absolutam esse pro confessario, sicuti est pro patre spirituali; et re quidem vera, tum in Italia, tum alibi apud complura Monasteria adsunt confessarii regulares, si saecularis aptus reperiri nequiverit: et Monasterium pisanum ab anno 1834 habuit quatuor confessarios regulares.

Gradum faciens Superiorissa ad nominationem patris spiritualis, autumat hunc, tum vi constitutionum salesianarum, tum vi consuetudinis, eligendum esse ab ipsis religiosis; quem Antistes probare tenetur. Consuetudinem hanc, adiecit, servari apud 170 monasteria a tribus pene saeculis ex quo existit Salesianarum Institutum, et ab anno 1827, nempe a sua fundatione, servari apud Monasterium Pisis erectum. Exhibuit ad hoc elenchum patrum spiritualium, a regestis collectum. Ex hisce colligi posse videretur, Ordinarium imponere nequire patrem spiritualem Religiosis Salesianis, qui eisdem gratus non esset, quique pacem coenobii et tranquillitatem perturbaret.

Tandem quoad tertiam petitionem, seu quoad remotionem Vicarii generalis ab officio confessarii ordinarii Religiosarum, praemisit Superiorissa dispositionem constitutionis XIX, quae de confessario agit: « sit homo, dicitur, scientiae, prudentiae, vitae irreprehensibilis, discretus, honestus, constans; ita ut Episcopus et pater spiritualis acquiescere valeant super eius zelo et cura quoad moderationem conscientiae Religiosarum ».

Quod autem Vicarius generalis careat, nisi omnibus, saltem quamplurimis ex relatis ornamentis, haud dubitari posse

videtur, si parumper attendantur quae Superiorissa exhibet in suo recursu. Nam decem abhinc annis deputatus ad audiendas confessiones trium Religiosarum, quae elatae, difficiles et tenaces in sua voluntate erant, ita dominatae eaedem sunt in animo confessarii, ut cum eisdem ipse divideret iniustas opiniones quoad gubernium communitatis. Hinc Confessarius ordinarius discrimen praesentiens, quod ex tali regimine obvenire posset tribus religiosis, censuit prudens esse certiorem reddere Vicarium generalem illius temporis, qui coegit confessarium trium poenitentium nuncium mittere huic officio. Monasterium tunc dereliquit, sed nunc quum ipse sit Vicarius generalis, regimen illarum resumendo, sese habet erga Salesianarum Institutum iuxta impressionem, quam recepit et recipit ab earumdem informationibus.

Anno 1888, prosequitur, Religiosae scientes Bascherini, ex tunc Vicarium generalem, haud praeditum esse qualitatibus, quae bonum constituunt patrem spiritualem, elegerunt ad hoc officium Canonicum Casarosa; quod eidem Vicario generali displicuit, et effecit ut magis in dies ille adversaretur religiosam Communitatem.

Et re quidem vera huius adversionis specimen dedit, oppositionem faciendo ne Religiosae obtinerent Patrem Baldi uti ordinarium confessarium, et suadendo per secretam auscultationem Religiosis, ut conservarent confessarium, alias ab eodem habitum uti ineptum ad hoc officium. Tandem refert Superiorissa, Vicarium generalem studuisse et adhuc studere ut religiosae, quas pinxit uti rebelles auctoritati, amitterent gratiam et protectionem amatissimi Antistitis, qui earumdem fuerat gloria et consolatio dum expulsionis a Monasterio paterentur aerumnas.

Ex dictis ergo consequitur, Vicarium generalem qualitatibus destitui requisitis pro directore spirituali et confessario, ideoque removendum esse ab audiendis confessionibus cuiuscumque religiosae, et ab officio confessarii ordinarii, et extraordinarii; eo quod Constitutio XX statuit, confessarium

extraordinarium praeditum esse oportere necessariis qualitatibus, sicut ordinarius.

Defensio Curiae. Studet Curia evincere, Patrem Baldi, qui provisorie, una aut altera vice, functus est munere confessarii, constitui non posse in confessarium Ordinarium Salesianarum. *Primo* quia Constitutiones s. Francisci de Sales, subiiciendo auctoritati Episcoporum Religiosas, excludunt Regulares ab officio confessarii ordinarii. Et ideo Pater Baldi provisorio modo constitutus fuit in Confessarium harum Religiosarum. *Secundo* quia interdicitur regularibus esse confessarios ordinarios in Monasteriis Religiosarum, quia « nequeunt, generali regula, Ordinarii locorum pro confessariis ordinariis Monialium, Episcopo immediate subiectarum, designare Regulares, sine venia s. Congregationis. » Praxis etiam s. Congregationis huic consona est regulae; conceditur enim Ordinariis locorum facultas constituendi Regularem in confessarium ordinarium quando deficiant confessores saeculares idonei; S. C. *in Oritan. Novembris 1721 super Confessariis regularibus Monialium;* in *Urbinaten. Minorum Reformatorum diei 5 Septembris 1727;* in *una Venetiarum super Regularibus, qui officium confessarii Monialium exercent diei 12 Maii 1617.*

Quoad vim pecuniae adhibitam in aedificationem Hospitii pro Minoribus observantibus, ait Antistes, censuisse quod ageretur de mutuo, aliter haud permisisset ut alienaretur ingens pecuniae summa haec, et praecipue sine consensu Apostolicae Sedis.

Tertio Pater Baldi quum sit ordinarius confessarius Religiosarum *Stimatine,* nequiret constitui pro altera religiosa familia; *Sacra Congr. Episc. et Reg. 4 Martii 1597* ait: *abusus declaratur quod confessarius Monialium sit constitutus ad vitam, vel plurium monasteriorum.* Benedictus XIV in Constitutione *Pastoralis curae* praescribit: *unus tantum confessarius pro quolibet Monasterio deputandus.* Constare tandem Curiae episcopali, Patrem Baldi non esse gratum multis ex Religiosis, ita ut alium petunt Confessarium, et

tres petierunt Vicarium generalem uti extraordinarium confessarium.

Quum ex dictis P. Baldi nequeat esse ordinarius confessarius, iure suo usus est Archiepiscopus quando eumdem Salesianis petentibus denegavit. Gradum faciens ad electionem patris spiritualis, hanc electionem, ait Antistes, ad se pertinere tum vi Constitutionum, tum vi consuetudinis. Erui ex Constitutionibus ius hoc, innuit Constitutio XXVIII «*Congregatio permanebit, sicuti Regula iubet, sub ordinaria auctoritate Episcopi, qui vocabit patrem spiritualem, qui istius nomine curam habebit.* » Quod verum est etiamsi attendi velit alia editio huius regulae in qua dicitur: *Congregatio permanebit sub ordinaria auctoritate Episcopi a quo ipsa petet patrem spiritualem*... nam etiam ex hac lectione aliud non conceditur Religiosis, quam ius *petendi* patrem spiritualem; dum electio eiusdem manet apud Archiepiscopum. Qui pernoscere valet dotes et aptitudinem suorum sacerdotum relate ad varia munera sacri ministerii eisdem credenda.

Quoad tertiam petitionem Religiosarum, nempe ut removeatur Vicarius generalis, ceu director spiritualis et confessarius ordinarius, et ut impediatur adire Monasterium, quando ab aliqua expetatur extraordinarie, animadvertit Antistes, nil magis iniuriosum et novum expeti posse. Nam ut id concedi possit demonstrari oporteret, petentes frui non posse decreto *Quemadmodum;* (1) et ut auferretur Vicario generali facultas excipiendi confessiones, et libertas petendi Monasterium. Idem Vicarius generalis nunquam fuit aut esse vellet confessor ordinarius, ob multa Dioecesis negotia ab eo expedienda. Omnes autem accusationes contra Vicarium generalem calumniâ et falsitate infici autumat. Neque intelligere Antistes valet quomodo asseri possit, tali securitate, Vicarium generalem qualitatibus destitui aptis ad bonum spirituale Communitatis Religiosae agendum; quum a multis requisitus, multisque fuerit periucunde acceptus.

Quibus praenotatis, proposita fuerunt diluenda

(1) Recole XXIII, 505 et Vol. XXV, 109.

Dubia

I. *An Religiosis Salesianis Pisarum manutenendus sit confessarius ordinarius Pater Lucas Baldi, saltem donec reperiatur confessarius eisdem gratus.*

II. *An R. P. D. Archiepiscopus Pisarum teneatur approbare patrem spiritualem a Religiosis Salesianis electum iuxta Constitutiones et consuetudines proprias Ordinis Salesiani.*

III. *An Vicario generali Bascherini prohiberi possit excipere confessiones illarum Religiosarum, a quibus exposceretur.*

Resolutio. Sacra Congr. Ep. et Reg. re discussa sub die 17 Martii 1893, censuit respondere: *Ad I, II, et III Negative, et scribatur Archiepiscopo ad mentem. Mens est: non expedire quod Vicarius generalis excipiat confessiones Religiosarum in via ordinaria; ne aliae exemplum capiant ad petendos confessarios particulares; quod esset contra normas iuris communis.*

LUCIONEN.

IURISDICTIONIS.

Die 2 Iunii 1893.

Compendium facti. Episcopus Lucionensis occasione visitationis SS. LL. in relatione exhibita S. Congr. EE. et RR. quoad Institutum monialium votorum simplicium vulgo nuncupatum *Congrégation des filles de la Sagesse* fundatum a B. Ludovico Grignon de Montfort, et cuius domus principalis extat ad S. Laurentium *Sur Sevre* in sua dioecesi, praemisso quod ipsum approbatum fuit an. 1853, dilata tamen Constitutionum approbatione, quae reformandae erant *iuxta instructionem a S. Congreg. exarandam*, plura enarravit circa

inconvenientia exorta ex facto, quod Superiores Generales Congregationis Marianae, pariter fundatae a B. Ludovico Grignon praetendunt huiusmodi munus exercere etiam quoad Institutum filiarum Sapientiae, easque dirigendi independenter ab Ordinario, earum Capitula convocandi, praesidendi et invigilandi earum disciplinae et administrationi. Hinc quaerebat: 1° utrum Superior Generalis Congregationis Marianae retineri possit etiam ut Superior Generalis dictarum sororum: 2° utrum harum institutum considerari possit ceu exemptum a iurisdictione Ordinarii: 3° utrum Episcopus Lucionensis, saltem ut Delegatus S. Congregationis possit convocare earum Capitulum eique praesidere. Cuius ultimi quaesiti resolutionem urgebat, eo quia imminebant electiones generales ante festum Pentecostes an. 1890.

Sacra Congregatio rescripsit 1° ut Capitulum hac vice differretur ad nutum S. Sedis, mandans insimul ut illae sorores quae nunc Institutum regunt, ad beneplacitum S. Sedis illud regere pergant; 2° ut ad S. Congregationem pro approbatione transmitterentur Constitutiones actuales Instituti, una cum relatione super statu disciplinari et oeconomico et super novitiatu eiusdem, dependenter tamen ab Episcopo Lucionensi seu cum ipsius approbatione.

Sorores *de la Sagesse*, quibus enunciatum Rescriptum fuerat, per Episcopum Lucionensem transmissum, per Generalem Superiorissam ad S. Congregationem deductionibus et expetitis documentis transmissis, postularunt 1° ut antequam vigentes earum Constitutiones ad trutinam revocarentur, quaestio de Superiore Generali resolveretur; 2° ut hic Superior non esset nisi Superior Generalis Societatis Marianae. Consultor S. Congregationis, cui deductiones ablegatae sunt in suo voto, admittit primam petitionis partem, attamen impugnat totis viribus secundam de Superiore Generali: idem sensit Episcopus Lucionensis in suis literis ad S. Congregationem sub die 29 Ianuarii currentis anni. Interim Sorores *de la Sagesse* obtulerunt S. Congregationi nonnullos articulos circa practicam rationem conciliandi potestatem Superioris Generalis

cum praerogativis et iurisdictione Ordinariorum respectivarum domuum Instituti: Consultor vero super nova allegatione rogatus in eadem mansit sententia.

Disceptatio Synoptica.

QUAE IN SUI FAVOREM FILIAE *DE LA SAGESSE* PROFERUNT. Moniales sibi Superiorem Generalem conservandum esse evincere satagunt primo ex praxi seu traditione fere bis centenaria. Sane Beatus Fundator utriusque Congregationis voluit, ceu Regulae Articulum, ut Superior Generalis Congr. Marianae esset etiam Superior Generalis Monialium: id comprobari dicunt ex testamento primae earum Generalis Superiorissae, in quo mandat ipsis obedientiam Superiori Generali Congregationis Missionariorum S. Spiritus, quia hic Superior ipsis datus est a B. Fundatore de Montfort ad regimen Congregationis et pro regulae observantia: haec regula successu temporis approbata fuit an. 1715 ab Episcopo Rupellensi de Champflour et usque ad an. 1750 ab aliis 8 Episcopis: haec regula plenius fuit evoluta in Constitutionibus an. 1760 concinnatis et solemniter acceptis in duobus Comitiis Generalibus sororum, quibus constitutionibus an. 1773 accessit approbatio Ordinarii rupellensis.

Insuper Superiorem Generalem utriusque Congregationis pluries recognoverunt tum Episcopi Rupellenses, ceu Episcopus Paillon an. 1811, tum Episcopi Lucionenses ceu Episcopus Poyer anno 1822, sub cuius iurisdictione domus primaria filiarum *de la Sagesse* transierat et signanter hic in approbatione earum regulae recenset comunes superiores utriusque Congregationis usque ab earum fundatione.

Deinde subdunt Moniales. Principium de Superiore Generali communi utriusque Congregationis, nedum ab auctoritate Ordinaria admissum, sed implicite etiam ab ipsa Apostolica Sede fuit recognitum: et id probari contendunt: 1° Ex brevi Leonis XII dato an. 1825 ad Rev. P. Dehayes, tamquam Superiorem Generalem utriusque Congregationis ubi duo In-

stituta commendantur. 2° Ex literis S. Congregationis EE. et RR. an. 1853 approbantis has Congregationes ceu Instituta votorum simplicium et 3° Ex facto demum quod in electione Superioris Generalis memorata Congregatio semper voluit ad unguem observantiam Constitutionum ceu constat ex electionibus ab an. 1863 usque ad an. 1884. Hinc Moniales concludunt: ex traditione et observantia fere bis centenaria comperitur, Superiorem Generalem Congregationis Marianae fuisse etiam Superiorem Generalem Congregationis filiarum *de la Sagesse* et id non solum annuentibus Ordinariis sed etiam tacite approbante ipsa Sede Apostolica.

Neque ex tali unitate superioris ullam oriri confusionem, siquidem ipse in Congregatione Monialium invigilat rectae ipsius administrationi et patrimonia utriusque Instituti sunt omnino distincta: quin imo sibi maximam utilitatem obvenisse et profectum tum in regulae observantia, tum in conservatione primitivi spiritus, et si tempore Revolutionis an. 1793 a primitivi spiritus fervore non decidit, aut ab apostasia vel schismate Congregatio immunis evasit, id ab enunciato facto repetendum. Hinc Superiores Generales traduci posse non ceu damnosos, sed potius ceu benemeritos Congregationis.

Tertio demum Moniales asserunt sibi conservandum esse Superiorem Generalem, quia immutatio in hoc regulae puncto plura incommoda et damna pareret. Sane 1° Tot haberentur Superiores, quot sunt Ordinarii, in quorum Dioecesibus domus extant Instituti Filiarum *de la Sagesse;* hinc deficeret unitas spiritus et directionis. 2° Missionarii Societatis Marianae bene instructi in spiritu et doctrina B. Fundatoris substituerentur ab aliis sacerdotibus plerumque indoctis in hoc puncto cum damno evidenti Congregationis. 3° Sed quod magis est ex hac immutatione maximum scandalum oriretur apud fideles, qui profecto crederent, talem immutationem fundamentum habuisse in causis ordinis moralis. Hinc Moniales concludunt afferentes testimonium Episcopi Lucionensis Colet, postea ad Sedem Archiepiscopalem Turonensem evecti, qui separa-

tionem Filiarum *de la Sagesse* a pp. Missionariis S. Spiritus ceu fontem damnorum semper adversatus fuit, dum ex unione utriusque Instituti plures utilitates scatebant.

Consultoris votum. Aliter vero sentit Consultor S. Congr. In primis hic animadvertit ex stilo S. Congregationis fere semper Constitutiones novorum Institutorum ei pro examine subiectas, in quibus esset introductus Superior Generalis, in hoc puncto fuisse correctas tamquam laesivas iurisdictionis Ordinariorum in quorum Dioecesi extant Instituta ; et citat auctoritatem Bizzarri in suo opere *Collectanea* etc. ubi ad rem plura exempla referuntur : et iure merito, quia secus iurisdictio Ordinariorum pessumdaretur et continuo lites haberentur : memoriale vero et documenta a sororibus *de la Sagesse* exhibita, ait, nihili facienda esse utpote destituta necessaria approbatione Episcopi Lucionensis, cuius tramite erant exhibenda, iuxta Instructionem et mandatum eidem Episcopo patefactum a S. Congregatione per suas literas sub die 20 Novembris 1889, quae literae etsi regulariter Monialibus communicatae sunt, tamen effectu caruerunt.

Sed propius accedens Consultor ad refutandas Monialium deductiones, tradit, falso a Monialibus asseri, Superiorem Generalem eas habuisse usque a tempore B. Fundatoris. Moniales adducunt tamquam regulae punctum, Superiorissam tunc temporis nihil peragere potuisse absque consilio P. Spiritualis. Hic profecto non erat iuxta Consultorem, nisi confessor quatuor Monialium, quas solum recensebat Institutum Filiarum *de la Sagesse* tempore mortis Fundatoris an. 1716: et ridiculum tunc fuisset sermonem institui de Superiore Generali ; solummodo an. 1768 quando in Conventu Generali Monialium Constitutiones approbatae sunt, hic confessor haberi coepit ceu Superior Generalis, cui Institutum subdi oportebat. Neque hilum proficiunt moniales adducentes testamentum primae earum Superiorissae, siquidem si Moniales obtinuerunt pro suo Superiore, Superiorem Generalem Congregationis Marianae, id factum esse dicit praevio assensu Episcopi Rupellensis, ut pro P. Mulot et pro P. Andubon : hinc pro-

pria origo Superioris repetenda a Constitutionibus supra adductis. Deinde Consultor refutat secundum Monialium argumentum nempe de assensu circa hoc punctum Ordinariorum et ipsius Sedis Apostolicae: ipse transvolat super assensu Ordinariorum, cum nimis longum et salebrosum esset discutere, quo sensu et quibus circumstantiis ipse praestitus fuerit; solum respondet cum actuali Episcopo Lucionensi, quod approbatio Episcoporum interfuit non in sensu Memorialis filiarum *de la Sagesse* sed Superiores Generales recogniti sunt ceu *Delegati Auctoritatis Episcopalis* iuxta canonicas sanctiones.

Quo vero ad implicitam approbationem Sedis Apostolicae, malo prorsus consilio eam argui contendit e literis Leonis XII datis *ad P. Gabrielem Dehayes Praesidem Generalem Congregationis Concionatorum Spiritus Sancti, itemque Congregationis Filiarum de la Sagesse nuncupatarum:* hae literae laudatoriae, sicuti alia Brevia et Rescripta a Pio IX et a S. Congregatione edita, testantur quidem de facto duplicis Superioritatis, sed nihil ponunt in esse quoad iuris quaestionem. Neque item hanc approbationem desumi posse ex Decreto S. Congregationis approbantis utrumque superius enunciatum Institutum, nempe Congregationis Marianae et Congregationis Filiarum Sapientiae; nam dum S. Congregatio utrumque Institutum, approbat, declarat per viam facti *nihil obstare quominus interim observentur Constitutiones reformandae etc.* Hinc dilatum iudicium circa Constitutiones: iam vero quaestio circa formam regiminis seu de Superiore Generali proprie locum habet in Constitutionibus, quae adhuc desiderant approbationem.

Demum Consultor expendit argumentum desumptum, tum ex utilitate conservationis Superioris Generalis communis in utraque Congregatione, tum ex damnis quae orirentur ex eiusdem suppressione et ita refutat. Iuxta Moniales in ordine spirituali maxima utilitas quae ex conservatione Superioris Generalis derivat, in eo est quod tali ratione in omnibus Congregationis domibus servetur idem spiritus, primitiva

floreat observantia, et periculum relaxationis regulae arceatur. Sed idem effectus nonne obtineri potest unitate regiminis Superiorissae Generalis? quoad utilitatem in ordine materiali, Consultor negat eam haberi posse ex actione Superioris Generalis, qui residet in abdita Galliae parte, dum institutum filiarum *de la Sagesse* etiam in remotissimis extat regionibus. Quoad damna et inconvenientia, quae Moniales dicunt profectura ex immutatione in generali Instituti directione, Consultor reponit quod unitati regiminis consulitur per Superiorissam Generalem: haec cum Consilio Generali suarum sororum disponet quicquid melius ad rectam Congregationis disciplinam et regimen conducet. Quo vero ad meliorem directionem conscientiae habendam per pp. Missionarios Congregationis Marianae, observat Consultor, nihil prohibere quominus hi vocentur a Superiorissa Generali in spiritualibus exercitiis seu ut Concionatores seu ut Confessarii, sicuti in praesentiarum nil prohibet quominus hi sumantur e Clero saeculari respectivarum dioecesum. Tertio demum quoad timorem scandali a Monialibus oggestum, Consultor putat hoc esse phantasiae deliramentum: siquidem non agitur de totali separatione communicationis inter utramque Congregationem sed solummodo de non approbanda forma regiminis, quae praeterquam quod poneret unam Congregationem sub dependentia alterius, contrairet ss. canonum dispositionibus. Ex alia parte vero ad S. Congregationem spectat ita negotium prudenter dirigere, ut etiam umbra scandali arceatur. Quare concludit Consultor, documenta et deductiones Monialium in nullo pretio habendas esse etiamsi necessaria authenticitate seu Episcopi Lucionensis approbatione praeditae forent, quae tamen in facto deest.

Sed sepositis hucusque dictis, pergit Consultor, theoria de unicitate Superioris Generalis in utraque Congregatione nedum opponitur canonici iuris disciplinae, sed est fomes litium et discordiarum, tum quoad internum Instituti regimen, tum exterius quoad iurisdictionem Ordinariorum. Nec iuvat cum Monialibus opponere quod per fere duo saecula haec incon-

venientia abfuerunt, siquidem Consultor innixus testimonio Episcopi actualis Lucionensis respondet quod paulo post an. 1853 quo ex decreto Sacrae Congregationis praxis de Superiore Generali quodammodo permissa seu tolerata fuerat, haec lites ita excitavit cum Ordinario Lucionensi tunc temporis, ut Superior Generalis coactus fuerit dimittere duplex officium seu munus : deinde quicquid sit de experientia etiam in hac re favorabili, certum esse ait Consultor *quod accidit in puncto non accidit in anno;* proindeque principium de duplici superioritate esse reiiciendum. Demum Consultor singillatim et pluribus confutat articulos practicos a Monialibus propositos ad conciliandam auctoritatem Superioris Generalis cum iurisdictione Ordinariorum, in quorum dioecesibus domus Instituti inveniuntur.

His utrimque discussis, S. Congregationi proposita fuerunt enodanda sequentia

Dubia

I. *An et quomodo Filiabus de la Sagesse conservari debeat Superior Generalis cum iurisdictione super universa Congregatione in casu.*

II. *An ad hoc munus sit deputandus Superior Generalis Patrum Societatis Marianae electus iuxta regulas huius Instituti in casu.*

Resolutio. Sacra Congregatio Episc. et Regul. re maturo subiecta examini, die 2 Iunii 1893 proposita dubia dimittere censuit sequenti responso.

Salva in omnibus manente, iuxta canonicas sanctiones, auctoritate et iurisdictione Ordinariorum super singulis domibus Filiarum de la Sagesse et salva potestate Superiorissae Generalis, nihil immutandum quoad facultatem Superiori Generali Societatis Mariae tributam praesidendi Capitulum Generale dictarum sororum, invigilandi et promovendi in singulis domibus Constitutionum observantiam, et sub debita Ordinariorum dependentia ponendi eos actus, qui ad Congregationis bonum et incrementum conducere possunt.

ORANEN.

PROPRIETATIS ET EXPULSIONIS.

Die 2 Iunii 1893.

Compendium facti. Presbyter Ioseph Catà, oriundus e Dioecesi Barcinonensi in Hispania, anno 1873 Africam petens, paucos post menses, ab Ordinario Oranensi praefectus fuit, ceu Vicarius, paroeciae Karguentah, ubi morabatur colonia gentis Hispanicae. Presbyter Catà semper egit ut bonus pastor erga fideles sibi creditos, qui linguâ moribusque eisdem utebantur.

Anno 1876 bono spirituali animarum motus Asylum instituere cogitavit, in quo filiae Hispanorum, una cum alimoniis, religiosâ atque civili educatione ditarentur. Sed opes deerant, ut solus incoeptum conficere valeret: hinc publicam charitatem in sui auxilium excitavit.

Ordinarius, ut opus perficeretur, auctorante Curia ecclesiastica, sivit, ut capsa poneretur in Ecclesia paroeciae Karguentah, et ut clerus Dioecesis, omnesque animae piae accersirentur ad opus charitatis. Tandem coetus nobilium mulierum operi praefuit. Hisce auxiliis, et pecuniâ per Dioecesim collectâ, Presbyter Catà fundum emit, et aedificium extruxit; quod suo nomine in publicis regestis retulit.

Attamen multa deerant ut puellae colligi et ali possent in nuperrimo Asylo. Qua de re Curia oranensis presbytero Catà indulsit, ut Hispaniam peteret pro eleemosynis colligendis; eidemque litteras dedit commendatitias ad Episcopos superiores que ecclesiasticos illius nationis. Effectus spem superavit: nam collectio ita fuit abundans, ut Catà omnia perficere, et expensas peractas plene solvere valuisset.

Asylus, sub expressis conditionibus, hinc inde factis et exceptis, creditus fuit Religiosis hispanicis s. Teresiae. Episcopus vero die 4 Martii anni 1885 approbavit et solemni ritu instituit easdem religiosas, in possessione et directione Asyli eiusdem; et anno 1886 coetui harum religiosarum,

Compañia de sancta Teresa de Iesus, accessit episcopalis approbatio.

Rebus prospere incoeptis, brevi successit discordiae semen; nam presbyter Catà, ratus esse verum unicumque dominum Asyli, praesumebat ut Religiosae nonnullas ab eo concinnatas sequerentur regulas pro admissione puellarum et directione Asyli, eo etiam consilio ut ius suum magis assereret.

Verumtamen quum nihil proficeret, timens, ceu ipse refert, ne operis indoles vitiaretur, eoquod recipiebantur puellae ex familiis divitibus cum discrimine familiarum pauperum; contra voluntatem Religiosarum et Curiae ecclesiasticae, quatuor in Asylum immisit iuvenes, ab ipso vocatae religiosae *Africanistae*, eo consilio, ut sufficerentur filiabus s. Teresiae; quibus illico iussit abire, nisi vellent ab auctoritate civili detrudi.

Miratus super his Episcopus, studuit revocare presbyterum Catà ad mitiora consilia, sed frustra; quia ille magis in dies praesumpsit suo arbitrio moderari Asylum. Quinimo minitatus est vocare in iudicium Religiosas, nisi praetensum debitum eidem solverent, et repetere nomine proprio et nomine oblatorum eleemosynas pro extruendo Asylo adhibitas. Tunc Ordinarius certiorem fecit presbyterum Catà incurrisse in excommunicationem nemini reservatam, inflictam per Constitutionem *Apostolicae Sedis*, eoquod supposuerit Asylum legali hypothecae; et quod incurreret in excommunicationem speciali modo reservatam, ex eàdem Constitutione, quatenus vocaret filias religiosas s. Teresiae ad tribunalia laica. Exoravit autem eumdem presbyterum, ut a Missae celebratione abstineret, donec solveretur a censura, ut revocaret mandatum expulsionis religiosarum per laicam potestatem faciendae, et removeret ab Asylo quatuor *Africanistas* ante diem 13 Iunii 1891.

Verum presbyter, quin mandatum revocaret, iussit sub die 23 Maii suum Procuratorem trahere apud laicum tribunal praedictas filias s. Teresiae, ut eisdem indiceretur remotio ab Asylo etiam per vim. Qua de re Vicarius generalis pre-

sbyterum monuit incidisse ob hoc factum, in excommunicationem a Const. *Apostolicae Sedis* latam contra «*cogentes, sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones*»; et in aliam ab eadem Constit. latam contra *impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae.*

Interdum tribunal laicum indixit Religiosis, ut Asylum relinquerent, nisi vellent proiici per vim, infra tres menses. Et per vim eiectae fuerunt, elapsis tribus mensibus.

Hac prolatâ sententiâ presbyter Catà certiorem fecit Episcopum sese subiecturum iudicio Apostolicae Sedis hanc quaestionem.

Disceptatio Synoptica.

Defensio Presbyteri Catà. Quum tota quaestio limitetur circa Asyli proprietatem et expulsionem monialium ab ipso Asylo, tripliciter divisit Orator suam orationem. In primo puncto autumat, proprietatem Asyli esse exclusive penes presbyterum Catà; in secundo vindicat expulsionis religiosarum iustitiam et rationabilitatem; in tertio solvit nonnullas difficultates in contrarium allatas, tum quoad primum, tum quoad secundum punctum.

Et quoad primum enixe propugnat, proprietatem Asyli esse exclusive apud presbyterum Catà; quia illius nomine emptum fuit solum, in quo extruendum erat Asylum; eius nomine emptio haec relata fuit in publicis regestis, et inscripta in officio hypothecarum; et ipsi facta fuit regularis traditio praedicti fundi. Eruit praeterea proprietatem Asyli esse apud Catà, quia ipse actus possessionis et dominii publicos et notorios exercuit; quia ipse solus egit cum artificibus et operariis, qui Asylum fabricaverunt. Quae omnia, simul sumpta, nemo negabit conficere titulum, quo proprietas et dominium transferuntur; in iure enim certum est — *traditione rerum dominia transferuntur* —.

Adiecit etiam ita veritate niti quod proprietas Asyli sit penes Catà, ut nemo unquam id in dubium revocaverit, neque ipsa Curia episcopalis, quae numquam obmussitavit. Rite ergo Eñus Archiepiscopus Toletanus, et Episcopus Matriti censuerunt, presbyterum Catà esse proprietarium Asyli, quia domus haec non spectat ad ecclesiastica bona, sed esse opus pium laicum et profanum. Et ideo mirum non esse, quod laicum tribunal Orani hisce innixus documentis sententiaverit, proprietatem Asyli esse apud presbyterum Catà.

Neque oggeri iuvat, ait defensor, quod vis pecuniae adhibita in aedificationem Asyli non pertinuit ad presbyterum Catà, sed ad fideles; et ideo Asylum minime dicendum esse ad eumdem Catà pertinere, sed ad fideles ipsos aut ad Ecclesiam. Nam 1°. recte dici non potest, pecuniam praedictam ad eum non pertinuisse, sed ad fideles; quoniam vere pars illius pecuniae ad ipsum pertinuit, maior pars ad eius parentes, ceu admittunt idem Ordinarius, et reliqui fideles. 2°. Quia dato et non concesso quod dicta pecunia pertinuit tota ad fideles, non ideo descendit consequentia legitima quod Asylum non pertinuit ad presbyterum Catà: scitum est enim in iure, fundum aut possessionem nomine unius emptam, etsi cum pecunia aliena, fieri omnino proprietatem illius, cuius nomine emptum fuit, si ipsi regulariter tradita fuit, sicut in casu. *l. 1. Codicis, tit. Si quis alteri vel sibi sub alterius nomine, vel aliena pecunia emerit* — ibi: « *Si pecunia patris fundus, mancipiaque comparata sunt, tamen cum emptiones matris tuae nomine factas esse proponas, ignorare non debes traditione matrem tuam dominam esse constitutam* ». Huic consonat *lex 2 et 8 eiusdem tituli, et 6 Codicis tit. De rei vindicatione* (ibi) « *Si ex ea pecunia, quam deposuerat is apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparavit, ipsique traditae sunt, tibi vel omnes tradi, vel quasdam ex his compensationis causà ab invito eo in te transferri iniuriosum est* ».

Neque subsumere iuvat quod pecunia haec collata fuit a fidelibus, et ideo Asylum factum fuisse proprietatem sacram

et religiosam, nempe proprietatem Ecclesiae, minime vero presbyteri Catà: nova enim omnino haec doctrina esset. Re enim vera Urbanus III rogatus ab Episcopo Ariminensi, quando locus, in quo hospitantur pauperes, haberi possit uti sacer et religiosus, respondit, quando *fuerit Pontificis auctoritate destinatus,* cap. IV *de relig. domib.*

Nunc certum est in casu defuisse hanc apostolicam institutionem, nullumque vestigium haberi apud curiam Oranensem. Thesim suam roborat defensor exemplo Advocati Longo, qui eleemosynis fidelium extruxit Asylum vallis pompeianae, quique coram gentibus est dominus huius Asyli, absque ulla oppositione. Neque Summus Pontifex obmussitavit, sed eumdem exhortatus est et suam benedictionem adiecit eidem.

Qua de re si presbyter Catà proprietatem huiusmodi Asyli, utpote laicalis, habet, sequitur quod idem Catà, dum vendidit aut hypothecae subiecit dictum Asylum absque indulto s. Sedis, censurâ ecclesiasticâ ligari non potuit ad tradita per S. Congr. Concilii *Bononien. reddditionis rationis et beneplaciti apostolici 2 Martii 1839* §. *ult.*

Ad secundum punctum suae orationis progressus Advocatus, ait: nequit omnino dubitari de iustitia et rationabilitate expulsionis filiarum s. Teresiae de Asylo; quia presbyter Catà, ut abunde demonstratum fuit, est dominus illius Asyli; nunc nulla lex aut civilis aut ecclesiastica vetat domino disponere de re sua. Sed praeterea Religiosae istae erant amovibiles, sicut relatum fuit Episcopo novo Orani ab inimicis eiusdem Catà; et innuit Ossó, institutor harum filiarum, qui scribens ad Archipresbyterum Orani, minitavit revocare filias illas ab Africa, nisi responderent directioni spirituali et oeconomicae. Nunc si removere potuit illorum institutor, eo magis valebit dominus Asyli.

Neque obiicere valet, neminem removeri posse a proprio officio absque iusta et rationabili causa; eoquod in themate non defuerunt gravissimae. Ipsae enim Religiosae, absque consensu presbyteri Catà numerum ipsarum auxerunt de 5

ad 12; receperunt in Asylum pro pretio puellas divites, loco puellarum pauperum, indolem institutionis adulterando; numquam obedientes sese exhibuerunt voluntati presbyteri Catà, sed studuerunt ut ille despoliaretur de proprietate Asyli. Et ideo dici nequit filias s. Teresiae expulsas fuisse sine iusta atque rationabili causa.

Hisce firmatis, transit orator ad refutandas obiectiones contrarias. Et primo dicitur: Asylum non esse laicum, sed religiosum, sacrum et ecclesiasticum, quia ex indulto Episcopi capsa in Ecclesia paroeciali posita est pro colligendis fidelium eleemosynis ad extruendum Asylum. Respondetur: omisso quod capsa non pro Asylo extruendo, sed favore filiarum Mariae posita fuit, vanum et lepidum unicuique apparet quod indultum eiusmodi locum tenere queat decreti episcopalis. Eoque minus pro decreto episcopali haberi potest permissio ab Episcopo data colligendi eleemosynas in regnum hispanicum. Obiectioni in contrarium adductae, quod nempe titulus presbyteri quoad Asylum sit mere civilis, respondet per aphorismum — *quod gratis asseritur, gratis negatur.*

Pariter difficultatem diluit quod filiae s. Teresiae sint inamovibiles, utpote canonice institutae, per confessionem contrariae partis, et per factum Patris Ossò fundatoris harum filiarum, qui minitavit eas revocare nisi morem gererent directioni spirituali et oeconomicae. Meram autem esse calumniam, ait, quod obmussitatur de moribus et religione *Africanistarum*; quarum agendi ratio meruit communem approbationem.

Concludit ergo Orator dicendo, filias s. Teresiae removeri potuisse ad nutum presbyteri Catà, qui a suis inimicis hostiliter impetitur, quemque commendat iustitiae et prudentiae Eñorum Patrum ut relevetur ab incubo huius persecutionis.

Defensio Curiae episcopalis. Defensor, praemonito quod agitur de opere stricte ecclesiastico, et ideo dependente ab auctoritate ecclesiastica, quadrupliciter partit suam orationem. Autumat in primo puncto quod neque proprietas, ne-

que administratio Asyli pertinet ad presbyterum Catà: in secundo asserit substineri non posse expulsionem filiarum s. Teresiae ab Asylo, et presbyterum easdem expellendo incurrisse in censuras ecclesiasticas; in tertio studet evincere, presbyterum Catà teneri ad expellendas ab Asylo sorores *Africanistas;* in quarto tandem responsum praebet rationibus et deductionibus adversae partis.

Et imprimis ut evincat proprietatem Asyli non esse apud Catà monet, istum debuisse, ut Asylum construeret, auxilia a fidelibus etiam Hispaniae exposcere, et capsam in Ecclesia ponere paroeciali ad colligendas eleemosynas; idque fecisse auctoritate Episcopi suffultum, complurimasque oblationes collegisse. Hisce positis, sequitur quod bona Asyli, vi legum Ecclesiae ad Ecclesiam pertinent, et destinantur favore operae piae sub tutela et auctoritate Episcopi. *Concil. Trid. cap. 8 Sess. 22 de ref.* « *Episcopi tamquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure conceptis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores; habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque, ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas sive quocumque alio nomine vocant... eleemosynas montis pietatis, sive charitatis, et pia loca quomodocumque nuncupentur... ac omnia quae ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes substentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant et sequantur* ».

Praeter autem iuris dispositiones, censet defensor, opus Catà habendum esse bonum ecclesiasticum, etiam quia *ecclesiastica auctoritate constitutum fuit.* Et re quidem vera auctoritate Episcopi capsa posita est in Ecclesia paroeciali, ubi Vicarius erat Catà, et de eâdem episcopali auctoritate eleemosynae collectae fuerunt apud Orani, et Hispaniarum fideles, favore operis ab Episcopo approbati; cui approbationi innixi fideles securius agebant. Neque opus est speciali Episcopi decreto, ut contraria pars occentat, ad efficiendum de Asylo bonum ecclesiasticum; quia in hoc casu agitur minime

de bono privato, sed de eleemosynis collectis, praevia Episcopi commendatione et favore operae piae. Barbosa de officio et potest. Episcopi *par. III alleg. 76 n. 10* « *Pecunia nostra facimus qualitercumque nostram interponamus auctoritatem* ».

Argumentum favore operae piae trahit defensor et ex frequenti indulto concesso ab Episcopo presbytero Catà, qui, etiam in sua absentia a beneficio, *faciebat fructus suos*. Nam si Episcopus non habebat hoc pro opera pia, non ita frequenter indulsisset eidem paroeciam derelinquere et facere suos fructus praebendae. Insuper idem Catà confessus est Reginae Hispaniae, existentiam Asyli recognitam fuisse ab auctoritate ecclesiastica; et ipse idem concessit Episcopo ius nominandi rectorem huius Asyli, quando concinnavit normas moderatrices huius instituti.

In tuto posita natura ecclesiastica Asyli, studuit orator evincere proprietatem instituti non esse apud Catà; hoc deducendo a declarationibus ipsius Catà, et a documentis scriptis, quibus certum apparet solum emptum esse, et aedificationem incoeptam fuisse eleemosynis fidelium, minime vero aere proprio aut illius familiae. Constat enim vim pecuniae collectae a fidelibus ascendere ad lib. 60,000, quantum circiter aestimari potest Asylum.

Quoad administrationem huius operis defensor studet probare, presbyterum Catà non possidere elementa quae constituunt administratorem commendabilem: caret enim *ordine, sinceritate* et *prudentiâ*, ut ex eiusdem actis colligitur.

De expulsione autem filiarum s. Teresiae loquendo, ait defensor, eam esse iniustam et contra legem, quia hae religiosae auctoritate episcopali institutae fuerunt; et ideo earumdem expulsionem fieri debuisse auctoritate eiusdem Episcopi: nam *illius est tollere, cuius est condere:* quia hanc eamdem auctoritatem requirit Articulus 131 statutorum synodalium Dioecesis oranensis. Ast, prosequitur defensor, si expulsio fuit iniusta et contra legem, ideo fuit irrita, et filiae s. Teresiae redintegrandae sunt in pristinum.

Neque dubitari posse, prosequitur Orator, presbyterum Catà, per haec opera iniusta et contra legem incurrisse censuras ecclesiasticas, latas per Constitutionem *Apostolicae Sedis,* cap. VII *Impedientes*. Pari modo poterat Episcopus excommunicare presbyterum Catà, quia initiavit processum civilem absque illius venia, ad tradita per Litteras circulares S. R. Inquisitionis die 23 Ianuarii 1886 (1).

Presbyter Catà, ait defensor, per fas aut nefas dominari in alios vult, propriamque imponere voluntatem; ideoque posuit in Asylum filias s. Teresiae, quas censuerat omnino obsequentes suo imperio. Sed quum aliter res procederent, et istae Religiosae non semper morem gererent eius voluntati, quoniam sciebant alios habere superiores, quibus obediendum erat, tunc fraudulenter modisque indignis cogitavit easdem expellere, alias, quas vocavit *Africanistas,* in earumdem locum sufficiendo. Quum res sic se habeant, censet orator, onus incumbere presbytero Catà removendi ab Asylo *Africanistas,* quas suo arbitrio, modis reprobandis, ibi constituerat loco filiarum s. Teresiae, quae communem populi affectum meruerant, et existimationem.

Iura nostrae favent sententiae, ait defensor: *Trident. Sess. 25 cap. 3 de regul. et monialib.* « *Nec de cetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius Dioecesi erigenda sunt, scientiâ prius obtentâ* ». Confirmatur praeterea per decretum Pii IX diei 25 Ianuarii 1848, et per Articulum 130 Statuti Synodalis.

Quamobrem Orani Antistes ius habet reiiciendi, sicuti de facto reiicit *Africanistas,* et presbyter Cata easdem illico removere tenetur, ut tandem iustitia erga filias s. Teresiae suum obtineat locum.

Tandem defensor refutat omnes obiectiones a presbytero Catà exhibitas adversus Episcopum et filias s. Teresiae; utpote omni basi veritatis carentes, et inventum improbae voluntatis, ut finem sibi praeconceptum modis omnigenis pertingeret.

(1) Adsunt hae litterae circulares Vol. XVIII, 416.

Hisce in utramque partem animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An et quomodo, ad presbyterum Catà pertineat proprietas aut simplex administratio Asyli in casu?*

II. *An et quomodo substineatur expulsio sororum s. Teresiae ab Asylo; et an presbyter Catà easdem expellendo incurrerit ecclesiasticas censuras in casu?*

III. *An idem ipse teneatur removere a directione Asyli* Africanistas, *sic nuncupatas?*

Resolutio. Sacra Congr. Ep. et Reg. re discussa sub die 2 Iunii 1893 censuit respondere: Ad I et II *Negative in omnibus et amplius.* Ad III. *Affirmative et amplius, et ad mentem. Mens est: quod Catà suspensus manet a divinis 1. donec plene exequatur praesentem resolutionem; 2. donec veniam petat ab Episcopo, et convenienter scandalum datum reparet; 3. donec sese committat Episcopo, ut titulus civilis Asyli transferatur in alias personas, si et quatenus Episcopus opportunum censeat.*

Ex quibus colliges: I. Episcopos, tanquam Sedis Apostolicae delegatos, esse executores omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, et ius habent visitandi loca pia, quomodocumque nuncupentur.

II. Indolem induere ecclesiasticam, seu pertinere ad causas pias omnia quae instituta fuerunt ad Dei cultum, animarum salutem, seu ad pauperes substentandos.

III. Inter causas pias accensendum esse Asylum orphanorum in themate, colligi tum ex mediis, quibus fundatum est, tum ex fine ad quem destinatum, tum ex auctoritate quae interposita fuit, ut efficeretur.

DECRETUM. De unione trium Observantiarum Cisterciensium Trappistarum.

Romae convenerunt ex plurimis admodumque dissitis orbis partibus Abbates omnes, Priores aliique Domorum vel Superiores vel Deputati omnium Observantiarum Cisterciensium Trappistarum, secundum iussionem SS. D. N. Leonis PP. XIII eis intimatam per Decretum huius S. Congregationis Episcoporum ac Regularium negotiis et consultationibus praepositae, die 20 Iulii 1892, ac Praeside Emo Cardinali Camillo Mazzella S. C. Indicis Praefecto, ad id muneris Apostolica auctoritate subdelegato ab Emo Cardinali Raphaele Monaco La Valletta, Episcopo Veliternensi, Poenitentiario maiore, et Trappensium protectore, superiore mense octobris huius anni 1892, in aedibus Seminarii Gallici SS. Cordis Mariae, omnium Observantiarum generalia comitia primum celebrarunt. In his tantam prae se tulere docilitatem ac devotionem erga Apostolicam Sedem, regularis disciplinae zelum, incrementi ac prosperitatis Instituti studium, animorum concordiam consiliorumque maturitatem, ut SS. D. N. dicere non dubitaverit, *in Ordinis historia hoc Capitulum futurum maximi momenti,* atque speciatim *collaudaverit praeclara quae praebuere unanimitatis et generosae abnegationis argumenta.*

Iam vero, uti plurima capitulariter proposita inserenda erunt in Constitutionibus intra annum S. huic Congregationi exhibendis, atque cum his perpendenda, ita nonnulla extant, fere omnia communi calculo probata, de quibus in praesens est providendum, ne amplius suspensa relinquatur ac incerta Instituti conditio; quapropter, praevio maturo examine ac discussione, S. C. haec, quae sequuntur, futuris temporibus perpetuo servanda censuit statuere ac decernere.

I. Tres Cisterciensium Trappistarum Observantiae Westamallensis, Septemfontium et Mellereacensis, unum posthac tantum Ordinem constituent sub unius Superioris regimine.

II. Haec Congregatio existet autonoma sub unius Apostolicae Sedis dependentia, salvis iuribus Ordinariorum locorum, iuxta Constitutiones Apostolicas et Instituti.

III. Nomen ei erit: *Ordo Cisterciensium Reformatorum B. Mariae de Trappa;* et Superior Generalis nuncupabitur

Abbas Generalis Cisterciensium Reformatorum B. Mariae de Trappa.

IV. Sedes Abbatis Generalis, eius Definitorii ac Procuratoris Generalis erit Romae. — Abbatia quae in titulum deinceps assignabitur Abbati Generali erit princeps in toto Ordine honore et auctoritate.

V. SSmus ratas habet et confirmat electiones in Capitulo Generali peractas Abbatis Generalis, Definitorum et Procuratoris Generalis.

Abbas Generalis. Rmus Dnus Sebastianus Wyart, Abbas Monasterii Septemfontium (dioec. Molinensis in Gallia).

Definitores. 1° Dnus Malachias, Abbas Monasterii B. M. de Achel (dioec. Leodicensis in Belgio).

2° Dnus Iohannes, Prior Monasterii Triumfontium (in suburbio romano).

3° Dnus Bernardus, Abbas Monasterii B. M. de Thymadeuc (dioec. Venetensis in Galiia).

4° Dnus Augustinus, Sub-Prior Monasterii Montis Olivarum (dioec. Gratianapolitanae in Gallia).

5° Dnus Hubertus, Sub-Prior Monasterii Montis Olivarum (dioec. Argentinensis in Germania).

6° Dnus Augustinus, Monasterii S. Bernardi (dioec. Notthingam in Anglia).

Procurator Generalis. Dnus Augustinus, idem qui et sextus Definitor.

VI. Abbas Generalis usque ad Capitulum Generale proximo anno celebrandum retinebit Titulum Abbatiae Septemfontium, cuius regimen interim demandabit Priori ab eo eligendo et ab eo dependente.

VII. Nonnulli ex omnibus Ordinis partibus pietate ingenioque praestantiores, capitulariter a singulis Abbatiis proponendi, et seligendi ab Abbate Generali cum Definitoribus, Romae conficient sacrorum studiorum cursum altiorem prae communi omnibus Ordinis clericis.

VIII. Ad experimentum et quoad approbatae fuerint Constitutiones, in potestate erit uniuscuiusque Abbatis vel, quocumque nomine nuncupetur, Superioris domus, ex duobus horariis a Capitulo Generali Sanctae Sedi propositis unum alterumve sequi, quod magis in Domino expedire iudicaverit.

IX. Decreta S. huius Congregationis ac Brevia annorum

1834, 1836, 1839, 1847 et 1884 de familiis Trappensium per praesens Decretum abrogantur, et nullis roboris amplius esse declarantur in omnibus quae sibi adversantur.

X. De monialibus nihil innovatur quoad ea quae huic Decreto non obstant.

Et facta de praemissis relatione SSmo Dño Nostro Leoni PP. XIII ab infrascripto D. Secretario S. Congregationis negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae in audientia habita die 18 novembris 1892, Sanctitas Sua ea approbavit, ac in nova audientia habita die 2 decembris eiusdem anni hoc Decretum in omnibus confirmavit et servari mandavit, atque litteras Apostolicas in forma Brevis expediri iussit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 8 mensis decembris anni 1892.

S. CARD. VERGA, *Praefectus.*

Ios. M. Arch. Coes. *Secretarius.*

LITTERAE in forma Brevis, quibus validatur praecedens decretum.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastoralis muneris officio admoniti Romani Pontifices in religiosas familias, ex quibus Christiana res tot tantaque percipit emolumenta, curas cogitationesque suas alacri studio intendere satagunt, ut in iis regularem disciplinam, unde potissimum eorumdem Ordinum decus proficiscitur, quando necessitas postulet, tueantur, restaurent. Hoc consilio Trappensium Congregationi mentis Nostrae oculos convertentes, Abbates omnes, Priores, aliosque domorum vel Superiores, vel deputatos omnium Observantiarum Cisterciensium Trappistarum, secundum iussionem eis intimatam; per decretum Congregationis Episcoporum ac Regularium negotiis et consultationibus dirimendis praepositae die xx mensis Iulii superioris anni datum, Romam vocavimus, hique dicto audientes ex plurimis admodumque dissitis

terrarum orbis partibus in hanc Almam Urbem Nostram convenere ac Praeside dilecto Filio Nostro Camillo Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali Mazzella, Congregationis Indicis Praefecto ad id muneris Apostolica auctoritate subdelegato a Venerabili Fratre Nostro Raphaele S. Romanae Ecclesiae Cardinali Monaco La Valletta, Episcopo Ostiensi et Veliternensi, Poenitentiario Maiore, et Trappensium protectore, mense Octobri ipsius superioris anni MDCCCXCII in aedibus Seminarii Gallici SS. Cordis Mariae, prima omnium Observantiarum generalia Comitia celebrarunt. His autem in Comitiis tantam illi observantiam ac devotionem ergâ hanc Sedem Apostolicam, regularis disciplinae zelum, incrementi, ac prosperitatis instituti sui studium, animorum concordiam, consiliorumque maturitatem praesetulerunt, ut Nos ipsi dicere non dubitaverimus « in Ordinis historia Capitulum illud maximi momenti futurum » et singulari laudis praeconio prosequuti simus « praeclara quae praebuere unanimitatis et generosae abnegationis argumenta. »

Iam vero uti plura capitulariter proposita inserenda erunt in Constitutionibus intra annum eidem Episcoporum et Regularium Congregationi exhibendis, atque una cum his perpendenda, ita nonnulla extant, fere omnia communi calculo probata, de quibus in praesens est providendum, ne amplius suspensa relinquatur ac incerta Instituti conditio; ideoque, omnibus rei momentis attento ac sedulo examine perpensis cum Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis, dirimendisque praepositis, haec quae infrascripta sunt statuenda ac decernenda existimavimus. Nimirum omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuum in modum edicimus ac mandamus.

I. Ut tres Cisterciensium Trappistarum Observantiae Westamallensis, Septemfontium et Mellereacensis unum posthac tantum Ordinem constituant sub unius Superioris regimine.

II. Haec Congregatio existet autonoma sub unius Apostolicae

Sedis dependentia, salvis iuribus Ordinariorum locorum iuxta Constitutiones Apostolicas et Instituti.

III. Nomen ei esto « Ordo Cisterciensium Reformatorum Beatae Mariae Virginis de Trappa, » et Superior Generalis nuncupetur « Abbas Generalis Cisterciensium Reformatorum Beatae Mariae de Trappa. »

IV. Sedes Abbatis Generalis, eius Definitorii, ac Procuratoris Generalis sit Romae. Abbatia quae in titulum deinceps assignabitur Abbati Generali erit princeps in toto Ordine honore et auctoritate.

V. Ratas insuper eadem Nostra Apostolica auctoritate habemus, et confirmamus electiones in Capitulo Generali peractas Abbatis Generalis, Definitorum et Procuratoris generalis. Sit scilicet Generalis Abbas Sebastianus Wyart Abbas Monasterii Septemfontium dioecesis Molinensis in Gallia. Definitores sunto dilecti filii Malachias Abbas Monasterii Beatae Mariae de Achel dioecesis Leodicensis in Belgio; Iohannes Prior Monasterii Trium-Fontium in suburbio romano; Bernardus Abbas Monasterii Beatae Mariae Thimadeuc, dioecesis Venetensis in Gallia; Augustinus subprior Monasterii de Campo Arando, dioecesis Gratianopolitanae in Gallia; Hubertus subprior Monasterii Montis Olivarum, dioecesis Argentinensis in Germania; Augustinus Monasterii Montis Sancti Bernardi, dioecesis Notthingamensis in Anglia. Tandem esto Procurator Generalis dilectus filius Augustinus, idem qui et sextus Definitor.

VI. Abbas Generalis, usque ad Capitulum generale proxime celebrandum retineat titulum Abbatiae Septemfontium, cuius regimen interim demandabit Priori ab eo eligendo et ab eo dependente.

VII. Tandem statuimus, ut nonnulli ex omnibus Ordinis partibus, pietate ingenioque praestantiores capitulariter a singulis Abbatiis proponendi, et eligendi ab Abbate Generali cum Definitoribus, in hac Alma Urbe conficiant sacrorum studiorum cursum altiorem prae communi omnibus Ordinis clericis.

VIII. Ad experimentum et quoad approbatae fuerint constitutiones, in potestate erit uniuscuiusque Abbatis, vel quocumque nomine nuncupetur, Superioris domus, ex duobus horariis a Capitulo generali Sanctae huic Sedi propositis, unum alterumve sequi quod magis in Domino expedire iudicaverit.

IX. Oleum ac butyrum ad condimentum permittimus.

X. Decreta Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis, ac disceptationibus dirimendis praepositae, ac Litteras Apostolicas sub Piscatoris annulo datas annis 1834, 1836, 1839, 1847 et 1884, in quibus de familiis Trappensium agitur, praesentium Litterarum vi, Apostolica auctoritate abrogamus et nullius roboris amplius esse declaramus in omnibus quae praesentibus hisce Literis Nostris adversantur.

XI. De Monialibus nihil innovamus, quoad ea quae hisce Literis non obstant.

Haec concedimus atque elargimur decernentes, praesentes Literas firmas, validas et efficaces semper existere, et fore, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et irritum esse et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 17 Martii 1893. Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

S. CARD. VANNUTELLI.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ROMANA

DEPUTATIONIS VICARII GENERALIS

Die 6 Maii 1893.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. R. P. D. Regens S. Poenitentiariae, datis litteris, nuperrime a S. C. C. postulabat, ut significare vellet eidem sacro Tribunali an in Italia queant in eàdem Dioecesi nominari duo Vicarii generales, *aeque principales.*

Disceptatio Synoptica

Animadversum fuit quoad propositum dubium quod *Card. De Luca,* qui licet ex professo de hac quaestione non disserat, attamen *De iurisd. disc. 22 et 24,* et *De benef. disc. 10, n. 7* tradit quod « in una dioecesi unus tantum datur Vicarius generalis, cui data sit universa iurisdictio in tota dioecesi. » In tractatu vero *De parochis disc. 45, n. 6* idem auctor clarius etiam scribit: quod « per necesse unicus debeat esse Vicarius generalis, neque in eadem Dioecesi dentur duo Vicarii generales etc. » Cum his congruere etiam videtur decretum S. C. Episcoporum et Regularium in Almerien. *diei 6 Septembris 1848* apud Bizzarri *Collect.* in quo, etiamsi non appareat sermonem esse de duobus Vicariis generalibus, aeque principalibus, nonnulla tamen reperiuntur verba quae et casum hodie propositum amplecti viderentur. Sane ibi haec prostant: eo quod Episcopi nequeant absque expresso S. Sedis indulto, constituere duos Vicarios generales in una eâdemque Dioecesi; nequibit R. Vestra, ex quo retinebat in officio Vicarium generalem, deputare pro-Vicarium generalem, qui iurisdictionem exerceret una cum Vicario. Neque desunt auctores, ut Santi *Praelect. lib. 1, tit. 28, n. 24,* qui doceant praxim deputandi plures Vicarios aeque principales, licet nulla lege expresse reprobatam, haud tamen iuris intentioni respondere. Quin imo cl. Devoti satis aperte innuit multiplicitatem Vicariorum menti Tridentini adversari, qui semper de unico Vicario generali loquitur.

Nihilominus e contra Lucius Ferraris in sua *Bibl. can. voc. Vic. gen.* asserit quod « episcopus potest etiam binos Vicarios generales aeque principales seu in solidum constituere, maxime si dioecesis sit multum ampla »; atque ad assertionem suam firmandam plures citat probatos auctores ceu Reiffenstuel, Rebuffum, Barbosa etc. Ex his sufficiat tantum allegare Reiffenstuel, qui *lib. 1, tit. 28, De off. Vic.* haec habet: « Episcopus potest etiam binos Vicarios generales aeque principales seu in solidum constituere, ut expeditioni causarum facilius consulatur. »

Praeterea commemorare praestat in Adnot. *43, ad vol. I.* Reiffenstuel *edit. Parisien. anni 1864* legi nonnulla verba deprompta ex epistola ab Emo S. C. C. Praefecto die 14 Iulii 1858 ad Emum Card. Gousset conscripta huiusce tenoris: « Capitula cathedralia unum dumtaxat Vicarium capitularem, non autem duos vel plures deputare debere, quemadmodum de Vicariis generalibus agere licitum est. » Quae postrema verba controversiam dirimerent, si omnibus locis referenda essent, et non unice praxim in Gallia vigentem respicerent, ceu ex dignitate, quam Emus Gousset in Gallia obtinebat forsan arguendum videretur. Etenim notum est, in ultramontanis regionibus, et praesertim in Gallia, duos Vicarios generales plerumque constitui ab Episcopis, hancque agendi rationem a suprema auctoritate nedum haud reprobari sed quodammodo approbari. Nam refert Santi *loc. cit.* « quod Romae expediuntur litterae apostolicae – Episcopo et Vicariis eiusdem in spiritualibus constitutis. – »

Verumtamen nescio an aliquando hi Vicarii generales, qui in Gallia aliisque regionibus simul ab Episcopis deputari solent vere aeque principales sint. Siquidem generatim unius ex Vicariis auctoritas versatur in iis quae sunt voluntariae iurisdictionis, alterius vero, qui et officialis dicitur, in actibus iurisdictionis contentiosae et negotiis forensibus. Id, ceteris missis, refert Devoti *Inst. can. tom. I, tit. 3, sect. 9,* qui ante adnotaverat: « In Italia unus constitui solet Vicarius, cui committitur administratio rerum spiritualium et simul contentiosa iurisdictio. »

Denique animadvertendum est, in praxi, iuxta plurium sententiam, rem de qua agimus praecipue definiendam esse attenta consuetudine. « Hodie solet ita a iuristis solvi haec quaestio, scilicet: ubi consuetudo iam viget, ius patitur ut plures Vicarii in solidum constituantur; at ubi haec consuetudo non est, non permittitur introduci. » De Angelis *Prael. lib. I, tit. 28, n. 9.* Atque in hanc opinionem et S. C. C. descendisse censet Ferraris *loc. cit.*: « Ampliatur praedicta conclusio, ut possit Episcopus constituere plures

Vicarios generales si ita servetur de consuetudine. *S. C. in Lancianen. 24 Martii 1599 et 21 Februarii 1614.* »

Quibus animadversis, quaesitum est quid esset respondendum quaesito S. Poenitentiariae.

Resolutio. Sacra Concilii Congr. sub die 6 Maii 1893, re cognita, censuit respondere: *Negative.*

Ex quibus colliges. I. Unum in Italia constitui tantum posse Vicarium generalem, cui committatur administratio rerum spiritualium, et simul contentiosa iurisdictio.

II. Hanc maximam confirmare Canonistarum sententiam, quae habet; ius pati ut plures in solidum constituantur Vicarii ubi consuetudo viget; non permitti vero ubi haec consuetudo iam non inolevit.

III. In Italia nunquam viguisse consuetudinem duos habendi Vicarios generales, quae contraria etiam Tridentini menti videtur, quum in eo non agatur nisi de unico Vicario generali.

AUXIMANA

QUOAD DEPUTATOS SEMINARII.

Die 15 Iulii 1893.

Per summaria precum.

Compendium facti. Die 13 Aprilis currentis anni, Episcopus Auximanus Eño S. C. C. Praefecto litteras dabat sequentis tenoris: quum eligendus sit a clero urbano deputatus pro oeconomica administratione Seminarii, dubitari coepit an Patres Oratorii, seu s. Philippi filii, cooptari valeant inter electores et eligendos. Mihi contraria est opinio; quam tamen imponere nolo huic clero, qui libenter eligeret ad hoc munus optimum Patrem Oratorii. Proinde dubium submitto Eñorum Patrum iudicio.

Disceptatio Synoptica.

In primis recolendum est quod statuit Concilium Tridentinum relate ad Seminariorum deputatos in *cap. 18 sess. 23 de Reform.* Sane ibi inter cetera praecipitur, ut Episcopus rectam Seminarii disciplinam, et rerum temporalium administrationem curet, « cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat ». Porro cum, saltem ex recepto universim more, indubium videatur illa voce « *clerus* » sacerdotes tantummodo saeculares comprehendi, ita ut iuxta mentem Patrum Tridentinorum, a praedicto deputatorum munere religiosi omnino excludi debeant, in casu nostro ad hoc totam quaestionem reduci posse putandum est, ut videlicet definiatur an presbyteri Oratorii divi Philippi Nerii ad saecularem vel potius ad regularem clerum pertineant. Quod quidem arguendum erit tum ex natura institutionis eorumdem presbyterorum, tum ex essentia status religiosi.

Itaque ex constitutione CLXXXVI « *Copiosus* » Gregorii XIII, cum qua Summus Pontifex Congregationem presbyterorum et clericorum de Oratorio nuncupatam approbavit, satis clare erui videretur huiusmodi presbyteros minime inter regulares esse recensendos, quum eorum institutum seu Congregatio minime ea omnia praeseferat, quae status religiosi substantiam et essentiam reapse constituunt.

Sane compertum est statum religiosum definiri : « stabilis in communi vivendi modus fidelium ad christianae charitatis perfectionem tendentium ab ecclesia approbatus, editis votis perpetuae obedientiae, paupertatis et castitatis ». Igitur ut status religiosus reapse habeatur requiritur : 1° stabilitas seu permanens, immo perpetua conditio a fideli suscepta per liberam professionem in religiosa communitate, quae libera professio veram obligationem personalem inducat ; 2° tria vota perpetua castitatis, obedientiae et paupertatis ; 3° ec-

clesiae approbatio, quae iudicio suo cognoscat de qualitate regulae propositae. Verum in sua citata Constitutione Pontifex nullimode loquitur de votis a membris Congregationis Oratorii emittendis, neque de ipsorum in Congregatione stabilitate, neque demùm de eiusdem Congregationis regularum examine vel approbatione. Sed solummodo iuxta preces Philippi Nerii et sociorum facultatem postulantium instituendi Romae in ecclesia S. Mariae in Vallicella Congregationem Oratorii, praefatus Pontifex his verbis suam dedit approbationem: « Pium et laudabile Philippi Praepositi ac presbyterorum et clericorum desiderium summopere commendantes... in dicta ecclesia unam Congregationem presbyterorum et clericorum *saecularium* de Oratorio nuncupandam sine alicuius praeiudicio, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus ».

Hisce autem robur et claritas accedit ex ipsis Congregationis Statutis, quae a Pauli V Constitutione *Christifidelium*, suam repetunt approbationem. Siquidem in *cap. IV* legitur: « Cum nostra congregatio solo charitatis mutuo nexu, neque ullis astricta votorum, iuramenti, aut promissionis huiusmodi vinculis, olim per S. Philippum Nerium fuerit divina inspiratione instituta, atque haec fuerit eius et omnium congregationis patrum mens, semper unanimis, ac sit ut ita perseveret, decretum est, si quando aliqui ex nostris putaverint ab hoc statu recedendum, et alligare patres, fratresque ullis votorum iurisiurandi aut promissionis vinculis, etiamsi isti maiorem partem conficiant, ut sit ipsis quidem liberum, quam velint ingredi religionem, sed altera pars, quamvis numero longe impar, habeat omnia bona Congregationis, quocumque loco posita, quamdiu perseveraverit in hoc statu, nec alteri quicquam dare, vel acquisitum, vel acquirendum teneatur ». Ex huiusmodi itaque rerum statu inferendum videtur, minime inter religiosos adscribendos esse Congregationis Oratorii sodales, quum eidem Congregationi fundamentalia desint elementa, ex quibus status religiosus in suo vero sensu accepto revera exurgit.

Neque praeterea silentio est omittendum quomodo divi Philippi Nerii semper ab omnibus presbyteri vel clerici saeculares fuerint appellati, neque una quidem vice regulares dicti. Quod etiam ex eo confirmari posse dicendum est quod, non secus ac ceteri de clero saeculari, Episcopo loci in quo degunt fere in omnibus subiiciuntur.

Nihilominus ex adverso plura perpendenda veniunt, quae contrariam sententiam suadere videntur. Atque in primis observari fas esset, quod, etsi stricte loquendo Oratorii presbyteri regulares dici nequeant, in nonnullis tamen possent regularibus aequiparari, atque per consequens iuxta Tridentinam dispositionem ab officio deputatorum Seminarii excludendi forent. Revera ipsi proprium habent superiorem, quem iuxta suae Congregationis statuta et independenter ab Episcopo loci eligunt, eidemque reapse subesse ac obedire tenentur. Praeterea, patres, ad modum religiosorum, fere generatim nuncupantur; et, saltem intra quosdam fines, privilegiis gaudent ac ceteri sacerdotes regulares, omnesque eorum domus, prout et illae Regularium, iurisdictioni parochi minime subiiciuntur. « Verum est, ait Episcopus auximanus, quod, stricte loquendo, filii s. Philippi Neri sunt presbyteri saeculares, tamen, cum *patres* nominentur, obligatione obstringantur vivendi sub obedientia praelati sui, exemptiones et privilegia, quibus infra certos limites fruuntur, religiosorum instar, innuunt, eos regularibus aliquo modo accenseri posse. Ex quibus postremis verbis, et praxim forsan ad ea quae hucusque dixi firmanda, allegari posse videretur.

Sed in themate potissimum prae ceteris argumentum desumi posset ex *cap. VIII, n. 19,* statutorum Congregationis Oratorii. Ibi enim legitur, presbyteros Oratorii non posse quomodocumque gerere res Collegiorum, Congregationum atque Universitatum. « Ne quis (ibi) ab Instituto Congregationis nostrae proprio posset abduci, statutum est, ne nostrorum aliquis se obliget, aut dedat confessionibus audiendis, moribus reformandis, rebusque earum gerendis. Idem dicimus de Seminariis, Collegiis, Congregationibus, Societatibus, aut aliis

Universitatibus, rebusve earum quomodolibet tractandis ». Quibus prae oculis habitis, res penitus dirempta videretur.

Hisce adductis et praenotatis, quaesitum fuit quid esset Antistiti auximano respondendum.

Resolutio. Sacra Congregatio Concilii die 15 Iulii 1893, re disceptata, censuit respondere: *Negative* (1).

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM

MURANA seu COMPSANA Decretum Canonizationis beati Gerardi Maiella laici professi e Congregatione SSmi. Redemptoris.

SUPER DUBIO

« *An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* »

Instante Rev. Padre Claudio Benedetti, Sacerdote e Congregatione Sanctissimi Redemptoris ac Postulatore causae Canonizationis praefati Beati Gerardi Maiella, quum Emus et Rmus Dnus Card. Miecislaus Ledochowski eiusdem Causae Ponens in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum coadunatis, sequens proposuerit dubium: « *An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* »; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, et audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, si Sanctissimo placuerit.* Die 27 Iunii 1893.

Quibus per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Dno Nostro Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Reassumptionis Causae praedicti Beati Gerardi Maiella die 12 Iulii anno eodem.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

(1) Recole Vol. XXV, 625 notam in calce ut tibi innotescat quidquid collectum fuerit in hoc opere quoad electionem deputatorum pro Seminariis.

DECRETUM GENERALE

CATALOGUS festorum, quae uti *primaria* vel *secundaria* retinenda sunt.

Iuxta Decretum diei 2 Iulii nuper elapsi, quum a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto et Relatore in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, proposita fuerit approbanda Catalogus Festorum, quae uti *primaria* vel *secundaria* retinenda sunt; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere rati sunt: AFFIRMATIVE; *evecto ad ritum Duplicis Maioris, in Kalendario universali, festo Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris, si Sanctissimo placuerit. Catalogus vero ita se habeat:* (1)

FESTA PRIMARIA

IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§. I. *Duplicia Primae Classis.*

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis.
Ascensio Domini.
Pentecostes.
Festum Corporis Christi.
Assumptio, et Immaculata Conceptio B. M. V.
Nativitas S. Ioannis Baptistae.
Festum S. Ioseph Sponsi B. M. V.
Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriae Ecclesiae.
Patronus, vel Titulus Ecclesiae.
Patronus Principalis Regionis, vel Dioecesis, aut loci.

§. II. *Duplicia Secundae Classis.*

Circumcisio Domini.
Festum Ssmae Trinitatis.
Purificatio B. Mariae Virginis.
Annuntiatio B. Mariae Virginis.
Visitatio B. Mariae Virginis.
Nativitas B. Mariae Virginis.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Natalitia Undecim Apostolorum.

(1) Decretum generale quoad praeeminentiam inter festa primaria et secundaria eiusdem ritus adest Vol. XXVI. pag. 51.

Festa Evangelistarum.
Festum S. Stephani Protomartyris.
Festum Ss. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii Martyris.
Festum S. Annae, Matris B. M. V.
Festum S. Ioachim, Patris B. M. V.

§. III. *Duplicia Maiora per Annum.*

Transfiguratio Domini.
Dedicatio Basilicae Ssm̃i Salvatoris.
Dedicatio S. Mariae ad Nives.
Festum Ss. Angelorum Custodum.
Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolorum.
Festum S. Barnabae.
Festum S. Benedicti Abbatis.
Festum S. Dominici Conf.
Festum S. Francisci Conf.
Festum Patronorum minus Principalium.

§. IV. *Alia duplicia per Annum.*

Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscuiusque Sancti.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

S. Gabrielis Archangeli.
S. Raphaelis Archangeli.
Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscuiusque Sancti.
Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiae in Ecclesiis Dioeceseos asservantur.

FESTA SECUNDARIA

IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§. I. *Duplicia Primae Classis.*

Sacratissimi Cordis Iesu.

§. II. *Duplicia Secundae Classis.*

Festum Ssm̃i Nominis Iesu.
Festum Inventionis S. Crucis.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
Solemnitas Ssm̃i Rosarii B. M. V.
Festum Patrocinii S. Ioseph.

§. III. *Duplicia Maiora.*

Exaltatio S. Crucis.
Duo festa Septem Dolorum B. M. V.
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.
Festum Ssmi Nominis B. M. V.
Festum de Mercede B. M. V.
Praesentatio B. M. V.
Apparitio S. Michaelis Archangeli.
Decollatio S. Ioannis Baptistae.
Cathedra S. Petri Ap., utraque.
Festum eiusdem ad Vincula.
Conversio, et Commemoratio S. Pauli Ap.
Festum S. Ioannis ante portam Latinam.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. I. C. Ssmi Redemptoris.
Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph.
Ssmi Cordis Mariae.
Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V.
Translationis Almae Domus B. M. V.
Exspectationis Partus B. M. V.
B. M. V. Auxilium Christianorum.
Prodigiorum B. M. V.
Apparitionis B. M. V. Immaculatae.
Commemoratio Omnium Sanctorum Summorum Pontificum.

Item alia quaecumque festa sive Domini, sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, praeter eorumdem natalem diem, uti Inventionis Corporum, Translationis, Receptionis, Patrocinii, et hisce similia.

Die 22 Augusti 1893.

Facta postmodum Ssmo Domino Nostro Leoni Papae XIII de his omnibus relatione per me ipsum infrascriptum Cardinalem Praefectum, Sanctitas Sua duplicem Catalogum, prouti superius exstat, approbavit ac vulgari praecepit; elevato ad ritum duplicem maiorem, una cum festo Dedicationis Basilicae Ssmi Salvatoris, festo etiam Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolorum. Die 27, iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

DECRETUM GENERALE; dubium quoad festum S. Ioseph quum transfertur in feriam II post Dominicam Passionis, vel in feriam IV post Dominicam in Albis.

Postquam anno superiore per Decretum *Urbis et Orbis* (1) festum S. Ioseph Confessoris, Sponsi Deiparae Virginis atque universalis Ecclesiae Patroni, ad ritum duplicem primae classis iampridem evectum, privilegio ditatum fuit translationis in feriam secundam subsequentem, quoties illud in Dominicam Passionis inciderit, et in feriam quartam post Dominicam in Albis quando die decimanona Martii vel Dominica Palmarum, vel aliqua ex feriis Hebdomadae Maioris occurrerit; a nonnullis rei liturgicae peritis Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium propositum fuit, nimirum: *An festum S. Ioseph, Sponsi B. M. V., quum transfertur in feriam II. post Dominicam Passionis, vel ad feriam IV. post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam, praeferri debeat tam in occurrentia, quam in concurrentia festis primae classis etiam Patroni loci, Tituli et Dedicationis Ecclesiae in praefatis diebus occurrentibus?* Hoc porro dubium quum a me infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto in Ordinario Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, propositum fuerit; Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, exquisito voto aliquorum e Rmis Patribus Consultoribus, re mature perpensa, ita rescribere rati sunt, videlicet: *Festum S. Ioseph in casu transferendum ad normam Decreti lati de festo Sanctissimi Cordis Iesu, nempe locum cedat tantummodo Duplicibus primae classis, ceu Dedicationis, ac Titularis Ecclesiae, locique Patroni, quando haec sub duplici praecepto fiant: quibus in casibus, die immediate sequenti illud reponatur.*

Idem etiam statuit Sacra Congregatio pro simili incidentia quoad translationem festorum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, et Annuntiationis B. Mariae Virginis: suppressis quibuscumque anterioribus decretis diversum, seu contrarium disponentibus. Die 27 Iunii 1893.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. relatione per me infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habuit, et confirmavit. Die 2 Iulii, anno eodem.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

(1) Relatum fuit Vol. XXV, 111.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM quo conceditur indulgentia centum dierum recitantibus antiphonam *Sancte Michael. . . .*

Beatissimo Padre

Il P. Laprost Superiore dell'Abbazia di Pontigny Diocesi di Sens in Gallia, prostrato al bacio del S. Piede implora la grazia che siano accordati *cento* giorni d'indulgenza, da lucrarsi una volta al giorno da tutti i fedeli d'ambo i sessi che con cuore contrito e divotamente reciteranno l'antifona:

Beatissime Pater

Pater Laprost Superior Abbatiae e Pontigny Dioecesis Senonensis in Gallia, provolutus ad osculum S. Pedis, implorat gratiam ut concedatur Indulgentia *centum* dierum, lucranda semel in die ab omnibus fidelibus utriusque sexus, qui corde contrito atque devote recitaverint antiphonam:

« Sancte Michaël Archangele, defende nos in praelio, ut non pereamus in tremendo iudicio. »

SSm̃us D. N. Leo Pp. XIII in Audientia habita die 19 Augusti 1893 ab infrascripto Secretario S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 19 Augusti 1893.

ALOYSIUS Card. SERAFINI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Alexander Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

APPENDIX II.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 16 Iulii 1866 — Vic. Ap. Natai.
Postulata quoad matrimonia infidelium cum christianis.

I. Quaeritur utrum dispensatio a vinculo matrimonii quae dari solet ab Ecclesia (positis ponendis) post baptismum unius partis, possit applicari in casu in quo, post baptismum susceptum unius, quae partes non cessarunt habere connexionem, et consummarunt matrimonium sicuti ante baptismum?

II. Matrimonium valide contractum ante baptismum inter duos infideles potestne dissolvi quando, post baptismum unius, pars infidelis promittit quidem se non inquietare mulierem baptizatam in professione christianitatis, sed ille recusat dimittere alias uxores illegitimas, vel non vult promittere se servaturum leges Evangelii circa monogamiam?

III. In casu praecedenti, si matrimonium dissolvi potest, mulier baptizata teneturne recurrere ad dispensationem pro dissolutione matrimonii?

IV. Mulier baptizata potestne recurrere ad dispensationem quando praenoscit quod, facta dissolutione matrimonii, educatio prolis susceptae penitus erit in potestate viri eius infidelis?

V. Si dispensatio dari non potest, mulier legitima quae fit christiana, post conversionem potestne cohabitare cum marito infideli qui simul in eadem domo retinet uxores alias illegitimas?

VI. Puella christiana (obtenta dispensatione disparitatis cultus) potestne legitime contrahere matrimonium cum infideli qui non promittit se a polygamia abstinere in futurum?

VII. Bertha adhuc infidelis contrahit matrimonium cum infideli statim ac pervenit ad annos pubertatis, et post duos annos relinquit virum suum, nulla suscepta prole, et ambo currunt ad alias nuptias, imo vir accipit plurimas uxores et fit polygamus. Sed nunc mulier aetate provecta, audito missionario, vult baptizari; potestne illa mulier dispensari a vinculo matrimonii contracti cum primo marito, non postulato

consensu eius, et sic remanere cum secundo marito cum quo illa suscepit prolem?

VIII. Apud quosdam infideles detestabilis viget consuetudo iuxta quam vir post commissum adulterium cum uxore alterius, administrat remedium uxori adulterae, cuius effectus erit inferre mortem super legitimum maritum eo ipso quod postea habiturus sit connexionem cum uxore sua. Unde postulatur utrum vir legitimus qui nolit cohabitare cum uxore sua post adulterium commissum, si convertitur ad fidem, poterit dispensari a vinculo matrimonii sui contracti in infidelitate, et ducere alteram uxorem, etiamsi infidelis uxor adultera vellet et ipsa baptizari?

R. Emi ac Rmi PP. ad singula postulata responderunt iuxta sequentem modum, hisce tamen praenotatis: *Primo:* Suprascripta postulata intelligi de privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso, et per Apostolum Paulum 1 ad Corinth. VII 12 seqq. promulgato. *Secundo:* Hoc privilegium divinum in eo consistere, quod stante matrimonio legitime in infidelitate contracto, et consummato, si coniugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero in sua infidelitate obdurato cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis coniugis fidelis, vel non sine execratione SSmi Nominis Christi, et christianae religionis despicientia: tunc integrum fit converso transire ad alia vota, postquam infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia. *Tertio:* Iuxta idem divinum privilegium coniugem conversum ad fidem, in ipso conversionis puncto non intelligi solutum a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc, si coniux infidelis renuat, acquirere ius transeundi ad alias nuptias cum tamen coniuge fideli. Ceterum tunc solum coniugii vinculum dissolvi quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Hinc:

Ad I. Si quando evenerit ut, stante duorum infidelium matrimonio, alter coniugum ad fidem conversus baptismum susceperit, atque cum infideli coniuge pacifice, et sine contumelia Creatoris cohabitaverit, si postmodum infidelis (quin tamen pars fidelis rationabile motivum dederit discedenti) ne dum converti recusaverit, sed insuper, fracta fide de pacifica cohabitatione, aut odio religionis discesserit, aut sine contumelia Creatoris cohabitare noluerit, vel fidelem ad peccatum mortale, aut ad infidelitatem trahere tentaverit, integrum erit coniugi fideli ad alia vota transire.

Ad II. Si agatur de uxore pagana alicuius pagani concubinarii, quae convertitur, tunc facta interpellatione, si renuat converti aut cohabitare absque iniuria Creatoris, ac proinde desinere a concubinatu, (qui sine iniuria Creatoris certe haberi nequit) poterit uti privilegio in favorem fidei concesso.

Ad III. Quando coniux infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum coniuge ad fidem converso cohabitare, aut animum sibi ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, vel absque eo quod se a concubinatu abstinere perpetuo velit, tunc coniux conversus, praehabito superioris ecclesiastici iudicio, separari debet ab infideli, et poterit, si velit, uti privilegio seu divina dispensatione in favorem fidei concessa, et sic ad alia vota transire cum persona fideli.

Ad IV. Si coniugi converso impossibile prorsus sit filios e potestate alterius coniugis in infidelitate obdurati subducere: nec fas sit, praemissa iuridica et formali interpellatione, cum eo cohabitare, vel quia ille non vult, vel non sine contumelia Creatoris vult cohabitare praehabito iudicio superioris ecclesiastici, integrum erit ad alia vota transire; firma tamen manente obligatione, qua semper tenetur curare, si quo modo poterit, catholicam filiorum educationem.

Ad V. Provisum in praecedentibus.

Ad VI. Negative; et in similibus casibus missionarii qui ex concessione Apostolica pollent facultate dispensandi super disparitate cultus caveant ne dispensationem concedant, nisi remoto polygamiae periculo.

Ad VII. Quum agatur, uti supponitur, de matrimonio legitimo in infidelitate contracto, mulier separetur a secundo viro omnino et cum effectu; et si ob gravissimas causas, et realem impotentiam separari nequeat quoad habitationem, separetur saltem quoad torum, et consuetudinem, nullum amplius habens cum eodem viro tactum, aut carnale commercium. Deinde de more instruatur, ei praecipue notificando quod suscepto baptismo non dispensatur ab obligatione, quam habet redeundi ad primum maritum; et quatenus post debitam instructionem constet eam moveri ad accipiendum baptismum ex vero religionis motivo, admittatur statim ad baptismum, eoque collato, interpelletur omnino primus vir, et interrogetur utrum converti velit, aut sine contumelia Creatoris cum ea vitam traducturus sit; et, si id renuat, qua de causa in illam adverso animo sit; et de omnibus resultantibus R. P. D. Vicarius Apostolicus S. Congregationem certiorem faciat.

Quod si vero, summarie saltem et extraiudicialiter, constet coniugem in infidelitate relictum adeo esse absentem, ut moneri legitime

non possit, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse; vel si adire quidem possit coniux infidelis, sed de comparte iam facta christiana interpellari nequeat sine evidenti gravis damni ei vel christianis inferendi periculo, et quin huiusmodi damna cum necessaria circumspectione et cautela removeri possint, haec omnia Apostolicae Sedi renunciabit Vicarius Apostolicus, expressis nominibus, et expositis gravissimis causis pro obtinenda dispensatione super impedimento dirimente disparitatis cultus, si praetensus secundus vir adhuc in infidelitate persistat, et narratis omnibus rerum, personarum et facti adiunctis, ut in re tam gravis momenti procedi tuto possit.

Ad VIII. Matrimonium etiam in infidelitate contractum naturâ suâ est indissolubile, et tum solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii in favorem fidei a Christo Domino concessi, et per Apostolum Paulum promulgati, quando coniugum alter christianam fidem amplectitur, et alter nedum a fide amplectenda omnino renuit, sed nec vult pacifice cum coniuge converso cohabitare absque iniuria Creatoris; ideoque non esse locum dissolutioni quoad vinculum matrimonii legitime contracti in infidelitate, quando ambo coniuges baptismum susceperunt, vel suscipere intendunt. — SS̃mus confirmavit.

S. C. S. Officii 20 Iunii 1866.—Vic. Ap. ad Gallas.
Postulata quoad matrimonia polygamorum.

1. Utrum viro polygamo se ad fidem convertere volenti concedi possit libera electio inter plures uxores quas habet, quasque omnes iisdem solemnitatibus duxit: an vero obligationem habeat retinendi primam plerumque aetate provectiorem, minusque ab eo dilectam.

2. Quatenus vir polygamus obligetur ad retinendam primam uxorem, reliquis aliis dimissis; nec tamen huic obligationi satisfacere velit, an hac una de causa negandus ei sit absolute baptismus, quem ipse sincere desiderat, etiam eo casu quo ex eius conversione sperari probabiliter posset multorum aliorum conversio.

3. An saltem locum habere queat antiqua ecclesiastica disciplina admittendi hos polygamos in numerum catechumenorum, ut tempus habeant ad considerandum, et expectentur in articulo mortis quando omnes cessabunt difficultates.

4. Utrum quaecumque ex uxoribus polygami in sua infidelitate obstinati, quae baptizari desideret, frui valeat privilegio quod Aposto-

lus Paulus concedit mulieri fideli manendi cum viro infideli pacificae cohabitationi consentiente; an vero eiusmodi privilegium pertineat dumtaxat ad primam omnium uxorum cum caeterarum exclusione.

5. Quatenus impossibilis sit pacifica cohabitatio cum marito, in sua infidelitate obstinato, an missionarius debeat exigere separationem, etiam si adsit periculum mortis, et mulier nondum fuerit baptizata.

6. Quatenus privilegium Pauli Apostoli ad primam uxorem tantummodo spectet cum exclusione reliquarum, posteriorum, utrum si qua ex his uxoribus posterioribus cupiat fieri christiana, possit baptizari remanens passiva in sua uxoris vel potius veri mancipii conditione, et praeseferens dispositionem cedendi dumtaxat violentiae, sed nunquam quaerendi debitum coniugale; an exigi omnino debeat separatio etiam cum probabili mortis periculo.

R. Exploratissimum principium est, matrimonium infidelitatis tempore a viro cum femina celebratum, vivente alia cum qua anteriori se coniugio obstrinxerat, nullum et irritum esse tum lege divina tum naturali. Hinc ubi constet virum infidelem voluisse verum matrimonium non simplex contubernium inire cum prima quam accepit muliere, nec ullum huic matrimonio obstitisse iuris naturalis impedimentum, prima illa mulier habenda est pro iusta ac legitima uxore; omnes autem aliae quibus, illa non adhuc morte sublata, vir postea nupserit, pro adulteris et concubinis. Debet igitur polygamus uxorem tempore priorem, quae sola iusta ac legitima uxor est, retinere; ceterasque tamquam adulteras et concubinas dimittere. Atque haec obligatio a lege divina et naturali dimanans, nedum per polygami conversionem relaxetur, magis e contrario magisque urget; ita ut nullo modo liceat baptizare polygamum, qui ad praedictam obligationem implendam minime promptum ac paratum se exhibeat. Uno tantum casu cessat haec obligatio, et liberum fit polygamo ad christianam religionem converso vinculum coniugale dissolvere prioris solius legitimae uxoris, et alias contrahere nuptias cum femina, quam ipse maluerit, quando nimirum locus esse potest privilegio in favorem fidei a Christo Domino concesso et a Paulo Apostolo promulgato.... Ea est privilegii Paulini vis ut matrimonium ab infidelibus in statu infidelitatis initum et consummatum solvatur cum, altero coniugum ad fidem converso, alter neque converti vult, neque sine contumelia Creatoris cohabitare consentit. Patet proinde 1. hoc privilegium competere dumtaxat vero legitimoque marito erga veram legitimamque uxorem et viceversa; patet 2. non posse coniugem conversum hoc privilegio, frui nisi post susceptum baptisma et post interpellationem alteri coniugi rite factam de evangelica veritate am-

plectenda et pacifica cohabitatione permittenda; patet 3. nullum huic privilegio esse posse locum si ambo simul legitimi coniuges ad fidem convertentur. Quod autem pertinet ad interpellationem, duo praeterea adnotanda sunt; primum, polygamis infidelibus christianam religionem amplectentibus simul cum una ex concubinis suis concedi ab Apostolica Sede, ut tantummodo circa conversionis propositum interpellare teneantur; alterum, cum infidelibus quibuscumque ad fidem conversis posse ex eiusdem Apostolicae Sedis auctoritate dispensari, ut interpellationem utramque omittant, quoties haec aut fieri reipsa nequeat, aut si fieret, nullius utilitatis fore reputetur, iuxta ea quae a s. m. Bened. XIV. lib. 13, cap. 21, de Synodo dioecesana traduntur.

Ex doctrinis hactenus declaratis aperte fluit responsio ad proposita dubia. Etenim in *primo dubio* plures illae mulieres, quas habet polygamus, uxoris nomine omnes indicantur omnesque ductae fuisse dicuntur iisdem solemnitatibus. Cum igitur regulariter loquendo prima tantum ex eis sit legitima uxor, hanc polygamus post conversionem suam retinere certissime debet, si et ipsa converti velit, vel saltem pacifice cohabitare. Quod si nolit converti, tunc sane poterit vir uti privilegio Paulino, et eligere inter alias quam maluerit, dummodo et ipsa fidelis fiat et renovetur consensus per verba de praesenti. Sed in hypothesi *secundo dubio* expressa, quod nimirum vir debeat retinere priorem uxorem, et tamen id exequi obstinate recuset, omnino arcendus est a baptismo, quem perperam sincero animo desiderare asseritur, quandoquidem voluntas persistendi in peccato conciliari nequeat cum sincero conversionis et baptismi desiderio. Absurdum autem est quaerere an saltem ob speratam multorum aliorum conversionem baptizari possit, monente per Apostolum Paulum Spiritu Sancto non esse facienda mala ut eveniant bona. Propterea nec in catechumenorum numerum (quod *tertio dubio* postulatur) pertinax huiusmodi polygamus recipiendus est; id enim et christiano nomini, baptizatis atque cathecumenis olim communi, dedecus aspergeret, et refragaretur sanctissimae disciplinae Ecclesiae, quae abusum differendi baptismatis usque ad exitum vitae gravissime semper improbavit et detestata est. Non tamen missionarii desistere debent a miseris hisce hominibus in omni patientia et doctrina instruendis, et maiori qua poterunt efficacia ad perfectam conversionem excitandis: neque vetitum est, quominus iidem possint in articulo mortis baptizari si vere dispositi fuerint. *Quartum dubium* oritur ex falsa privilegii Paulini interpretatione, quod profecto non servandi sed contra dissolvendi vinculi coniugalis facultatem impertit, nec cuicumque ex polygami uxoribus competit, sed uni dumtaxat legitimae quae prima

esse solet. Reliquae autem utpote in turpi concubinatu versantes, debent omnino etiam cum periculo mortis adulterinum commercium abrumpere. Quoad *quintum dubium* examinari accurate debent casus particulares, et investigari dispositiones animi mulieris baptismum petentis, et si qua gravis occurrat difficultas ad S. Sedem recurrendum erit. Neque ad baptismum concubinae regulariter admittendae sunt, quemadmodum petitur in *sexto dubio,* nisi prius sese reipsa a polygamo separaverint; quod plenius et enucleatius in instructione diei 28 Martii anni 1860 declaratur.

S. C. S. Officii 22 Novembr. 1871 — Vic. Ap. Siam.
Dubia quoad matrimonia paganorum cum christianis.

Titius paganus primam duxit uxorem Lolam paganam; post aliquot annos ista Lola discessit e domo mariti cum Bruto pagano et cum illo vixit. Titius aliam duxit uxorem Totillam etiam paganam, et cum illa pacifice vixit per multos annos et ab illa habuit liberos. Nunc vero Titius et Totilla venerunt ad amplectendam fidem christianam. Attamen Lola, prima uxor Titii nunc est in servitute, vendita a secundo marito Bruto. Titius interrogavit illam an vellet redire cum ipso et converti? Ipsa Lola respondit se libenter redituram et etiam fidem amplexuram, modo primus maritus liberet eam servitute a secundo marito. Nunc vero difficultates sunt: 1. Titius est omnino pauper et non potest liberare illam a servitute. 2. Insuper Lola non potest redire ad Titium, quia secundus maritus non vult dimittere illam. Lola per tres annos pacifice habitavit cum Bruto, non reclamante primo marito; inde ex lege civili facta est uxor legitima Bruti et Titius iam non habet ius ad illam. 3. Ipse Titius non vult dimittere Totillam quia fidelitatem servavit, et quia, baptizata cum liberis hac secunda uxore, et cum illo renovato consensu, iam cum illo vixit. — Potestne sic remanere coniunctus?

R. Ad propositum casum matrimonialem responsum est ut sequitur:

Iuxta exposita, in casu de quo agitur, quatenus prima uxor adhuc in infidelitate permaneat, permitti posse Titio, ut legitimo matrimonio cum secunda muliere coniungatur.

Quaesitum primum. — An potestate a S. Pio V. universe concessa per Breve quod incipit: *Romani Pontificis* uti possint missionarii in tota sua latitudine.

Responsum — Breve s. m. Pii V spectare ad casum in quo prima uxor legitima nota non sit, simulque sit difficillimum eam reperire; in

eius vero usu servandam esse regulam ab eiusdem successore Gregorio XIII praescriptam, hoc est ut, antequam neophytus cum alia muliere quae simul cum eo baptizata est matrimonio iungatur, per summarium et extraiudicialem processum constare debeat difficillimum reapse esse primam uxorem reperire.

Quaesitum secundum — An liceat dare dispensationem disparitatis cultus quando data fuit antea dispensatio de interpellatione, vel quando interpellatio facta fuit in vanum?

Responsum — Negative, et detur Decretum feriae IV. 29 Augusti 1866, tenoris sequentis : *In casibus de quibus agitur R. P. D. Vicarius Apostolicus, adeoque missionarii ab eo deputati non possunt dispensare super disparitate cultus vi facultatis III Formulae* b. Et quoad matrimonia, si quae contracta iam sint cum huiusmodi dispensatione, sileant et coniuges relinquantur in bona fide. Quoad futurum vero ipse Vicarius Apostolicus recurrat in casibus particularibus, expositis omnibus cuiusque casus adiunctis.

S. C. de P. Fide - C. G. 7 Iulii 1670 — Vic. Ap. Tunk. — Dubia quoad publicationem decreti *Tametsi.*

1. An publicatio Tridentini circa matrimonium differri debeat in locis ubi de novo conversio est facta, donec magis sint in fide firmati, et in locis ad quos Patres (missionarios) pervenire difficile est, aut ob loci distantiam, aut quia ab illius loci domino gentili Patres sunt in exilium missi.

2. In locis in quibus Decretum Tridentinum circa matrimonium publicatum est, an possint fideles vicissim matrimonium contrahere sine parochi praesentia, cum aut ob maximam distantiam aut ob exilium, illis locis adesse nequeat, et an coniugia illa vera sint, et sine peccato fiant.

3. An qui in propria parochia Concilii Decretum circa matrimonium audivit, possit in aliis locis, in quibus non est publicatum Decretum, sine parocho matrimonio contrahere.

4. An, ut vere Concilii Decretum dicatur publicatum, necesse sit in omnibus ecclesiis vicorum, quae inter se valde proximae sint publicetur, cum et aliqui vici ob incolarum commoditatem duas ecclesias habeant?

5. Cum in aliquo dominio perpaucae ecclesiae sint, cum tamen in posterum multae sint erigendae, an, publicato Decreto Concilii in illis paucis ecclesiis, in toto dominio censeatur publicatum, vel potius

in quolibet vico in quo deinceps ecclesia erigenda est, congregatis christianis in aliqua domo decenti, ut solet fieri in Missae celebrationibus, ibi fieri debeat publicatio, possint sine parocho et testibus matrimonium contrahere?

R. Ad 1. Posse concedi dilationem publicationis Decreti Concilii Tridentini.

Ad 2. Missionarii exequantur Decretum S. C. Concilii ad Episcopum Tricariensem circa matrimonia Batavorum (1).

Ad 3. Licere iuxta Decretum eiusdem S. C. Concilii, modo non fiat in fraudem.

Ad 4. Esse necessariam publicationem in singulis et solis parochiis iuxta Decretum S. Concilii Tridentini, sess. 24, c. 1, *De reform. matrimonii.*

Ad 5. Sufficere pubblicationem iam factam, nisi novi accendant populi et incolae, et pro eis novae erigantur paroeciae.

(1) S. Cong. Concilii, 18 Ianuarii 1663 (ad Ep. Tricarien.) 1. Ubi Decretum Concilii Trid. Cap. 1. sess. 24 de Reformat. Matrim. non est publicatum in Parochia, valere matrimonia contracta absque observatione formae in Concilio praescriptae.

2. Publicationem praesumi ubi id Decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam Decretum Concilii observatum.

3. Haereticos quoque, ubi Decretum dicti Capitis primi est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.

4. Ubi etiam constet Decretum Concilii esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilii observatum sed parochialis ecclesia, utpote vacans, proprio parocho careat, et cathedralis itidem Episcopo atque capitulo habentibus a Concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius sit ibi qui vices parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi servata tamen in eo in quo potest forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus.

5. Si extent quidem parochus et Episcopus, sed, nullo constituto vicario, uterque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum esse matrimonium contractum absque forma, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus.

Laetitiae sanctae, quam Nobis annus quinquagesimus ab episcopali consecratione feliciter plenus adduxit, pergrata nimirum ex eo fuit accessio, quod omnes, per universitatem catholicarum gentium, non secus ac filios pater, consortes habuerimus, fidei et amoris significatione pulcherrima. In quo nova semper cum gratia agnoscimus et praedicamus Dei providentis consilium, et summe in Nosmetipsos benevolum et Ecclesiae suae haud leviter profuturum, neque minus avet animus, eiusdem beneficii optimam apud Deum conciliatricem, Matrem eius augustam, salutare laudibus et efferre. Huius quippe eximia caritas, quam diuturno varioque aetatis spatio sensimus Ipsi multis modis praesentem, praesentior in dies ante oculos fulget, atque animum suavissime afficiens, fiduciâ non humana confirmat. Caelestis Reginae vox ipsa exaudiri videtur, Nos benigne tum erigentis in asperrimis Ecclesiae temporibus, tum consilii copiâ ad instituta communis salutis proposita adiuvantis, tum etiam admonentis ut pietatem omnemque virtutis cultum in christiano populo excitemus. Talibus respondere optatis iam pluries antehac iucundum Nobis sanctumque fuit. In fructibus autem qui hortationes Nostras, ipsa auspice, sunt consecuti, dignum est quod commemoremus, perampla religioni sacratissimi eius *Rosarii* allata esse incrementa; hanc in rem sodalitiis quoque piorum qua auctis qua constitutis, scriptis docte opportuneque in vulgus editis, ipsis elegantiorum artium nobilissimis ornamentis inductis. — Nunc vero perinde ac si eamdem studiosissimae Matris excipiamus vocem, qua urgeat, *Clama, ne cesses,* rursus de mariali Rosario vos alloqui libet, Venerabiles Fratres, appetente octobri; quem mensem esse ei devotum, acceptissimo eiusdem Rosarii ritu, censuimus, tributis sacrae indulgentiae praemiis. Oratio tamen Nostra non eo proxime spectabit ut addamus, vel laudem precationi ex se praestantissimae, vel fidelibus stimulos ad eam sanctiore usu colendam; verum de nonnullis dicemus lectissimis bonis, quae inde hauriri possunt, temporum et hominum rationi maxime opportunis. Sic enim Nobis persuasissimum est, religionem Rosarii, si tam rite colatur, ut vim insitam virtutemque proferat suam, utilita-

tes, non singulis modo, sed omni etiam reipublicae esse maximas parituram.

Nemo est quem fugiat, quantum Nos, pro supremi Apostolatus munere, ad civile bonum conferre studuerimus, ac porro parati simus, sic Deus adsit, conferre. Nam, qui imperio potiantur, eos saepe monuimus, ne perferant leges per easque agant, nisi ad normam aequissimam divinae Mentis; cives autem, qui ceteris, sive ingenio, sive partis meritis, sive nobilitate fortunisque antecellant, crebro adhortati sumus ut, consiliis collatis et viribus, res maximas potissimasque civitatis tueantur et provehant. — Sed vero nimis multa sunt, quibus, ut modo est civilis consociatio, publicae disciplinae vincula infirmentur, atque populi a iusta morum honestate persequenda abducantur. Iam Nobis tria praecipue videntur teterrima in communis boni perniciem: ea sunt, *modestae vitae et actuosae fastidium; horror patiendi; futurorum, quae speramus, oblivio.*

Querimur Nos, ipsique fatentur ultro ac dolent qui omnia revocant ad naturae lumen et utilitatem, vulnus humanae societati, idque vehemens, ex eo infligi, quod officia virtutesque negliguntur, quae genus vitae exornant tenue et commune. Hinc enimvero, in domestica consuetudine debitam naturâ obedientiam a liberis detrectari proterve, omnis impatientibus disciplinae, nisi si quae est voluptaria et mollis. Hinc opifices suis se artibus removere, defugere labores, nec sorte contentos, altiora suspicere, improvidam quamdam expetentes aequationem bonorum: similia multorum studia, ut, natali rure relicto, urbium rumores capiant effusasque illecebras. Hinc inter ordines civitatum aequilibritas nulla; nutare omnia, animos simultatibus invidiaque torqueri, ius conculcari palam, eos denique, qui spe sint falsi, per seditionem et turbas publicam tentare pacem, iisque obsistere quorum est illam tutari. — Contra haec curatio petatur a Rosario mariali, quod simul certo precum ordine constat et pia mysteriorum Christi Servatoris et Matris commentatione. Nempe *gaudiorum mysteria* probe et ad vulgus enarrentur, ac, veluti picturae quaedam imaginesque virtutum, in oculis hominum constituantur: perspiciet quisque, quam ampla inde quamque facilis, ad vitam honeste componendam, offeratur documentorum copia, mira animos suavitate allicientium. — Obversatur Nazarethana domus, terrestre illud divinumque sanctimoniae domicilium. Quantum in ea quotidianae consuetudinis

exemplar! quae societatis domesticae omnino perfecta species! Simplicitas ibi morum et candor; animorum perpetua consensio; nulla ordinis perturbatio; observantia mutua; amor denique, non ille fucatus et mendax, sed qui officiorum assiduitate integre vigens, vel oculos intuentium rapiat. Illic datur quidem studium ea parando quae suppeditent ad victum et cultum; id vero *in sudore vultus,* et ut ab eis, qui, parvo contenti, potius agant ut minus egeant, quam ut plus habeant. Super haec omnia, summa tranquillitas mentis, par animi laetitia; quae duo recte factorum conscientiam nunquam non comitantur. — Quarum exempla virtutum, modestiae nimirum ac demissionis, laborum tolerantiae et in alios benevolentiae, diligentiae tenuium officiorum quae sunt in quotidiana vita, cetera demum exempla, simul atque concipiantur sensim animis alteque insideant, sensim profecto in eis optata consiliorum morumque mutatio eveniet. Tum sua cuique munera, nequaquam despecta erunt et molesta, sed grata potius et delectabilia: atque, iucunditate quadam aspersa, enixius ad probe agendum conscientia officii valebit. Ex eo mores in omnes partes mitescent; domestica convictio in amore et deliciis erit; usus cum ceteris plus multo habebit sincerae observantiae et caritatis. Quae quidem, ex homine singulari, si late in familias, in civitates, in universum quempiam populum traducantur, ut ad haec instituta moderentur vitam; quanta inde reipublicae emolumenta sint obventura, apertum est.

Alterum, sane funestissimum, in quo deplorando nimii nunquam simus, eo quia latius in dies deteriusque inficiat animos, illud est, recusare dolorem, adversa et dura acriter propulsare. Pars enim hominum maxima tranquillam animorum libertatem non iam sic habent, ut oportet, tamquam praemium iis propositum qui virtutis fungantur munere, ad pericula ad labores invicti: sed commentitiam quamdam civitatis perfectionem cogitant, in qua, omni ingrata re submota, cumulata sit delectationum huius vitae complexio. Porro ex tam acri effrenataque beate vivendi libidine proclive est ut ingenia labefactentur; quae, si non penitus excidunt, at enervantur tamen, ut vitae malis abiecte cedant miserabiliterque succumbant. — In hoc etiam discrimine, plurimum quidem opis ad spiritus roborandos (tanta exempli auctoritas est) ex mariali Rosario expectari licet; si *dolentia,* quae vocantur, *mysteria,* vel a primis puerorum ae-

tatulis, ac deinceps assidue, tacita suavique contemplatione versentur. Videmus per ea Christum, *auctorem et consummatorem Fidei* nostrae, *coepisse facere et docere;* ut, quae genus nostrum de laborum dolorumque perpessione docuisset, eorum in ipso exempla peteremus, et ita quidem ut, quaecumque difficiliora perpessu sunt, ea sibi ipse toleranda magna voluntate susceperit. Maestitia videmus confectum, usque eo ut sanguine totis artubus, veluti sudore, manaret. Videmus vinculis, latronum more, constrictum; iudicium pessimorum subeuntem; diris contumeliis, falsis criminibus impetitum. Videmus flagellis caesum; spinis coronatum; suffixum cruci; indignum habitum qui diu viveret, dignum qui succlamante turba periret. Ad haec, Parentis sanctissimae aegritudinem reputamus, cuius *animam doloris gladius,* non attigit modo, sed *pertransivit,* ut mater dolorum compellaretur et esset. — Virtutis tantae specimina qui crebra cogitatione, non modo oculis, contempletur, quantum ille profecto calebit animo ad imitandum! Esto ei quidem *maledicta tellus et spinas germinet ac tribulos,* mens aerumnis prematur, morbis urgeatur corpus; nullum erit, sive hominum invidiâ, sive irâ daemonum, invectum malum, nullus publicae privataeque calamitatis casus, quae non ille evincat tolerando. Hinc illud recte, *Facere et pati fortia christianum est;* christianus etenim, quicumque habeatur merito, Christum patientem non subsequi nequaquam potest. Patientiam autem dicimus, non inanem animi ostentationem ad dolorem obdurescentis, quae quorumdam fuit veterum philosophorum; sed quae, exemplum ab illo transferens *qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (1), ab ipsoque opportuna gratiae exposcens auxilia, perpeti aspera nihil renuat atque etiam gestiat, perpessionemque, quantacumque ea fuerit, in lucris ponat. Habuit catholicum nomen, ac sane habet, doctrinae huius discipulos praeclarissimos, complures ubique ex omni ordine viros et feminas, qui, per vestigia Christi Domini, iniurias acerbitatesque omnes pro virtute et religione subirent, illud Didymi, re magis quam dicto, usurpantes: *Eamus et nos, et moriamur cum eo* (2). — Quae insignis constantiae facta etiam atque etiam multiplicentur splendide, unde praesidium civitati, Ecclesiae virtus augescat et gloria!

(1) Hebr. XII, 2.
(2) Ioann. XI, 16.

Tertium malorum caput, cui quaerenda est medicina, in hominibus maxime apparet aetatis nostrae. Homines enim superiorum temporum, si quidem terrestria, vel vitiosius, adamabant, fere tamen non penitus aspernabantur caelestia: ipsi ethnicorum prudentiores, hanc nobis vitam hospitium esse, non domum, commorandi diversorium, non habitandi, datum docuerunt. Qui nunc vero sunt homines, etsi christiana lege instituti, fluxa praesentis aevi bona plerique sic consectantur, ut potiorem patriam in aevi sempiterni beatitate, non memoria solum elabi, sed extinctam prorsus ac deletam per summum dedecus velint; frustra commonente Paullo: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (1). Cuius rei explorantibus causas, illud in primis occurrit, quod multis persuasum sit, cogitatione futurorum caritatem dirimi patriae terrestris reique publicae prosperitatem convelli: quo nihil profecto odiosius, ineptius nihil. Etenim non ea sperandarum natura est rerum, quae mentes hominum sibi sic vindicent, ut eas a cura omnino avertant praesentium bonorum; quando et Christus regnum Dei edixit quaerendum, primum id quidem, at non ut cetera praeteriremus. Nam usura praesentium rerum, quaeque inde honestae habentur delectationes, si virtutibus vel augendis vel remunerandis adiumento sunt; item, si splendor et cultus terrenae civitatis, ex quo mortalium consociatio magnifice illustratur, splendorem, et cultum imitatur civitatis caelestis; nihil est quod rationis participes dedeceat, nihil quod consiliis adversetur divinis. Auctor est enim naturae Deus idemque gratiae; non ut altera alteri officiat atque inter se digladientur, sed ut amico quodam foedere coeant, ut nempe, utraque duce, immortalem illam beatitatem, ad quam mortales nati sumus, faciliore veluti via, aliquando contingamus. — At vero homines voluptarii, sese unice amantes, qui cogitationes suas omnes in res caducas humiliter abiiciunt, ut se tollere altius nequeant, ii, potius quam a bonis quibus fruantur aspectabilibus aeterna appetant, ipsum plane amittunt aeternitatis aspectum, ad conditionem prolapsi indignissimam. Neque enim divinum Numen graviore ulla poena multare hominem possit, quam quum illum blandimenta voluptatum, bonorum sempiternorum immemorem, omni vita consectari permiserit. — A quo tamen periculo ille profecto aberit qui, pietate Rosarii usus, quae in illo proponuntur *a gloria my-*

(1) Hebr. XIII, 14.

steria, attenta repetet frequentique memoria. Mysteria etenim ea sunt, in quibus clarissimum christianis mentibus praefertur lumen ad suspicienda bona, quae, etsi obtutum oculorum effugiunt, sed certa tenemus fide praeparasse Deum *diligentibus se*. Docemur inde, mortem, non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed migrationem commutationemque vitae. Docemur, omnibus in caelum cursum patere; quumque illo Christum cernimus remeantem, reminiscimur felix eius promissum: *Vado parare vobis locum*. Docemur, fore tempus, quum *absterget Deus omnem lacrimam ab oculis nostris*, et *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*; sed *semper cum Domino erimus, similes* Dei, *quoniam videbimus eum sicuti est; poti torrente voluptatis eius, Sanctorum cives*, in magnae Reginae et Matris beatissima communione. — Haec autem considerantem animum inflammari necesse est, atque tum illud iterare Viri sanctissimi: *Quam sordet tellus, dum caelum aspicio!* tum eo uti solatio, quod *momentaneum et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur in nobis*. Enimvero una haec est ratio praesentis temporis cum aeterno, terrestris civitatis cum caelesti apte iungendae; hac una educuntur fortes animi et excelsi. Qui quidem, si magno numero censeantur, dignitas et amplitudo stabit civitatis; florebunt quae vera, quae bona, quae pulchra sunt, ad normam illam expressa quae omnis veritatis, bonitatis, pulcritudinis summum est principium et fons perennis.

Iam videant omnes, quod principio posuimus, quarum sit utilitatum fecunda marialis Rosarii virtus, et quam mirifice possit ad temporum sananda mala, ad gravissima civitatis damna prohibenda. — Istam vero virtutem, ut facile cognitu est, illi praecipue uberiusque percepturi erunt qui cooptati in sacra Rosarii Sodalitia, peculiari et inter se fraterna coniunctione et erga sanctissimam Virginem obsequio prae caeteris commendantur. Haec enim Sodalitia, auctoritate Romanorum Pontificum comprobata, ab eisque donata privilegiis et muneribus indulgentiae, suo palam ordine ac magisterio reguntur, conventus statis habent temporibus, praesidiis optimis instruuntur quibus sancte vigeant et ad commoda etiam societatis humanae conducant. Haec sunt veluti agmina et acies, praelia Christi per sacratissima eius mysteria pugnantes, auspice et duce Regina caelesti: quorum illa supplicationibus, ritibus, pompis quam adsit propitia, praeclare omni tempore patuit, magnifice ad Echinadas. — Magno igitur

studio in talibus Sodalitiis condendis, amplificandis, moderandis par est contendere et eniti, non unos inquimus alumnos Dominici Patris, quamquam illi ex disciplina sua debent summopere, sed quotquot praeterea sunt animarum curatores, in sacris praesertim aedibus ubi illa iam habentur legitime instituta. Atque etiam Nobis maxime in votis est, ut qui sacras expeditiones ad Christi doctrinam, vel inter barbaras gentes invehendam vel apud excultas confirmandam obeunt, hac item in re elaborent. — Ipsis omnibus hortatoribus, minime dubitamus, quin multi e Christifidelibus animo alacres futuri sint, qui tum eidem Sodalitati dent nomen, tum eximie studeant bona intima, quae exposuimus, assequi, illa nimirum quibus ratio et quodammodo res Rosarii continetur. Ab exemplo autem Sodalium maior quaedam reverentia et pietas erga ipsum Rosarii cultum ad ceteros manabit fideles: qui ita excitati, ampliores impendent curas ut, quod Nobis desideratissimum est, eorumdem salutarium bonorum copiam abunde participent.

Haec nobis igitur praelucet spes, hac ducimur atque in tantis reipublicae damnis valde recreamur: quae ut plena succedat, ipsa exorata efficiat Rosarii inventrix et magistra, Dei et hominum Mater, Maria. Fore autem vestrâ omnium opera, Venerabiles Fratres, confidimus, ut documenta et vota Nostra ad familiarum prosperitatem, ad pacem populorum et omne bonum eveniant. — Interea divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem, vobis singulis et clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII septemb. an. MDCCCXCIII, pontificatus Nostri sextodecimo.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA SSmi D. N. Leonis Papae XIII ad Episcopos Hispaniae; de Urbano clericorum hispaniensium collegio erigendo.

Non mediocri cura vigilantiaque, ut nostis, vixdum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, tueri apud vos atque augere rem catholicam studuimus, in primisque firmare animorum concordiam, et fructuosam Cleri industriam excitare. Nunc vero,

eodem quo hactenus studio permoti, adiecimus animum ad Clericos vestros adolescentes, ut collatis vobiscum consiliis, in eorum institutionem conferamus aliquid operae. — Idque novum velut pignus esse volumus benevolentiae paternae, qua vos universos complecti consuevimus. Et merito quidem: non enim sumus rerum hispanicarum immemores, neque ignoramus vestram in avita fide, in obsequio Apostolicae Sedis summam immotamque constantiam: quae potissimum causa fuit, quamobrem hispanicum nomen in tantam gloriae imperiique magnitudinem creverit, quantam historiae monumenta testantur. Illud etiam memoria tenemus, nec silebimus hoc loco, multa Nobis atque optabilia acerbitatum solatia ex Hispania saepe suppetere. Pergratum igitur est, officiorum vestrorum caritati respondere mutuo.

Diu multumque floruit Clerus hispanus rerum divinarum scientia litterarumque elegantia; hisque artibus assecutus est ut rem christianam nomenque patrium non parum et ipse proheveret. Haud sane defuere munifici viri, qui optimarum artium patrocinio suscepto, congrua temporibus subsidia praeberent; nec defuere ingenia ad theologicas, ad philosophicas disciplinas, nedum ad litteras excolendas apte comparata. Ad haec amplificanda studia doctrinae novimus quantum contulerit Regum Catholicorum liberalitas, quantum opera atque instantia Episcoporum. His porro incitamenta omne genus adiecit Apostolica Sedes, quae id perpetuo studuit, ut sanctitati morum christianorum nec philosophiae lumen, nec politioris humanitatis deesset nitor. Quo in genere insigne vobis quasi patrimonium gloriae transmisere viri cum paucis comparandi, *Franciscus Suarez, Ioannes Lugo, Franciscus Toletus,* nominatim vero *Franciscus Ximenes,* qui ductu auspiciisque Pontificum romanorum potuit ad illam doctrinae praestantiam contendere, qua non modo Hispaniam, sed universam illustravit Europam, praesertim constitutis studiis illis Complutensibus, quibus edocti iuvenes *in Dei Ecclesia sapientiae splendore, tamquam stellae matutinae coruscantes, in veritatis via ceteros illuminare possent* (1). Ex ea segete tam scite naviterque exculta, cohors illa extitit doctorum illustrium, qui a romano Pontifice atque a Rege Catholico ad Synodum Tridentinam invitati, utriusque expectationem egregie

(1) Alexander VI, Bulla *Inter cetera,* idibus Aprilis 1499.

implevere. Neque vero mirum est, tot Hispaniam tantosque tulisse viros; siquidem praeter naturalem ingeniorum vim, praesidia atque instrumenta praesto erant aptissima, quorum ope studiorum ratio perficeretur. Satis est magna Lycea recordari Complutense et Salmanticense, quae sane, advigilante Ecclesia, praeclara christianae sapientiae domicilia extitere. Quorum recordatio sponte coniungitur cum memoria Collegiorum, quae ecclesiasticis viris ingenio sciendique cupiditate praestantibus communem sedem commodum praebuere.

At vero habetis ante oculos, venerabiles Fratres, posteriorum temporum cladem. In iis rerum publicarum fluctibus, qui superiore atque hoc ipso volvente saeculo, totam perturbarunt Europam, quasi procelloso impetu deiecta ac stirpitus divulsa sunt Instituta, quibus ad fidei doctrinaeque incrementa condendis, regia simul et ecclesiastica potestas curas opesque contulerant. Sublatis ita catholicis studiorum Universitatibus earumque Collegiis, ipsamet Seminaria clericorum exaruere, sensim ea deficiente doctrinae copia, quae ex magnis Gymnasiis effluebat: praeterea nec tenere antiquum potuere statum per bella intestina et turbas, quae aliquandiu civium studia viresque distraxerunt. Adfuit in tempore Apostolica Sedes, animumque studiose adiecit, civili potestate consentiente, ad res ecclesiasticas componendas, quas praegressa tempestas afflixerat; potissima vero eius cura fuit de Seminariis dioecesanis, quae quidem quasi domiciiia pietatis atque eruditionis in statum pristinum restitui, privatim ac publice intererat. Vobis tamen exploratum est, rem non omnino cessisse ex sententia. Neque enim sat amplae suppetebant opes: neque ratio studiorum poterat in spem gloriae reflorescere, quia Lyceorum veterum interitus penuriam idoneorum magistrorum genuerat. — Convenit quidem inter duas supremas potestates, ut quibusdam in provinciis Seminaria conderentur *generalia,* potestate facta, ut ex eorum alumnis, qui plenius theologica arripuissent, ii ad gradus academicos more maiorum admitterentur. Id tamen quominus reapse perficeretur, multa impedimento fuere, hodieque sunt. — Erepto igitur Lyceorum veterum praesidio, multa desiderantur ex adiumentis iis, sine quibus ad expletam cumulatamque eruditionis laudem aspirare Clerus difficile potest, ita ut una sit prudentium vox et sententia, accedere ad rationem studiorum in Seminariis perfectius quiddam et cumulatius oportere. — At-

qui id maxime Nobis curae est, praesertim exempla decessorum Nostrorum intuentibus, qui nullum praetermisere locum favendi studiis optimis. In eo autem vel maxime eluxit Pontificum excellens providentia, quod in hanc ipsam Urbem, principem catholici nominis, adolescentes clericos peregre arcessere atque in Collegia congregare studuerint, idque maiore cura quoties aut adiumenta studiorum ipsis in patria deessent, aut sanitas institutionis, publice repudiata Ecclesiae vigilantia, periclitaretur. Hac de causa complura Romae condita Ephebea, quo confluere solent ad sacra instituendi adolescentes exteri, eo videlicet proposito ut quas in Urbe collegerint ingenii animique opes, eas aliquando, sacerdotio initiati, in communem conferant popularium suorum utilitatem. Qua ex re cum abunde salutares fructus extiterint, existant, omnino Nosmetipsos operae pretium iudicavimus facturos, si eiusmodi domiciliorum numerum augeremus: proptereaque suum Armeniis Collegium, suum Bohemis in Urbe aperuimus: Maroniticum vero ut ad pristinam dignitatem revocaretur, curavimus.

In hac peregrinorum adolescentium frequentia id aegre ferebamus, quod alumni non ita multi numerarentur e civibus vestris. Quamobrem speratae utilitatis cogitatione, consilium cepimus efficere, ut urbanum clericorum hispaniensium collegium, quod non ita pridem piorum sacerdotum sapiens industria fundavit, non modo stabile permanere, sed ad incrementa properare queat. Placet igitur ut quotquot ex Peninsula Iberica proximisve insulis in ditione sitis Regis catholici, in illud convenerint, sint in tutela Nostra: communique utentes convictu, lectorum moderatorum disciplina, eis studiis operentur, quae exquisitius animum ingeniumque perficiunt. Opportunam operi sedem domumque praebituras arbitramur aedes urbanas, a Ducibus *Altemps*, prioribus dominis, nuncupatas, proprio nunc iure Nostras et Apostolicae Sedis: eo vel magis quod illae a sacrario *Aniceti* Pontificis Martyris, cuius ibidem sacri cineres quiescunt, itemque a memoria commorationis *Caroli Borromei* nobilitantur. Earum igitur aedium usum atque usumfructum concedimus et attribuimus Collegio Episcoporum Hispaniae, hac lege, ut iis utantur ad accipiendos tuendosque suarum Dioeceseon clericos, si quos studiorum caussa, uti diximus, huc mittendos decreverint. Quo vero cogitata citius efficiantur, pariterque tempus instruendis aedibus ceterisque rebus apparandis

necessarium suppetat, coeant interea clerici in certam idoneamque partem aedium illustris familiae *Altieriae*. — Archiepiscopos autem Toletanum et Hispalensem designamus, qui Nobiscum et cum successoribus Nostris de negotiis Collegii gravioribus agant; ob eamque caussam praecipimus, ut is qui Collegio praeest, de re familiari, de disciplina, moribus alumnorum quotannis cum ad sacrum Consilium Nostrum, studiis regundis, tum ad Archiepiscopos supra dictos scripto referat, iique ad Collegas suos, Hispaniae episcopos, referendum curabunt. — Modo vestrum est, Venerabiles Fratres, Nostra haec incepta adiuvare, exequi: idque alacritate et industria tanta, quantam et res flagitat, et episcopales virtutes vestrae pollicentur. — Interea Apostolicam benedictionem, praecipuae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, itemque Clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Oct. an. MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ANDRIEN.

SACRARUM FUNCTIONUM ET IURIUM

Die 6 Maii 1893.

Sess. 25, cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In civitate andriensi inter alias extabat, uti etiam nunc extat, ecclesia B. V. Mariae ab Angelo salutatae, in qua ab initio suae constructionis usque ad annum 1813 quorumdam presbyterorum numerus seu Collegium cultui divino et animarum saluti sedulo operam navavit. Anno circiter 1700 ad istam Ecclesiam, a praefato sacerdotum collegio, honoris tantummodo causâ Collegialem nuncupatam, Confratres accesserunt piae Sodalitatis Immaculatae Conceptionis, quae a templo S. Mariae Veteris, ubi canonice

erecta antiquitus extabat, ob auctum numerum Sodalium exulare coacta fuerat. Quatuor autem vix annis elapsis, iidem Confratres canonicam ibi erectionem seu verius erectionis confirmationem ab Episcopo obtinebant, qui eorum votis libenter obsecundans decretum edidit sequentis tenoris: « Nos Andreas Arianus Episcopus Andrien. cupientes in hac civitate augmentum divini cultus praecipue in obsequium purissimae et Beatissimae Virginis oratorum precibus inclinati, auctoritate nostra ordinaria, atque meliori et validiori modo, quod iure possumus, atque valemus Congregationem fidelium utriusque sexus sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis erectam in Collegiata Eccl. SSmae Ann. huius civitatis instituimus, confirmamus, legitimaeque et perpetuae firmitatis robur concedimus cum facultate se congregandi, omniaque alia infrascriptis regulis a Nobis sibi descripta faciendi et exequendi, et insuper eidem concedimus, et in vim perpetuae unionis, nec non enunciatae dependentiae adiicimus et incorporamus iura, privilegia, anterioritates, redditus et omnia alia, et requirentia specialissimam et individualem expressionem, quae spectabant ad Congregationem sub eodem titulo Conceptionis B. M. Virginis antiquitus erectam in Ecclesia S. M. Veteris PP. de observantia Sancti Francisci, cum omnibus oneribus et imo eamdem in locum illius subrogamus, atque declaramus esse eamdem, et una cum eisdem Confratribus praescribimus et assignamus infrascriptas regulas lingua matrici ad faciliorem captum ».

Praeterea regulis ab Episcopo una cum decreto confectis, sodales tractu temporis alias adnectendas censuerunt, quibus et approbatio Ferdinandi IV utriusque Siciliae Regis deinde accessit. De huiusmodi autem statutis nonnulla, prouti res postulabit, inferius dicetur.

Neque hic est silentio praetereundum, haud perspicue ex actis erui cuinam ius regendi ecclesiam demandatum fuerit, cum Collegium presbyterorum anno 1813 ab eadem in aliud civitatis templum sese transtulit. Etenim si quoddam attendamus instrumentum ab uno litigantium, videlicet a pa-

rocho Zinni prolatum, dicendum videretur quod in omnia iura Capituli SSmae Annuntiationis, Capitulum Ecclesiae Cathedralis ita successerit, ut veram in ea ecclesia, tamquam in filiali, iurisdictionem exercere coeperit, unum praesertim de suo gremio quotannis deputando canonicum, qui inibi missam singulis diebus festis celebraret. Quod si e contra assertionibus ac documentis a Confraternitatis patrono allatis fidem habere velimus, tenendum esset eamdem Confraternitatem, post cleri discessum, solam revera tamquam dominam in pluries memorato templo per quadraginta et quatuor annos, idest usque ad annum 1857, permansisse. Enimvero ipsa andriensis Curia in sua mox referenda sententia anceps haeret.

Progressu temporis, et praecise anno 1857 per decretum S. C. C. diei 23 Aprilis, a Ioanne Longobardi Episcopo Andriensi tamquam speciali Apostolicae Sedis delegato executioni demandatum, ecclesia SSmae Annuntiatae iuxta iuris tramitem ad veram ac realem paroeciae conditionem fuit evecta. Verum in executoriali decreto, praefatus Episcopus de Confraternitate Immaculatae Conceptionis ibi existenti nullam adiecit mentionem. Nihilominus confratres in sua ecclesia etiam postea permanserunt, ac, licet hodiernus parochus contrarium asserat, ex fasciculo actorum deprehenditur res inter eos et parochos usque ad haec postrema tempora pacifice processisse. Controversias autem recenter exortas Episcopus componere primum studuit. Sed cum nihil proficeret, partes die 2 Septembris anni 1889 pro contestatione litis coram episcopali Curia steterunt; et proprias quisque patefecit petitiones.

Rite itaque instituto ac absoluto iudicio, die 29 Maii 1891 ab illa episcopali Curia sententia lata est ita decernens: Rectorem Sodalitii ab Immaculata Conceptione. posse in Ecclesia, nunc paroeciali, litare missas planas, quae sunt onera Sodalitii; dummodo eligatur hora, qua non turbetur parochi officium; posse etiam, praemonito parocho, et cum ipso statuta hora, canere ad altare Sodalitii, in ipsa ecclesia exi-

stens, missas, quae proveniant ex onere antiquo eiusdem Sodalitii, ceu sunt missae cantatae pro defunctis confratribus. Rectorem, dependenter a parocho, posse celebrare functiones illas ecclesiasticas, quae erant onus antiquum Sodalitii, ceu sunt functiones, quae etiam post exitum Capituli ab Ecclesia SS. Annuntiationis, fiebant cum expositione SSmi Sacramenti, cum sermone atque solemni benedictione in sabbatis quadragesimae, in triduanis supplicationibus Immaculatae Conceptionis, in die processionis B. M. Virginis faciendae, ex veteri concessione, per civitatem, iuxta normas impertiendas toties quoties ab Ordinario. Dependentiam Rectoris Sodalitii a Parocho quoad praefatas functiones, onus importare eidem rectori, nedum praemonendi parochum, qui, si velit, recto incumbat ordini, adsit ut Ecclesiae superior, moderetur earumdem functionum compatibilitatem cum praxi paroeciali propter horam aliave; sed etiam veniam obtinendi pro eisdem functionibus, tum a parocho in his quae potest, tum ab Ordinario Dioecesis, qui, exceptis iuribus et functionibus paroecialibus, auctoritatem habet permittendi, Sacerdotem praedicare, functiones peragere solemnes etiam apud altaria paroeciarum, et praesertim si sermo sit de solemni expositione SSmi Sacramenti, ob quam etiam a parochis venia petenda est ab Ordinario. Quoad alias functiones, de quibus non constet pertinere ad Sodalitium titulo iurispatronatus, aut quia relatae fuerunt inter regulas regio assensu munitas; neque constat quod auctoritas ecclesiastica concesserit eas fieri a Sacerdotibus Sodalitii postquam discessit proprius illius Ecclesiae clerus; pro his functionibus dispensatio a Parocho importat quod ab eodem modus constituatur eas peragendi, et personas in Sacro ministerio utendas, constituendi; et omnia haec ut notum fiat debere moderari a Parocho seu capite illius Ecclesiae functiones, quae titulo speciali non pertinent ad rectorem Sodalitii.

Quoad alias quaestiones, ait Iudex, decidimus: 1. inutile esse quaestionem agitare de proprietate Cappellae attiguae Oratorio quo confratres conveniunt; dum usus eiusdem ma-

nere debeat communis parocho et Sodalitio ceu communis erat cum capitulo. Decidimus 2. statuam et festivitatem s. Sabini esse sacram Ecclesiae SS. Annuntiationis, utpote res ab initio exposita publicae venerationi, quin ullus occentet dominium illius; festum diem huius Sancti celebrandum esse simul a Sodalitio et a Parocho, ita tamen ut huic sit actio directiva et Rector Sodalitii adsistat, ceu importat instrumentum anni 1787, inter capitulum et ecclesiam SSmae Annuntiationis, quod adhuc vim habet obligandi. Quoad alias lites de praxi et ritu funerario nihil adiicere credimus, ait Ordinarius, resolutionibus quamplurimis a S. Sede emissis, et quibus ab utraque parte parendum est: sed tantum edicimus esse Ecclesiae SS. Annuntiationis ius tumulandi, utpote paroecia; dum Sodalitium nullum adduxerit documentum pro evincendo iure tumulationem concedendi proprio nomine.

Decidimus autem Sodalitio non esse potestatem quaerendi stipem infra ambitum Ecclesiae, cui ipsum adnectitur, et in qua post eius erectionem in paroeciam, iurium plenitudo est apud parochum ceu caput; dum nullum adsit indultum apostolicum quo indulgeatur potestas Sodalitio colligendi eleemosynas in Ecclesia sed tantum in civitate, ad festum solemniter celebrandum Immaculatae Conceptionis.

Decidimus pariter, Sodalitium nullum habere ius supra duas officinas, de quibus lis est, sed administrari debere favore paroeciae, nisi aliter iudicet Apostolica Sedes.

Verum quum huiusmodi sententiae neutra pars absque suorum iurium laesione acquiescere posse autumaret, novum examen, novumque super controversia iudicium ab hoc supremo tribunali, in appellationis gradu, fieri instanter postulavit.

Disceptatio Synoptica.

Defensio sodalitii. Qui pro confraternitatis iurium tuitione dimicat, in primo suae orationis capite evincere nititur functiones non paroeciales piae sodalitatis proprias, et praesertim celebrationem missarum pro defunctis confratribus die-

bus tertia, septima et trigesima ad rectorem confraternitatis in casu pertinere. Id vero adstrui censet ex eo quod confraternitas in ecclesia SSmae Annuntiatae, assentiente capitulo collegiali, legitime translata, ibique canonice erecta fuerit haud aliter ac prius vigebat in ecclesia S. Mariae veteris, cum omnibus videlicet iuribus, privilegiis, reditibus, honoribus et oneribus, quibus fuerat antiquitus instituta. Quum vero ex suis iuribus atque statutis potestatem semper habuerit, ceu in praesens habet, proprium eligendi spiritualem rectorem, veluti idipsum agere solent aliae sodalitates eiusdem civitatis, satis superque manifestum apparere, ait, huiusmodi electionem ideo praecipue fuisse statutam, ut sodalitas suas proprias functiones, quae nullimode paroeciales nuncupari possint, per ipsum rectorem valeat adimplere. Quod reapse passim solet evenire penes omnes confraternitates in reliquis civitatis ecclesiis existentes. Unde, concludit orator ubi eadem sunt facta, eadem legis dispositio est applicanda.

Ast hisce magna quoque accedit vis ab immemoriali et numquam interrupta observantia, quae si procul dubio maximi semper est facienda veluti optima legis fundationis interpres, iuxta Card. De Luca *De iurepatr. disc. 60, n. 9;* eo magis summa pollebit auctoritate si, ut in casu, sit erectioni sodalitatis proxima atque coaeva, ad ea quae habet S. C. C. in Ceriniolen. *Interpretationis 1 Aprilis 1876* § *Orta*. – Quod autem talis reapse consuetudo in themate habeatur, probare satagit patronus pluribus testimoniis et in primis multorum confratrum attestatione. Quorum testimonio consona est declaratio quinque praedecessorum parochorum et coadiutorum ecclesiae SSmae Annuntiatae. Huiusmodi testimonium subdit orator, non modo thesim aperte evincit, sed luculenter demonstrat, parochum actualem discordiarum esse auctorem.

Idque magis magisque roborari videtur declaratione seniorum sodalium. Quibus etiam adhaeret testimonium ab archivii capitularis custode emissum. Quapropter, concludit patronus, ex immemoriali et constanti observantia manifeste

patet, functiones sodalitatis missarumque celebrationem pro defunctis confratribus ad ipsius sodalitatis rectorem pertinere.

Equidem pergit, si consuetudo, quae aufert ea, quae de iure comuni debentur parocho in sua ecclesia, debet esse quadragenaria cum titulo etc..... iuxta Monacelli *Form. leg. pract. for. eccl. tit. 13, n. 89;* a fortiori id admittendum est in casu in quo, non solum observantia et consuetudo est immemorialis, sed agitur dumtaxat de functionibus non paroecialibus, quae de iure communi non debentur soli parocho, et pro quibus iuxta eumdem Monacelli *loc. cit. n. 86,* parochi licentia non est necessaria, sed tantum sufficit venia Ordinarii.

Praeterea haec omnia maiori robore firmari autumat orator ab ipsa dioecesana Synodo, quae in capite de confraternitatibus haec decernit:

« I. Volumus, ut nemo sacerdos ad rectoris officium eligatur, nisi sit confessarius, et divini verbi concionator etc. . . . III. Satagant insuper rectores, ut onera . . . . missarum ac pia legata statis temporibus adimpleantur, ne etc. IV. attendat, rector sodalitatis, praeterea ad ecclesiae, et sacelli nitorem et ad ea omnia, quae divinum cultum respiciunt ».

Ex his igitur, deducit patronus, quod si iuxta Synodum rector sodalitatis debet esse concionator; si diligentiam adhibere debet, ut onera missarum ac pia legata adimpleantur; si attendere debet ad ea quae divinum cultum respiciunt; haec omnia procul dubio nihil melius indigitant, nisi ut sodalitatum rectores propriis sui sodalitii functionibus ac missarum celebrationi iuxta statuta et legata rite satisfacere debeant.

His vero et confirmationem accedere adnotat a notissimo decreto *Urbis et Orbis* S. RR. Congregationis, ubi post resolutionem trigesimi tertii dubii additur: « salvis tamen conventionibus et pactis in erectione confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus Synodalibus, ac provincialibus et consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis » (1).

(1) Decretum hoc relatum habes per totum Vol. I pag. 591.

Iamvero putat patronus Episcopum Arianum in erectione sodalitatis rectorem constituisse pro officiis spiritualibus adimplendis et eiusdem sodalitatis statuta praescribere ut rector functionibus non paroecialibus, missarumque celebrationi satisfaciat. Et quum horum observantia praefatum Urbis et Orbis decretum immemorabiliter praecedat, minime proinde ab hoc abrogatam fuisse consequi tuetur, sed omnino immunem et in suo robore permansisse.

Praeterea assertum suum comprobare nititur patronus contendens, sodalitatem non modo oratorium habuisse ab ipsa ecclesia SSmae Annuntiatae omnino distinctum; sed insuper indubium omnino esse ad ipsam sodalitatem pertinuisse praefatam ecclesiam, antequam haec ad paroeciae gradum eveheretur, ita ut revera admitti debeat paroeciam in ecclesia confraternitatis, non autem confraternitatem in ecclesia paroeciali fuisse erectam.

Atque exinde infert minime in casu praesenti esse applicandas resolutiones primi et secundi dubii memorati decreti *Urbis et Orbis*, videlicet confraternitates erectas in ecclesiis parochialibus pendere a parocho quoad functiones non paroeciales, sed potius locum esse decisioni in tertio et quarto eiusdem decreti dubio expressae, iuxta quam sodalitates in publica ecclesia, seiuncta a paroecia, erectae, quoad functiones ecclesiasticas non paroeciales minime a parocho dependent. Demum opinatur non esse omittendum, quod in qualibet absurda hypothesi Confraternitas Immaculatae Conceptionis etiam in praesens proprium habet sacellum, uti supra innuimus, ad quod accedere potest quin transeat per Ecclesiam. Hisce vero adnotat patronus, et Episcopum in sua sententia, superius relata, adhaerere, in qua licet decernat, missarum celebratione excepta, ceteras functiones esse a sodalitatis rectore explendas dependenter a parocho, ita tamen id fieri debeat, ut pro eisdem adsit permissio parochi in his quae sunt in sua facultate, vel Episcopi. Contra quam tamen dependentiam orator reclamat, asserens non posse Episcopum absque contradictionis nota confraternitati onus im-

ponere petendi veniam, a parocho pro adimplemento earum functionum, ad quas per regulas et conventiones tenetur, quaeque iuxta eamdem sententiam exequendae sunt per sacrum et rituale ministerium a Sacerdote Rectore spirituali Sodalitii ipsius.

Ad secundum suae orationis caput gradum faciens patronus, contendit, Confraternitatem colligere posse eleemosynas intra ecclesiam et ambitum paroeciae dependenter tantum ab Ordinario. Ad quod probandum assertum argumentationem adstruit ex hoc, quod Episcopi in suis dioecesibus omnia possunt, quae potest Summus Pontifex in universo orbe, exceptis specialiter reservatis. Barbosa *De off. et potest. Ep. pars 2, all. 1, n. 6,* et exinde infert nullam parochum facultatem sese opponendi habere, quoties Ordinarius licentiam colligendi eleemosynas confraternitatibus concedat.

Quod quidem ius explicite ab episcopali sententia recognitum, in casu roboratum esse ait ab antiqua consuetudine, hancque confirmatam fuisse a Summi Pontificis delegato in suo decreto diei 21 Februarii 1708, qui etiam ius petendi stipem inter alia sancivit: « Instantes, legitur in praefato decreto, in vera, reali, actuali, civili, et corporali possessione solemnizandi festum Immaculatae Conceptionis intus collegiatam ecclesiam SSmae Annuntiationis, deferendi statuam Bmae Virginis per civitatem Andrien, quaestuandi per eamdem ad formam soliti etc. ». Quae quidem et in sententia Episcopi ultro admitti patronus recolit.

Tertio loco aliam ad examen revocans quaestionem, scilicet: proprietatem aedium adiacentium ecclesiae paroeciali, et nominatim magnae cappellae vulgo *cappellone,* nec non statuae S. Sabini, et sacrarum suppellectilium spectare ad confraternitatem, exposita in primis proprietatis notione, Rota *Dec. 48 n. 11, et Dec. 106 n. 15 coram Ratto,* in primis affirmat proprietatem utriusque officinae ecclesiae adiacentis spectare ad sodalitatem. Id evincere nititur ex eo quod huiusmodi proprietas ab erectionis decreto minime fuit immutata vel in alium translata. Quod autem magnae cappellae

vulgo *cappellone,* proprietas ad sodalitium spectet, constare, ait, ex publico instrumento diei 4 Aprilis 1787, adstipulato inter deputatos sodalitii et capitulum ecclesiae SSmae Annuntiatae. Cum autem numerus consodalium percreverit, anno 1734, assentiente capitulo collegiali, et empto solo a capitulo cathedralis ecclesiae ibi aedificarunt nedum magnam cappellam cum altari, tabula Immaculatae Conceptionis et S. Sabini, sed etiam Oratorium in quo fratres convenirent.

Immo, ait, in eodem citato instrumento, dum ex una parte usus magnae cappellae pro sacris functionibus inter utramque partem, nempe inter sodalitatem et capitulum collegiale, sancitur, ex altera parte proprietas determinatur favore pii sodalitii.

Et quia ob istam proprietatem onus manutentionis a sodalitate sustinetur, sententia episcopalis curiae, quae de usu tantum cappellae loquitur, ideo reformanda oratori videtur, ita ut explicite etiam declaretur, magnam cappellam quoad proprietatem ad sodalitatem tantummodo pertinere. Aliter enim nullum ipsa pro suis expensis correspectivum haberet.

Neque dissimili reformatione eamdem tuetur indigere sententiam, quando relate ad S. Sabini simulacrum affirmat, neminem de illo posse *sibi vindicare dominium.* Quum enim constet operâ et expensis consodalis sacerdotis Francisci de Leva illud fuisse constructum, ideo patronus autumat ad rem facere communem doctorum sententiam, qua donatum sodalitati intelligitur id quod consodalis in honorem ac decorem sui sodalitii fecerit. Unde concludit, statuam ad confraternitatem pertinere, usu tamen eiusdem perpetuo atque inamovibili ecclesiae paroeciali relicto.

Insuper immerito pro festo S. Sabini peragendo actionem directivam parocho fuisse ab Episcopo concessam patronus conqueritur, quia instrumentum anni 1787 ab ipso Episcopo invocatum, exceptione facta quoad proprietatem, in reliquis aequalia iura sodalitati et parocho tribuit.

Quoad sacras suppellectiles, de quarum proprietate, ob documentorum defectum, iudicium renuit curia proferre, au-

tumat patronus validissimum favore sodalitatis argumentum inferri posse, ex eo quod illa per plures ac plures annos in ecclesia SSmae Annuntiatae, tamquam in propria sede, sacras exercuerit functiones, ac proinde supponi nefas sit illam toties quoties sacras vestes mutuare voluisse.

Sed, quod maius est, perpendendum vult orator, ipsum parochum de proprietate favore sodalitii testimonium edidisse.

Tandem ad ultimum controversiae caput deveniens patronus, ostendere aggreditur confraternitatem habere ius erigendi tumulum in sodalium funeribus independenter a parocho et quin cereos, circum appositos, paroeciali ecclesiae relinquere teneatur. Ac in primis, contra Episcopi decisionem auctoritatem allegat Ioannis Baptistae Bassi, Episcopi Anagnini, aientis: « ecclesias confraternitatum regulariter non habere ius funerandi, nisi ex consuetudine, seu praescriptione immemorabili, vel privilegio seu concessione Episcopi » *Tract. de sodal. q. 5, n. 1.* Animadvertit itaque in casu multo minus peti, quum tantum de missae defunctorum celebratione, cum erectione tumuli in sodalium funeribus agatur. Quam quidem celebrationem missae cum cantu, atque tumuli erectione in ecclesia sodalitatum expletam, minime recenseri putat inter paroeciales functiones, veluti in casu prorsus simili videre est apud Card. De Luca *De paroch. disc. 31, num. 3.*

Sed clarius idipsum erui adnotat ex recentissimo decreto S. RR. Congregationis, quae rogata sub die 19 Maii 1879: « An liceat in aliena ecclesia et apud regulares cantare missam *de requie*, quam fideles celebrari petunt pro parentibus vel amicis defunctis, postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerint, etiamsi missa exequialis in ecclesia paroeciali non celebretur, respondit: « *Affirmative, servatis tamen rubricarum regulis.* » A fortiori ergo id admittendum, deducit orator, pro confraternitate dum funera sodalium iuxta suam institutionem explet in proprio sacello ab ecclesia paroeciali prorsus distincto.

His praeterea accedere, ait patronus, consuetudinem immemorialem et constantem, quae rem conficere videtur. Quapropter concludit, si iuxta Bouix *Tract. de Ep. part. 5, pag. 324.* « Episcopus, nequit prohibere, nec restringere exercitia solita » confraternitatum, a fortiori id nequit parochus, maxime quum paroecia, ut in casu, erecta fuerit in ecclesia sodalitatis, non autem in ecclesia paroeciali sodalitium, cuius praerogativae et qualitates minime tunc abrogatae, adhuc priori robore vigeri debent, prouti evenit quoad alias civitatis sodalitates, quarum ecclesiae in paroeciales erectae sunt, et ipsae nihilominus omnes functiones ecclesiasticas et funera consodalium adimplent iuxta solitum per proprios rectores, nil agendo parochi earumdem ecclesiarum.

Defensio parochi. Ex altera parte parochus Zinni in manuscripta allegatione affirmat in primis quod functiones, etsi Sodalitii propriae, confici debent in Ecclesia paroeciali, a proprio parocho, minime vero a sacerdotibus sodalitio addictis, idque sibi vindicare nititur, nedum ex officio parochi, sed etiam ex munere rectoris, eiusdem ecclesiae, in qua supremum revera obtinuit dominium, veramque ac omnimodam adeptus est independentiam, ex quo, uti parochus, per traditionem clavium in veram et realem possessionem illius ecclesiae fuit immissus, atque ita proprius et naturalis rector eiusdem est effectus. Sed ad ecclesiarum rectores spectat exercitium omnium functionum, quae in iisdem forte peragantur, veluti inter alios legi memorat apud De Fargna. « Habemus enim constantem omnium doctorum opinionem unanimiter firmantium.... ad dictarum ecclesiarum rectores spectat facere benedictiones, et alias functiones non parochiales peragere » *De iurepatr. part. 1, can. 4, c. 9, num. 4, 6, 9* etc.

Quam doctrinam suam habere subdit sanctionem in plurimis decisionibus, praesertim SS. RR. Congregationis, ut in Bisinianen, *diei 6 Octobris 1640;* Cusentinen. *26 Aprilis 1834; et aliis.*

Quod si tantum simplici alicuius ecclesiae rectori tribuitur, eo vel magis et parocho, qui suam ecclesiam in titulum

habere dicitur, in eaque plenam libertatem atque absolutam independentiam obtinere : Fagnanus *Cap. ad audientiam num. 10 de eccl. aedif.;* S. Rot. *in recent. decis. 469, n. 1 et 24 part. 19;* quique habet intentionem in iure fundatam libere in propria ecclesia omnes sacras peragendi functiones, primumque locum in iis obtinendi. Gratianus *disc. for. 298, n. 89;* Barbosa *de offic. et potest. paroch. part. 1, cap. 9; et aliis.*

Ast ut res propius inspiciatur, pergit parochus instituendo examen super relationibus, quibus confraternitates propriis adimplendis functionibus parocho devinciuntur; et allata auctoritate eximii canonistae Cardinalis De Luca *de paroch. disc. 30* aientis : « quoties agitur de ipsa ecclesia parochiali, vel eius filiali, seu adiutrice, loco parochialis habenda, ius parochi consistere circa celebrationem ipsius missae vel alterius functionis, ut ab eo non autem ab extraneo fieri debet, » invocat solemnia decreta, anni 1703 a SS. RR. Congr. edita, ubi dubium primum: « *An confraternitates laicorum, legitime erectae in ecclesiis parochialibus, habeant dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus* » definitum est responso: « *Affirmative* ».

Quam dependentiam maiori robore firmari memorat si observetur distinctio ab eadem S. Congregatione inter functiones parochiales et non parochiales explicite facta, ut bene determinetur quid confraternitatum rectores possint in ecclesiis a parochialibus seiunctis, prouti luculenter eruitur, testante Benedicto XIV, ex verbis quibus card. Colloredus, dubia S. C. proponens, usus est: « post haec affirmat (Colloredus) a cappellanis etiam sodalitatum, has functiones (quelle dichiarate non parrocchiali) exerceri posse, si ipsae sodalitates templis parochialibus addictae non fuerint. » *Instit. eccl. 105.*

Quod autem ita et non aliter de totius decretorum contextus sensu sit retinendum, mirifice a canonistarum interpretatione facta comprobatur, quos inter audire sufficiat ci-

tatum Benedict. XIV *Inst. 105, § 8, num. 112,* cum rationes explanat, dependentiam confraternitatum a parochis imperantes, quoad functiones in ecclesiis parochialibus peragendas: « Non solum, scribit, ob ius parochiale, sed etiam ob dominium, primatum et regimen quod parochus et quilibet alius rector obtinet in sua ecclesia et universis ipsius partibus ».

Ulterius his consonae sunt plures S. C. Concilii decisiones, idest Ferrarien. *15 Sept. 1782* in qua definitum fuisse refert « competere parocho ius praeeminentiae in functionibus ecclesiasticis confraternitatis ad formam resolutionis S. C. Rituum anni 1703 ad 1^{um} et 2^{um} dubium. » Item in Asculana *diei 5 Martii 1887*. Et tandem ipsa S. C. Rituum die 28 Iulii 1832 declaravit quod functiones non paroeciales « in ecclesia parochiali pertinent ad eiusdem parochum, qualibet contraria consuetudine non obstante ».

Neque haec, pergit parochus, infirmare valebunt adversarii asserentes confraternitates non quidem a parocho, sed ab illa pendere superiori auctoritate, a qua propriam institutionem ac vitam tantummodo repetunt. Namque hoc verum erit quoadusque sodalitas in propria existat ecclesia, idest distincta atque seiuncta ab ecclesia paroeciali, in qua e contra semper parocho ita subesse debent, ut illa habeatur dependentia, quam ad lites evitandas memoratis decretis urbis et orbis SS. RR. Congregatio determinare voluit; idest non illusoriam, sed veram ac realem dependentiam iuxta sensum ab ipsis canonistis huiusmodi vocabulo tributum.

Idipsum praeterea evinci opinatur ex proprio naturali omnium piarum sodalitatum fine, quem praeter Clementem VIII in Const. *Quaecumque*, et alios plurimos, pulchre ita explanat Benedictus XIV dum ait « Quae (confraternitates) procul dubio invectae minime sunt, ut sacras functiones exerceant, aut in partem ecclesiasticae hierarchiae recipiantur, sed ut poenitentiae actus sibi utiles et consentaneos suscipiant, et opera misericordiae proximo suo impendant. » *Tit. eccl. 105, § 3, n. 92.* Unde si ex propria naturali institutione confraternitates pri-

vatis dumtaxat pietatis operibus intendere debent, solemnes publici cultus actus iisdem consequenter exercere permissum erit aliquando ratione tantum cuiusdam peculiaris concessionis, iis tamen semper servatis conditionibus, quae a iure statuuntur, quaeque in casu praesertim in pluries memoratis decretis continentur.

Deinde secundum controversiae caput attingens parochus Zinni denegat ius confraternitati inesse colligendi eleemosynas intra ecclesiam et paroeciae ambitum, idque adstruere satagit ex eo quod parochus tantum seu ecclesiae rector intentionem habet in iure fundatam, sive quoad facultatem colligendi, sive recipiendi et administrandi ea omnia quae fideles determinato fine obtulerint. Quod assertum probat auctoritate Wan-Espen aientis: « Pari consensu conficiunt canonistae parochum tanquam primarium ecclesiae parochialis ministrum de iure communi fundare suam intentionem in perceptione omnium oblationum, quae obveniunt intra limites suae parochiae, easque ei deberi. » *Iur. eccl. Univ. part. 2, sect. IV, tit. 2, cap. X, num. XIII.* Et cum canonista Wan–Espen quamplurimi, quos orator citat, apprime concordant; ita ex. gr. Fagnanus habet: « parochialem ecclesiam habere intentionem fundatam de iure communi super omnibus reditibus spiritualibus intra limites parochiae suae. » *In cap. Pastoralis cap. IX de his quae fiunt a Prael. n. 13.*

Neque huiusmodi ius, contendit parochus Zinni, destrui posse per peculiarem Episcopi licentiam, ad quam confraternitas confugere studet. Obstare enim, ait, Synodi dioecesanae praescriptionem, hisce verbis expressam: « Nos canonicis sanctionibus obsequentes parochis omnibus mandamus, ne in suis paroeciis, sine nostra vel Vicarii nostri generali, in scriptis licentia, ulli cuiuscunque conditionis liceat, sive mulieri, sive laico, sive confratrum sacco induto, cum capsulis vel aliis id genus, sive per civitatem, sive per agros elemosynas quocumque pio nomine colligere, sub poena excommunicationis latae sententiae in contrafacientes. » *Tit. 4. cap. 4. de parochis, n. 17.*

Illegaliter demum asserit, ab Episcopo confraternitati facultatem attributam fuisse eleemosynas pro festo Immaculatae Conceptionis per civitatem colligendi, quia documentum cui sententia innititur et pontificia caret sanctione, et ad summum nihil aliud sodalitati concederet, praeterquam ius a Clementina Constitutione *Quaecumque* confraternitatibus dimanans, quaestuandi scilicet « iuxta modum et formam ab Ordinario loci praescribendum ». Ast cum in themate, ceu superius innuimus, quaestuandi facultas a dioecesana Synodo confraternitatibus prohibeatur, iam res in vado posita videretur. Ceterum documentum illud, paroeciae erectioni antiquius, veluti iuribus paroecialibus contrarium in erectione paroeciae abrogatum censeri posset, sicuti ex decreto erectionis absque dubitationis alea evinci parochus autumat.

Tertio loco parochus Zinni putat in primis quoad aedes adiacentes intrare principium « accessorium sequitur principale; » ac proinde cum ad parochum pertineat ecclesia, ita et ad illum aedes praedictae cum ecclesia unitae spectare debent. Idque parochus in tuto ponere sibi persuadet, tum ex bulla erectionis paroeciae, tum ex decreto materialis possessionis, in quam, sive quoad ecclesiam, sive quoad magnam cappellam, vulgo *cappellone*, ipse pacifice, quiete, et nemine contradicente, rite fuit immissus. Itemque dicendum de oratoriis ab ipso apostolico delegato eidem parocho concessis, veluti testantur canonici Xaverius Cannone, Thomas de Simone, et Franciscus Sgaramella. Stant praeterea, sequitur parochus, contra confratres antiquissima ecclesiae statuta, in quibus proprietas unius altaris divo Sabino dicati, atque « nel cappellone » existentis, capitulo tribuitur. Ulterius progrediens parochus Zinni nullitatem affirmat publici instrumenti diei 4 Aprilis 1787 a confratribus in medium prolati.

Namque animadvertendum est quod quum dissensiones illo tempore inter sodalitium et ecclesiae capitulum exortae circa res sacras (il cappellone, gli oratorii, la statua di S. Sabino) versarent, pro earumdem compositione laici eligi nequibant iuxta illud : « laici ecclesiastica tractare negotia non praesu-

mant ». *Papa Eugenius decret. lib. II* et aliud « compromissum non valere si fiat de his, quae non dependent a potestate compromittentium » *Ioan. Andr. post Hostiens in cap. Pervenit in fine supra eodem.* Quum itaque princeps illius adstipulatae compositionis, nullis prius a legitima auctoritate obtentis facultatibus, fuerit Andriae Dux, qui eo tunc temporis, prouti historica documenta testantur, auctoritati ecclesiasticae erat infensus, quique insuper uti prior confraternitatem regebat, et proinde, ceu naturaliter inferre fas est, tantummodo ob timorem a capitularibus uti controversiae arbiter forsitan admissus fuit, manifeste patet citatum instrumentum, quavis carens ecclesiastica sanctione, nullitatis labe infectum evasisse.

Neque silentio praeteriri debet, idem instrumentum ambiguitatibus et contradictionibus scatere. Ita dum sodalitas domina declaratur, ecclesiae capitulo facultas cappellanum magnae cappellae quotannis nominandi tribuitur. Servanda ibi dicitur inscriptio lapidea de constructione a sodalitio peracta fidem faciens, et postea subiungitur: « le quali inscrizioni però non s'intendono pregiudiziali alla detta chiesa. » At dato etiam et non concesso, subdit parochus, verum iuspatronatus in magna cappella atque in oratoriis sodalitatem acquisivisse, numquam tamen praesumptum absolutum dominium in iisdem exercere valeret, quia uti habet De Luca *Disc. 12 n. 6, De praeeminentiis,* « ius patronatus quod laicis ratione fundationis et dotationis conceditur in ecclesiis vel cappellis, dicitur mera gratia ad alliciendos earum fundatores seu dotatores, indubitanter autem non importat dominium. »

Praeterea quoad duas officinas, quarum proprietas sibi pertinere Confraternitas contendit, adnotandum putat, illas olim fuisse duas cappellas ecclesiae SSmae Annuntiatae, quae in profanum usum conversae fuerunt, quum, Clero receptitio exinde discedente, ne reditus necessarii ecclesiae deessent, Episcopus memorata conversione remedium afferebat, facta duobus ecclesiae canonicis facultate, tum illas claudendi, tum earumdem proventus, in ecclesiae bonum convertendi. Haec

vero eruit ex documento ab episcopali tabulario desumpto, et in actis exhibito.

Ulterioribus autem Confraternitatis praetensionibus super S. Sabini simulacro parochus Zinni ipsam eiusdem Confraternitatis confessionem opponit, qua ipsa admittere non renuit simulacrum illud ad familiam Andriensem Teva, uti proprium spectare. Quum autem memorata familia statuam dereliquerit, nec aliunde documentum legitimae successionis a Confraternitate oblatum habeatur, simulacri proprietatem ad ecclesiam, naturali tramite, transiisse idem parochus sustinet. Inutiliter vero contra ecclesiam ad supramemoratum instrumentum die 4 Aprilis 1787 Confraternitatem confugere parochus censet, quia, uti iam vidimus, actum illud tamquam nullitatis vitio infectum traducit.

Tandem ad sacrarum suppellectilium proprietatem vindicandam, quam sibi Confraternitas arrogare studet, exhibet parochus Zinni publicum instrumentum a quodam Francisco Paulo Christiani rogatum, in quo descriptae leguntur sacrae suppellectiles, a Capitulo SSmae Annuntiatae in ecclesiae usum relictae.

Tandem quoad postremam quaestionem, videlicet tumuli erectionem in funeribus confratrum et quin cerei circum appositi paroeciae cedant, animadvertit parochus, nullimode dubitari posse quod ius tumulandi ecclesiae tantum paroeciali et ius funerandi eiusdem tantummodo parocho spectet. Huiusmodi canonica doctrina tantummodo per privilegium alicui confraternitati expresse concessum exceptionem aliquando pati posset. Ast hoc privilegium confraternitas Immaculatae Conceptionis neque obtinuit, uti ipsa episcopalis testatur sententia, neque unquam exercuit, quia antiquitus a clero receptitio, serius a successore capitulo cathedrali, ius funerandi atque tumulandi in illa ecclesia exercebatur, prouti in actis exhibetur. Incassum vero sua statuta a sodalitate invocari observat; siquidem illa potius ecclesiae iura explicite tuentur cum inibi legatur: quando concessum est regium placitum dictis regulis, in secundo articulo iubebatur salvum manere debere ius pa-

rochi in quocumque funere. Quibus verbis nil clarius desiderari posse videretur.

Firmiori vero robore stare, ait, ius alterum parochi, percipiendi funeris emolumenta, ea videlicet quae obvenient ratione funeris et sepulturae *cap. 1. et 10 De sepult. Clement. Dudum eod. titulo.* – Rota *coram Molines 15 Iunii 1699.* Atque hoc non ratione laboris in corporibus fidelium humandis adhibiti, sed in compensationem oneris officii curati et administrationis sacramentorum *cap. 1. De sepult.* Rota *coram Molines* 15 Iunii 1699. Pro huiusmodi autem emolumentis commensurandis notissimae sunt regulae in corpore iuris exaratae: « Si defunctus nec sepulturam propriam habeat, nec alienam eligat, sepeliendus est in parochia ubi decedit, et omnia funeris emolumenta cedunt parochiae, in qua est sepeliendus.– Si autem defunctus eligat alienam ecclesiam, tunc, dempta quarta pro parocho defuncti, ratione sacramentorum et exequiarum, omnia funeris emolumenta spectant ad eeclesiam tumulantem. » *Text. cap. 1. De sepult. Clement. Dudum eod. tit.* S. C. Concilii in *Asculana 29 Augusti 1773.*

Quam quidem doctrinam ipsa amplexa est Andriensis Curia in prolata sententia super hac ipsa quaestione.

Hisce summatim praemissis, sequentia proposita sunt diluenda

Dubia

I. *An sententia Curiae Episcopalis Andriensis diei 29 Maii 1891 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Et quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam

II. *An functiones non paroeciales piae sodalitatis propriae, et praesertim celebratio Missarum pro defunctis confratribus diebus 3ª 7ª* et *30ª, ad parochum seu potius ad rectorem Confraternitatis pertineant in casu.*

III. *An eadem Confraternitas eleemosynas intra ecclesiam et ambitum paroeciae dependenter ab Ordinario tantum colligere possit in casu.*

IV. *An et ad quem spectet proprietas aedium ecclesiae paroeciali continentium, et nominatum magnae cappellae (cappellone), nec non statuae S. Sabini et sacrarum suppellectilium in casu.*

V. *An Confraternitas ius habeat erigendi tumulum in sodalium funeribus, independenter a parocho, et quin cereos, circum appositos, ecclesiae paroeciali relinquere teneatur in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 6 Maii 1893 censuit respondere: *Ad I Sententiam esse confirmandam. Ad II, III, IV, et V provisum in primo.*

Ex quibus colliges. I. Parochum habere in propria Ecclesia intentionem, in iure fundatam, libere omnes peragendi functiones, primumque locum in iis obtinendi; ob ipsum dominium, primatum et regimen, quod parochus obtinet in sua Ecclesia et universis ipsius partibus.

II. Ideoque functiones omnes, cuiuscumque indolis, fieri debere a Parocho vel ab alio cum dependentia a Parocho ipso, ne turbetur ordo in paroeciali Ecclesia.

III. Parochum uti Ecclesiae parochialis primarium ministrum ius habere ad percipiendas oblationes, quae obveniunt intra limites suae paroeciae.

IV. Ad parochum pertinere ius percipiendi emolumenta funeris, sive ea quae obveniunt ratione funeris et sepulturae in compensationem oneris officii curati et administrationis sacramentorum.

CAMERACEN.

MATRIMONII

Die 18 Martii 1893.

Sess. 24 cap. 9 De reform. matr.

Compendium facti. Vertente mense Novembri 1890, Archiepiscopus Cameracensis S. C. transmisit preces cuiusdam Desiderati Lemort, qui matrimonium a se initum cum Maria Dennequin coram parocho patrii oppiduli Steenverck die 8 Novembris 1886, mulieris impotentiae ergo, nullitatis vitio infectum fuisse contendebat. Cum autem Archiepiscopo rescriptum fuisset, ut servatis ex iure servandis, processum in primo iurisdictionis gradu usque ad sententiam definitivam conficere curaret, rite ab eo tribunal in civitate Insulensi, ubi modo actor degit, die 4 Decembris constitutum fuit, atque apud illud statim acta inchoata fuerunt.

Praemisso iuramento defensoris matrimonii, sub sacramenti religione depositionem edidit Desideratus Lemort, qui coram iudice affirmavit, uxorem suam hermaphroditam esse, hancque ob causam se numquam cum ea matrimonium consummare valuisse, licet spatio 28 dierum, quo simul cohabitarunt, fere quotidie ad id tentamina adhibuerit. Retulit praeterea se paulo ante a Maria petiisse medicorum declarationem illius impotentiam comprobantem ab eaque accepisse chartam, in qua Maria Dennequin recognoscit propriam impotentiam, et consensum praebet, ut suum matrimonium irritetur. Haec vero declaratio, quae ab auctoritate municipali recognita fuerat, tribunali exhibita ab actore, deinde processui adnexa est. Postea cum Maria legitime citata et pluries ad comparendum a parocho loci Steenverck adhortata in iudicio sistere noluisset, iudex delegatus, die 29 Ianuarii 1891 illius contumaciam declaravit. Tunc auditi sunt testes septimae manus viri, ac tandem opinio duorum medicorum quoad ea quae deposita fuerant exquisita fuit. Testes ex parte mulieris, ex officio vocati non sunt, forsan eo quia idem parochus in sua

privata epistola scripserat: id quasi impossibile esse, eoquod personae agrorum illorum non petunt tribunalia nisi vi coactae. Demum die 9 Martii eiusdem anni sententia lata est huius tenoris: « Iudicamus non constare de nullitate matrimonii, inter praefatum Desideratum et Mariam initi ».

Ab hac sententia appellatio ad S. C. C. tempore utili interposita fuit, simulque a viri patrono adiectae sunt preces Supremo Principi, pro dispensatione obtinenda a matrimonio rato et non consummato. Archiepiscopus autem Emo Praefecto significabat: « Ideo enixe precamur ut S. Congregationi Concilii, cui praees, processum de quo agitur revidere non grave sit, et si iudicio prolato standum sit, ut Sanctitas Sua, cum sponsi non possint reconciliari et Desideratus Lemort in periculo peccati et damnationis versetur, dispensationem super matrimonio rato et non consummato benigne concedere dignetur; insuper ut haec omnia, attenta oratoris conditione, gratis fiant, ut fieri solet in causis pauperum ». Hinc die 7 Maii 1891, rescriptum prodiit: « *Archiepiscopo Cameracen. qui subsidiariam petitionem pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in scriptis ab actore confici curet eamque ad S. C. C. transmittat* ». Morem statim gessit Archipraesul et petitionem ab actore exaratam S. C. ablegavit. Quibus omnibus relatis in audientia diei 15 Iunii 1891, SSmus D. N. benigne annuit, ut causa oeconomice, ut aiunt, proponeretur cum votis consultorum et animadversionibus defensoris matrimonii.

Disceptatio Synoptica.

Votum Canonistae. Quaestio sapientiae Eminentiarum vestrarum definienda subiicitur, quae necessariis caret elementis, unde iudicium certum efformetur. Desideratus Lemort inivit matrimonium cum Maria Dennequin die 8 Novembris 1886 ad formam Concilii Tridentini. In primo concubitu vir invenit mulierem impotentiae impedimento laborantem, et quamvis in mense cohabitationis tentaverit copulam, nunquam, ut ipse ait, matrimonium potuit consummari. Vir

Curiam Cameracensem adivit, ad quam ipse pertinebat, petens ut matrimonium suum declararetur irritum et nullum ob impotentiae impedimentum. Archiepiscopus Cameracensis delegavit iudicem, elegit defensorem matrimonii, et processus fuit inchoatus. Vir suam depositionem fecit, testes septimae manus auditi sunt, ex parte sponsi, non ex parte mulieris, et medicorum inspectio tantum pro parte viri fuit confecta.

Mulier autem nec in causa acta coram laico tribunali, nec in processu iudicis ecclesiastici inspici corporaliter passa est, nec testes proposuit septimae manus, nec unquam coram iudice sistere voluit.

Hinc consultor prosequitur dicendo: documenta allata a viro minime sufficere ad demonstrandam nullitatem matrimonii in themate. Documenta enim quae in processu reperiuntur pro parte viri sunt: inspectio tantum viri — Testimonia septimae manus pro parte sponsi, et huius depositio. Ex parte mulieris tantum adest eius scripta declaratio, quae ait cognoscere propriam impotentiam, et consensum praebere ut suum matrimonium irritetur. In causis de impotentia, inspectio mulieris pernecessaria videtur tribus rationibus potioribus. 1. Ad vitandam conspirationem utriusque coniugis ad obtinendum divortium. 2. Ut concludatur utrum revera sit consummatum matrimonium, ut recognita sponsae virginitate, et suffragantibus causis iustis obtineri possit dispensatio in matrimonio rato et non consummato. 3. Ut iudicari valeat an impotentia sit absoluta, perpetua, et antecedens. Confessio mulieris, quam paulo ante retulimus, quamvis recognoscat impotentiam suam, non tamen patefacit naturam eiusdem impotentiae.

Verum quid deponit vir? Quod cognovit mulierem suam a primo die matrimonii, et eam invenit impotentem, tum quia arctissima erat vagina, tum quia erat hermaphrodita. Invenit enim in eius genitalibus partibus massam quandam carnis, quae similis erat membro virili. Eam apud se retinuit per mensem et tentavit frustra copulam; deinde ut sua depositio veridica appareret subiunxit: ipsa mihi dixit, re-

linque me in pace, et tu facias quod tibi libuerit. Spatium unius mensis non sufficit. Si enim pro viro statutum est triennium, multo magis triennale spatium convenit mulieri assignari, ut dilatetur obstricta vagina. In capite enim *Laudabilem* de frig. et malef. *Requisivisti* (legitur) *quantum temporis indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae coniugalis? Nos vero praesenti consultatione sentimus*, ut a tempore celebrati matrimonii, si frigiditas prius probari non possit cohabitent per triennium. Sed Orfila in suo opere *Lezioni di medicina legale traduzione del dottor Prato pag. 80* ait: quod organorum genitalium et hymenis duritia et rigiditas non sunt causae impotentiae, quia superari possunt per incisionem. Sine incisionibus refert d'Aquino in civitate Lacusliberi, provinciae Lucaniae, mulier, quae strictissimum meatum habebat, concepit, et in partu dilatata est vagina. « Sed nec massa carnis probat; quia esse potest relaxatio vaginae et uteri inter crura, cui relaxationi adest remedium in arte chirurgica, quae fallit maritum, quasi sit ipsa duplicis sexus. Mulieris arcta vagina per frequentem usum coniugii redditur apta. Usus per quinque hebdomadas non sufficit ad coniugium perfectum habendum.

Sed sponsa confessa est suae impotentiae impedimentum, quare non subiicitur inspectioni obstetricis? Non potest retineri ad tegendam suam impotentiam inspectioni se negare, quia iam ipsa eam manifestavit. Consensit ut matrimonium definiatur nullum. Huiusmodi ratio agendi praebet argumentum suspicandi quod aliqua conventio intercesserit inter eos dissolvendi matrimonium propter causas eis notas. Inspectio enim revelaret consummationem matrimonii. Ad tegendam impotentiam suam non solum inspectioni corporali cedere non debebat, sed etiam scripto negare oportebat. Sed ipsa in sua scripta declaratione affirmavit huiusmodi impedimentum; quare coram iudice adstare recusavit? Suspicari nobis licet de hoc casu, cum in nostris temporibus tam contemnitur hoc magnum sacramentum et praesertim in Gallia.

Sed inspectioni forsan non indulsit propter erubescentiam.

Dedecus existimabat fortasse mulier quod evulgaretur monstruositas corporis sui. Sed huiusmodi coniectura minimi existimari videtur. Sponsa maturae aetatis erat quando matrimonium inivit. Sciebat suam conformationem, quae profecto marito innotesci debebat, qui et factum evulgaret; et quia in Gallia lex divortii lata est bene poterat praevidere futurum divortium magna cum sui honoris ignominia. Mulieres defloratae si non habent in promptu medium, quo fallere possint sponsum in primo concubitu, solent ante matrimonium praevenire amatorem de defloratione exhibentes solitam excusationem manustuprationis. Et tamen defloratio non est impedimentum dirimens matrimonium. Mulieres si consciae sunt de propria impotentia, et matrimonium celebrant, hoc evenit, quia sperant fore ut potentes fiant, coitu iterato. Sed hermaphroditis huiusmodi spes omnino abest. Si Maria Dennequin esset hermaphrodita non nupsisset: ipsamet mater eius a matrimonio animum eius alienasset.

Verum quare sponsus eius eam secum retinuit per viginti novem dies, eamque cognovit? Abhorrere solent viri a concubitu huiusmodi monstruosarum a prima nocte. Attamen vir ad eam pluries accessit. Quid sperabat conatibus suis? Tolli forsan potest hermaphrodismus naturalis? Suspicor de ipsius sponsi depositione. Verum posita etiam hypothesi quod revera hermaphrodita sit sponsa, quid deducendum? Matrimonium huiusmodi monstruositas non dirimit quando muliebris sexus praevalet. In casu, coram laico tribunali vocata stetit soror Mariae Dennequin, quae cum sua sorore in eodem cubili dormiebat. Interrogata testata est, Mariam bis vel ter in hebdomada suam barbam radere solitam fuisse; singulis autem quinque vel sex hebdomadibus infirmitate laborasse, et menstrua passam fuisse. Plures feminae barbam habent et parturiunt filios, nec hermaphroditae sunt; et nullus vir menstruum habuit; ac proinde Maria aut vere mulier est, et non hermaphrodita, aut si huiusmodi est, praevalet in ea sexus femineus.

Verum depositio sponsi nequaquam congruit descriptioni-

bus quas perhibent anathomici. Triplicis generis sunt huiusmodi monstra: Androgeni, Ginandri, et Neutri qui describuntur a Perrone *Medicina Legale t. 1 pag. 94 et seq.*

Comparatis his descriptionibus cum depositione sponsi, in casu, nulla invenitur congruentia. Ipse enim deponit Mariam Dennequin hermaphroditam esse eo quod invenit in genitalibus eius massam carneam non absimilem hastae virili. Hoc mihi videtur impossibile physicum. Potest huiusmodi massa carnea vel esse inanis et arte chirurgicâ tolli, vel si est virile membrum, inquiri debet an praevaleat sexus virilis. Nam ut definiri possit convenit, ut docet Marc apud Briand et Candé *(Médicine Legale I. pag. 179)*, inquirere a quonam orificio urina fluat et sanguis effundatur. Sed ex extraiudiciali testimonio deducitur quod huiusmodi effusio urinae et sanguinis a consueto muliebri orificio agitur. Aut igitur falsum videtur, Mariam esse hermaphroditam, vel admittendum praevalere in ea sexum muliebrem. Omnino necessarium puto ut mulier inspiciatur.

Verum illa informis testatio mulieris, quam iam retulimus, extraiudicialis videtur esse recognoscenda. Et quis definire potest utrum sponte an coacte sit scripta? A verbis ipsis parvulae scripturae potest deduci coacte eam fuisse exaratam. Cum itaque nihili extimanda sit huiusmodi declaratio, quae nullum perhibet authenticitatis signum, applicandum censeo praesenti quaestioni, quod Sanctus Raymundus (L. 6, 14 Summae, Tit. de Impotentia coeundi) docet. Si vir actor est et si non probat quod asseruerat, mulier cum sit rea et si nihil praestiterit absolvi debet ab imputatione viri. In themate vir est actor, non probavit mulierem esse impotentem, imo eius assertio vaga et aequivoca non innititur doctrinae, quam tenent medicinae scriptores, nihil iudicialiter mulier deposuit; ipsa igitur absolvenda est ab impotentiae nota, usquedum valide hoc non probetur. Non potest sponso suffragari ignorantia de participatione utriusque sexus quam sponsae tribuit; nam non illico reclamavit vir contra deformitatem eiusmodi, imo cum ea copulam habuit, licet, ut ipse asserit, cum impotente pro-

pter contractionem vaginae; ita ut contentus esset cum hermaphrodita copulam habere si aliunde impotens non fuisset. Iuxta eius argumenta, mulier quae barbam alit hermaphrodita est. Sed antequam nupsisset animadvertit suam sponsam habere barbam. Si eam in uxorem accepit cum hermaphrodito nubere consensit. Quoad impotentiam ex contractione vaginae non poterat dilatari in uno mense. Si pro frigidis et maleficiatis, in iure triennium assignatur, pro huiusmodi mulieris impedimento saltem annum opinor deberi. Denique sit tamen dubium. In hoc casu possidet matrimonii validitas, quoadusque e contra non probetur. Natura enim praesumitur operari iuxta ordinem et ideam finis cuiusque rei.

Nec valent praesumptiones; nam de sacramenti valore agitur, et tutissime agendum est. Non valet quod sponsus iuraverit, quod parentes sponsi iureiurando deposuerunt audivisse Mariam impotentem esse et hermaphroditam; non valet confessio scripta mulieris de sua impotentia. Haec omnia constituunt probabilitatem, non certitudinem; et resolvere solâ probabilitatis notâ quaestionem tanti momenti, opinor non esse iuxta conscientiam. Non constat igitur nullitas matrimonii.

Votum Theologi. Quaestio de hermaphrodito agitur. Desideratus Lemort matrimonium contraxit cum Maria Dennequin, quam statim reliquit, utpote feminam hermaphroditam.

Matrimonium initum ab hermaphrodito in regula validum est. « Certum est, dicit Schmalzgrueber, Pars III, Tit. XV, 52, matrimonium initum ab hermaphrodito sive eo, qui utroque sexu pollet, validum esse, si talis hermaphroditus secundum sexum, secundum quem contrahit, non sit aliunde impotens. » Dubium tantum esse, dicit ibidem Schmalzgrueber, secundum quem sexum ille possit contrahere? et respondet quidem posse contrahere secundum sexum qui in eo praevalet; si vero neuter praevaleat, posse eligere iuxta qualem sexum matrimonio iungi vellet; haec tamen dicta a Schmalzgrueber sunt quantum ad liceitatem matrimonii, validum est enim semper dummodo sexus secundum quem matrimonium contrahit non

sit ita debilis, ut eum ad copulam carnalem perfectam impotentem reddat. Idem habet Reiffenstuel, lib. IV, tit. XV.

Quaestio igitur de invaliditate matrimonii ex parte hermaphroditismi reducitur ad quaestionem de impotentia. At ut titulo impotentiae scindatur matrimonium necesse est ut impotentia haec sit perpetua, id est, ut non possit tolli lapsu temporis aut arte. In casu vero non constat impotentiam non esse talem « que des tentatives nouvelles – ut verbi utar Medici in causam introducti, « ou une intervention chirurgicale pourraient facilement faire disparaître, » – quum Maria Dennequin, quae comparere renuit, nec interrogata sit, nec a medicis examinata, nec ex eius parte testes septimae manus auditi sint. Ideo non introducitur causa de invaliditate matrimonii ob impotentiam, sed petitur dispensatio a matrimonio non consummato quod sponsi non possint reconciliari et Desideratus Lemort in periculo peccati et damnationis versetur. Sed quomodo inconsummatio ipsa ab oratore probatur?

Sane, non semel accidit, ut in causis matrimonialibus dispensetur ab inspectione corporis et nihilominus probari possit inconsummatio matrimonii; at tunc ad moralem certitudinem de impotentia vel de inconsummatione assequendam, expendenda sunt, quam diligentissime, tum indoles coniugum, tum vitae eorum ratio, tum variae circumstantiae antecedentes, concomitantes ac consequentes eorum matrimonium, et maxime cur ii qui parum videntur curare de religione, ecclesiasticum petant iudicium, nam ex his omnibus unice investigari poterit an sit fides adhibenda eorum dictis. At in causa nostra 1. desiderantur testes ex parte uxoris; 2. interrogationes, ideoque et depositiones tam breves sunt, tam parum significantes, ut ex iis nihil certi moraliter erui, nullum probabile iudicium sibi formare de inconsummatione possimus. Immo, aliqua in documentis extraiudicialibus, ut plurimum, prostant indicia quae grave etiam dubium ingerunt de veracitate et coniugum et testium. Et imprimis: 1. Cl. Defensor matrimonii ex officio, R. D. Moureau, Insulis, affert te-

stimonium sororis Mariae Dennequin, extraiudiciale, quae cum Maria saepius eodem in lecto dormiverat, quaeque dixit sororem suam singulis quinque vel sex hebdomadibus menstrua passam esse. Hoc indicium femineum sexum clarissime demonstrare dicitur. Zacchias, Quaes. med. leg. l. 7, Tit. 1, q. 8, n. 20, ita habet: « Monendum quod excretio menstrua cum carentia testium facit sufficientissimam probationem feminini sexus etiamsi plura alia vigerent pro sexu masculino, *et etiamsi insigne membrum virile adesset:* indicat enim excretio menstrua internum hominis temperamentum, et muliebrium genitalium perfectam constitutionem, qua stante, impossibile est virilia genitalia ad eam perfectionem, uno eodemque tempore pervenire posse. » – 2. Desideratus Lemort et coniux eius Maria Dennequin, utpote generatim hac nostra aetate, praesertim in Gallia operarii, corruptis sunt moribus. R. Parochus loci Steenwerck, ubi commoratur Maria Dennequin, scribit ad Cl. Defensorem Matrimonii: virum cognovisse, ante matrimonii celebrationem, statum suae futurae uxoris, quia apud utrumque pudoris virtus haud aestimabatur tanti ut Parochus retulit. Ex his liquet, eos antequam legitime coniuncti essent, indulsisse iam amoribus. Quomodo igitur fieri potest, ut Lemort post connubium tantum animadverterat in Maria Dennequin deficientiam feminei sexus? 3. Quid de Maria Dennequin sentiat eius parochus, aperit quam clarissime in litteris datis ad Cl. Defensorem Matrimonii. – Post tam gravia testimonia, quamvis extraiudicialia, quis nos cogere posset, ut credamus iis quae mater Lemort iudicialiter affert utpote a Maria Dennequin dicta, quae eam pudicam ac sanctam ostenderent? Quum enim interrogaretur Maria cur impotens quum esset, coniugium contraxerit, responsum dedit, se nullam intelligentiam rei matrimonialis habuisse. Incredibile sane videtur, Mariam potuisse haec dicere matri Lemort, quantumvis eam facilem ad credendum habuisset; 4. Desideratus Lemort de se ipso non erubescit ad Archiepiscopum suum Reverendissimum Thibaudier scribere: ad veritatem dicendam, confiteor, me decem

et octo abhinc mensibus vitam ducere maritalem cum mea consobrina vidua. Morum pravitatem Desiderati Lemort cognitam esse ac notam confitetur ipse illius causae defensor in foro ecclesiastico, Iosephus Gervais. Et tamen testes iurati unanimiter ad quaesitum: responderunt: Desideratum Lemort esse virum commendabilem genere vitae atque moribus. – Potestne illis fidem haberi et in aliis? – Ultimo animadverto 5.: Cur Maria Dennequin non vult se subiicere inspectioni medicorum vel obstetricum? Res est quae maximam suspicionem ingerit. – Num pudore ducta? Audivimus parochum eius quid retulerit de ea. – An non vult confiteri se esse impotentem? Sed ipsa hoc iuridice confessa est. Num renuit valedicere matrimonio cum Lemort? Parochum eius testantem vidimus, ipsam esse paratissimam alias nuptias inire. Non alia videtur esse causa eam nolle comparere, nisi spes solutionis huius matrimonii, quae spes fortasse frustraretur si res, ut est, cognita esset.

Quae quum ita se habeant, ad propositum dubium: « An constet de inconsummatione matrimonii in casu » respondendum puto: « Negative, » sin minus: « Dilata et compleantur acta processus ».

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Ad ea, quae de matrimonio inter Desideratum Lemort et Mariam Dennequin die 8 Novembri 1886 inito docte disputant lectissimi consultores, theologus et canonista, quidquam adiicere supervacaneum censeo.

Eapropter, haud interiecta mora, submisse postulo ad primum ex propositis dubiis rescribi « *sententiam esse confirmandam* »; ad alterum vero, « *negative* ».

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An sententia iudicis delegati ab Archiepiscopo Cameracensi diei 9 Martii 1891 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Et quatenus confirmanda

II. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

Resolutio. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 18 Martii 1893 censuit respondere:

Ad I. *Sententiam esse confirmandam.*

Ad II. *Negative.*

Ex quibus colliges: I. In themate validum rite recognitum fuisse matrimonium: tum quia sufficienter haud probatum fuit mulierem esse hermaphroditam, tum quia hermaphroditorum coniugia non semper invalide contrahuntur.

II. Validum esse matrimonium ab hermaphrodito initum, quatenus non sit impotens quoad sexum, secundum quem contrahit; tunc enim impotentia haec matrimonium irritaret, si contrahentem ad copulam carnalem ineptum redderet.

MACERATEN.

FACULTATIS MISSAM ITERANDI

Die 29 Aprilis 1893.

Per summaria precum.

Compendium facti. Dominica Stefanucci Antonelli in supplici libello Supremo Principi nuper oblato retulit sibi a patruo suo, sacerdote Petro Stefanucci impositum fuisse legatum unius missae quotidianae cum stipendio libell. 1, 25, pro ferialibus et festivis diebus; celebrandae in quavis ecclesia; hac tamen facta exceptione, ut in mensibus Iulii ad Novembrem pro diebus festivis obligetur Presbyter litare in Oratorio apud Villam, in qua Oratrix cum familia degere solet. Modo autem Oratrix exposcit ab Apostolica Ecclesia, concedere dignetur quod Sacerdos huius Dioecesis valeat litare dictis diebus festis secundam missam in satisfactionem praedicti legati cui ex eleemosynae exiguitate a duobus annis non potuit fieri satis. Notum quoque facit, quod, ex adiun-

ctis familiae, et viciniae, quamplures missae praeceptum saepe non implent, si absit missa in Oratorio praedicto.

Precibus autem Episcopus addidit: omnia veritate niti.

Rescriptum tunc fuit, ut idem Episcopus doceret de distantia inter praefatum oratorium et ecclesiam parochialem et de numero fidelium, proxime adiacentium, nec non ut referret de vera necessitatis causa, videlicet num ex defectu missae in praefato oratorio, plures numero fideles impedirentur a satisfactione praecepti sacrum audiendi. Praesul vero respondit, quod vere plures personae infra annum, et praecipue tempore frigoris missam non audiunt die dominico; et esse valde utile missam litari in praefato Oratorio, quia Ecclesia parochialis angusta evasit pro numero fidelium. Qua de re petitionem commendavit ut vere utilem populo illius paroeciae, etsi, ut ipse ait, nequiret pro certo affirmare existentiam causae de vera atque constanti necessitate binationis quae petitur.

Disceptatio Synoptica

Binatio deneganda videtur. Ut aliquid pro recepto more breviter utrinque animadvertatur praestat in primis recolere celebrem hac super re dispositionem *Cap. 3, tit. 41, lib. III Decret.* « Consuluisti nos utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare. Super quo tibi duximus respondendum, quod excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam tantummodo celebrare. » Ac quamvis Glossa causae necessitatis addat etiam causam « honestatis vel utilitatis » nihilominus in praxi retinenda potius videtur doctrina Fagnani, qui in *Cap. In Ordinando De Sim.* de venia bis celebrandi tradit: « id nonnisi ex magna necessitate fieri debet et magna cautela ».

In casu vero, si attendantur ea quae sive oratrix exposuit, sive Episcopus retulit, magis quam de vera necessitate agi videretur de commoditate, quam ad gratiam conceden

dam minime sufficere apertis verbis tradidit S. C. C. cum, ceteris missis, in una De Tulacingo diei 10 Maii 1884 rescripsit: « Dummodo non commodum, sed necessitas id exigat, pro gratia ad decennium, facto verbo cum SSmo. »

Binatio indulgenda videtur. Attamen ex adverso perpendendum est in re de qua agimus necessitatem plerumque confundi cum utilitate, cum vera causae concedendi facultatem binandi sit ne populus, aut maior ipsius pars, cum magno spirituali detrimento ab audiendo sacro prohibeatur, veluti deducitur ex Pasqualigo *De Mis. Sacr. q. 844, n. 11.* Unde et Benedictus XIV in Constitutione « *Declarasti nobis* » tradit « quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis non celebrantis ». Neque praetereundum est missae iterationem veteri disciplina ecclesiastica absolute haud improbari, ceu probat Thomassinus *De Vet. et nov. disc. p. 1 c. 3* sed tantum sequiori aetate legem vetantem ad quosdam abusus vitandos fuisse inductam. Quapropter non adeo rigorose forsan ecclesiastica haec lex urgenda esset, quoties incommoda et scandala absint, peaesertim hisce temporibus, in quibus charitate multorum refrigescente, ad sancti sacrificii assistentiam plerumque diei festi sanctificatio coarctatur.

Quibus praemissis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognita sub die 6 Maii 1893 censuit respondere: *Negative.*

S. IOSEPH DE COSTARICA

POSTULATUM CIRCA FACULTALEM BINANDI.

Die 6 Iulii 1893.

Per summaria precum.

Compendium facti. In *Cap. LX De Postulatis* Relationis status ecclesiae et dioecesis S. Iosephi de Costarica ad S. C. Conc. transmissae die 13 Martii currentis anni haec legun-

tur: « In aliquibus ex magnis parochiis quae habent 5 ad 18 millia habitantium seu animarum, et ubi unus tantum adest sacerdos vel duo, attamen subinde alter est vel infirmus vel absens ex legitima causa, mihi videtur necessaria facultas trinam missam dicendi diebus dominicis et festivis de praecepto ».

Allegantur autem ad necessitatem demonstrandam: « 1. Pietas populi. 2. Impossibilitas satisfaciendi pietati populi duabus missis tantum, casu quo unicus sacerdos binat ».

Disceptatio Synoptica.

Facullas deneganda videtur. Sacri canones uti alias animadversum fuit ad missae iterationem permittendam fidelium necessitatem requirunt, haud sufficere viderentur populi pietas et voluntas de quibus in casu loquitur Praesul. Vulgatum est enim Benedictum XIV in Constitutione *Declarasti nobis* facilitatem iterandi sacrum a quibusdam pro pietate populi explenda admissam reprehendisse, affirmando: « theologos morales nimis indulgenter plures casus excogitasse ». Ulterius, idem sapientissimus Pontifex *loc. cit.* haec quoad canonem synodi Nemausinae animadvertebat: « Et potissimum verba diligenter observari debent: *ubi non est nisi unus sacerdos;* nec non alia: *nec sunt in ecclesia duo sacerdotes.* Ex quibus clare perspicimus non licere parocho si alius sacerdos praesto sit, duo sacra perficere diebus festis, ut populus missae sacrificio intersit, sive missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus.... sive una tantum sit ecclesia in qua missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest. » In themate igitur cum binandi facultas pro tertia missa requiratur, et proinde haud unus tantummodo ibi sit sacerdos, gratia deneganda videretur. Eo vel magis quod in allato postulato nimis generice casus exponitur, neque adamussim pro determinatis locis iterationis necessitas vel utilitas demonstratur.

Facultas indulgenda videtur. Contra tamen prae oculis habendae videntur peculiares locorum et temporum circumstantiae quae revera, teste Episcopo, in paroeciis populo frequentibus plures a sacri auditione diebus festis arcent. Scimus autem ex Instructione S. C. Christiano nomini propagando, anno 1832, Episcopo Nicopolitano in Bulgaria data « Sedem Apostolicam dictam facultatem (binandi) concedere in bonum spirituale fidelium, desiderio ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere facile possint. » Quod si Benedictus XIV in sua *cit. Const.* duplicem tantum binationis causam expressit, admittunt tamen Doctores dari etiam causas aequipollentes, horumque sententiam et S. C. C. non una tantum vice in sua praxi ratam habuit ac confirmavit.

Tandem in casu perpendendum est facultatem iterationis missae postulari ab Episcopo, qui prae ceteris populi necessitatem agnoscit, et cui proinde in hisce rebus S. C. merito plurimum deferre solet. Ceterum haud obstat quod et iam duplex adsit missa in unaquaque paroecia et ibidem non unicus extet presbyter: siquidem agitur de paroeciis, quorum populus a 5000 ad 18000 pertingit, ac idcirco impossibile plerumque foret ut duplici missae integer assisteret. Quae etiam ultro admisit S. C. in Castellaneten. diei 5 Martii elapsi anni, cum in paroecia 5000 fidelium frequenti facultatem binandi pro quarta missa concessit (1).

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii revisa sub die die 6 Maii 1893 censuit respondere: *Pro gratia ut in praefatis paroeciis, ubi duo tantum adsint Sacerdotes, alteruter binare possit ad decennium, excluso tamen quocumque in casu, ut quisque e Sacerdotibus tertiam missam celebrare possit.*

(1) Relata fuit Vol. XXIV, 734.

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

SYPONTINA seu CONFRATERNITATIS TERTII ORDINIS S. FRANCISCI.

IURIUM AC DEPENDENTIAE.

Die 10 Martii 1893.

Compendium facti. Archiepiscopus Sypontinus datis literis S. Congregationi Episcop. et Regul. sub die 19 et 27 Martii 1892 exponebat, in Ecclesia S. Mariae Gratiarum, adnexa suppresso Conventui Ordinis Minor. Observantium eiusdem civitatis, ineunte anno 1884 erectam fuisse Associationem saecularem Tertii Ordinis Franciscani a sacerdote professo eiusdem Ordinis Minor. Observant. Donato Del Vecchio, cui Municipium locale Ecclesiam in custodiam tradiderat. Circa finem anni 1884 Dioecesim sypontinam ingressus Archiepiscopus, habita notitia de praefata Associatione, decretum canonicae erectionis ipsius expostulavit; sed eius loco ei exhibitum fuit informe statutum Congregationis omnino discrepans a regula Tertii Ordinis Franciscani: hinc Societati approbatio denegata fuit.

Defuncto an. 1887 sacerdote regulari Del Vecchio, cum alius religiosus eiusdem Ordinis acciri non potuisset, tamquam rector Sodalitii in locum defuncti del Vecchio in posterum praepositus fuit nominatus ab ipsa Congregatione, plerumque canonicus Cathedralis de consensu ipsius Ordinarii. Deinde Archiepiscopus fusiori calamo plures querelas movet contra Sodalitium, sive quoad confratrum indefinitam adscriptionem, sive quoad eorum mores, cum plerumque adscripti sint iuvenes dissoluti et Ecclesiae praecepta spernentes, sive quoad Regulae neglectum, ut ut confratres praetendant in sui favorem Breve Pontificium. Sed praecipuum recursus punctum est, quod Confratres contra Archiepiscopi

prohibitionem sibi arrogent ius associandi cadavera defunctorum Confratrum sub propria cruce et nullimode dependere velint ab Archiepiscopi auctoritate: et adducit exemplum funebris associationis cuiusdam defunctae matris unius ex tertiariis, nam ad eius funera die 16 Martii 1892 celebrata, non obstante Ordinarii oppositione, Congregatio Tertii Ordinis cum cruce, nonnullis ex sodalibus cum habitu Sodalitii comitantibus, publice interfuit atque in coemeterio absolutionem ad tumulum, quovis absente sacerdote, impertiri ausa est. Exinde factum est ut die sequenti Archiepiscopus, auctoritate sua ordinaria et etiam qua Delegatus apostolicus, ad coercendam Sodalium Tertii Ordinis temeritatem in Ecclesia S. Mariae Gratiarum qualecumque ecclesiasticum officium interdixit, quod tamen interdictum; paulo post interventu R. P. Romualdi a Casalnuovo, Ministri Provincialis Ordinis Min. Obser. Delegati cessavit, atque a die 25 Martii celebrationem missae in praefata Ecclesia Ordinarius permisit.

E contra Procurator Generalis Ordinis Minor. Observ. cui literae Archiepiscopi recurrentis ablegatae fuerant, in suo voto nonnullis circumstantiis facti enarratis, alia ratione ac ab Archiepiscopo recurrente, sustinet praefato Sodalitio competere ius, elevata cruce, associandi cadavera confratrum ad coemeterium et praecedendi aliis Sodalitiis seu Confratertatibus; quoad dependentiam vero ipsum subiici non Archiepiscopo, sed Superioribus Ordinis Franciscani in eo quod spectat ad vestitionem, professionem, visitationem et regimen internum Associationis: hinc discussio trium infrascriptorum dubiorum.

Disceptatio Synoptica

Iura Sodalium Tertii Ordinis. — Procurator generalis, praemisso quod canonica erectio Sodalitii eruitur ex decreto P. Donati del Vecchio sub die 30 Iulii 1884, quo Associatio fundata fuit, contendit, controversiam quoad Sodales Tertii Ordinis associandi cadavera Confratrum ad coemeterium, iam

resolutam esse *in una Tricaricen. seu Ordinis Minor. Reformatorum* sub die 18 Martii 1887. Sane inibi ad 2^um^. dubium « *An et quomodo Confraternitas Tertii Ordinis defunctos Confratres associare, divinum officium recitare et cadaver ad coemeterium deferre debeat* ». Sacra Congregatio Episc. et Regul. respondit « *Affirmative in omnibus ad primam partem; ad secundam servetur Rituale Romanum* ».

Cuius decisionis ratio ex eo pendet quod Societas Tertii Ordinis particeps est naturae veri Ordinis Religiosi et consequenter pollere etiam debet iuribus et privilegiis Ordinibus religiosis competentibus. Praestat haeic transcribere verba Procuratoris generalis in suo voto – ibi – *quod Tertius Ordo non uti simplex Sodalitium, sed veluti Ordo Regularis a rr. pontificibus semper sit habitus, luculenter demonstrant tot Pontificiae Constitutiones quae hunc Ordinem nedum probavere, sed maximis exornarunt privilegiis. Quin necesse sit hic citare Honorium III, Gregor. IX, Nicolaum IV in sua Constitut. Supra Montem, Clementem V, Gregor. XI, Bened. XIII, qui expresse haec ait: Quum Tertius Ordo non sit proprie dicta Confraternitas, sed verus et proprius Ordo a quacumque Confraternitate omnimode distinctus... (Const. Paternae Sedis 34) aliosque b. m. Pontifices, nuperrimis hisce temporibus Sanctitas Sua mirabilem Encyclicam* Auspicato die *17 Septembris 1882 edidit de S. Francisco Assisiensi et de Tertio Ordine Franciscali propagando, ac anno sequenti, die scilicet 30 Maii 1883 Constit.* Misericors Dei Filius *promulgavit, in qua moderando legem Franciscalem Tertii Ordinis, Sanctitas Sua aperte declaravit « Quo facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur quam omnino volumus immutatam atque integram permanere* ».

Huic principio innixus Procurator generalis deducit, Sodalibus Tertii Ordinis competere etiam ius propriam elevandi crucem in associatione funerum Confratrum ad coemeterium et praecedendi ceteris Confraternitatibus saecularibus. Etenim si sodales Franciscales Tertiarii, ceu viri religiosi haberi debent, iuri etiam consentaneum esse debet, ut ii participes

sint de iisdem iuribus et privilegiis, quibus Regulares fruuntur. Atqui in comperto est, Regulares ius habere incedendi sub propria cruce in interventu ad funera, ceu aperte liquet ex *una Raven. seu Ordinis Minor. Reformat. Super interventu ad funera,* et pressius in *una Caven. et Pernen. Funerum et emolumentorum,* in qua ad dubium – *An Regulares cum stola et cruce propria usque ad sepulchrum procedere valeant, vel potius utramque, dum per paroecias transeunt, deponere debeant,* Sacra Congregatio EE. et RR. rescripsit « *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, sine pompa et recto tramite* ». Hinc Procurator generalis concludit, primum dubium affirmativo responso dimittendum.

Quoad secundum, nempe quoad praecedentiam Tertiariorum super ceteris Confraternitatibus, missis aliis argumentis, Procurator generalis contendit, controversiam iam esse resolutam ex duabus decisionibus S. Rituum Congregationis. Sane in prima diei 2 Iunii 1887 proposito dubio – « *An coetus Confratrum T. O. penes ecclesiam Minor. Reformat. existens in loco vulgo dicto S. Bartholomaei in Galdo, intra fines dioecesis Lucerinae, praecedentiam haberet super ceteras loci Confraternitates, etiam Archiconfraternitatem a SS. Sacramento nuncupatam,* rescriptuum fuit : *Praecedentiam spectare privative ad Confratres T. O.* » ; et in altera Magistrali diei 28 Maii 1838 Sacra Rituum Congregatio ita rescribere censuit « *Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum nec non declarationis S. C. Episcoporum et Regular. die 20 Septembris 1748 Tertiariis Franciscalibus, coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub propria cruce incedentibus ius inest praecedentiae super quascumque laicas Confraternitates* », quin Archiepiscopus ex adverso oggerat ex horum iurium exercitio iurgia et lites cum aliis Confraternitatibus in sua dioecesi antiquioribus existentibus exoriri, nam respondet Procurator generalis : « *Si Ordinarius, uti par est, praefatas S. Sedis decisiones prudenter et opportune manifestet, omnes lites praecaveri facile pote-*

runt, et ceterarum Confraternitatum Sodales, sicuti omnes veri nominis catholici, obedientiam praestabunt.

Tandem quoad dependentiam Tertiariorum Procurator generalis libenter admittit eos subiici debere iurisdictioni Ordinarii vel parochi. Tertiarii enim sicuti caeteri fideles Ordinariis subiacent, sed non in omnibus uti vellet Archiepiscopus. Si enim agatur de regimine et visitatione Congregationis Tertii Ordinis, in contrarium extat ipsamet Tertii Ordinis ratio et natura. Hinc in supra citata Constitut. *Misericors Dei Filius* quod spectat ad vestitionem et professionem, ad Congregationis regimen et visitationem regularem, haec omnia asseritur pertinere non ad locorum Ordinarios sed ad Superiores Ordinis. « *Visitatores* – ibi – *ex primo Franciscali Ordine vel ex Ordine Tertio Regulari legantur* » Cap. III § 3; et inferius § 6, loquendo de dispensatione vel commutatione praescriptionum regulae « *Cuius rei Praefectis Ordinariis Franciscalium et primi Ordinis et Tertii item et Visitatoribus supradictis facultas potestasque sit* ». Et id P. Procurator confirmari, ait, etiam ex literis Emi Cardinalis a Secretis Status sub die 22 Septembris datis ad omnes Italiae Episcopos, qui loquens de potestate regendi Tertiarios ita sese exprimit: « *Ordinaria facultas penes varias Franciscalium familias extat: ast ubi Franciscalium Conventus desunt, Rme Domine recurre ad Ministros Provinciales vel Generales Ordinis, ut huiusmodi necessitati prospiciant, sive aliquem religiosum ad ecclesias parochiales mittendo ut inibi fideles, si quid desiderant, ad Tertium Ordinem recipiant, vel ipsosmet parochos delegando, eisque opportunas facultates communicando* ». Quibus enucleatis P. Procurator, quoad iuris quaestionem ab Archiepiscopo propositam, rogat, ut responsum detur: *In decisis et amplius*. Si quae autem difficultates in futurum iterum oriantur easdem cum Ministro provinciali ex bono et aequo componere conetur, salvis semper iuribus cuique assignatis.

Quae militant contra Sodales Tertii Ordinis.– Ex altera vero parte Archiepiscopus refutatis nonnullis insinuationibus

P. Procuratoris, expendens decretum erectionis Sodalitii T.O. factae a P. Donato del Vecchio, quod Sodales praetendunt Romae obtentum, dum in civitate Sypontina datum est, ipsum reiicit ceu non genuinum, uti aperte desumi potest ex accurata analysi logica et grammaticali ipsius. Sed sit etiam genuinum: Sodalitii erectio traduci non poterit canonica et valida utpote facta a P. Del Vecchio, non uti Visitatore aut Delegato Ordinis, quod profecto necessarium fuisset, sed simpliciter uti Rectore memoratae ecclesiae Gratiarum, quem titulum habet ab auctoritate civili et non ab Ordine. Impugnato autem decreto erectionis Sodalitii, supervacaneum dicit disputare de eius iuribus et privilegiis.

Deinde pergit Archiepiscopus, cum Associatio T. O. iuxta P. Procuratorem sit verus Ordo religiosus distinctus ab alia quacumque laica Congregatione, Confratres ipsius modestiam et relativam paupertatem quoad exequias et expositionem cadaverum aggregatorum praeseferre deberent. Atqui Sodales Tertiarii Sypontini nullimode hoc praescriptum servant, siquidem functiones funebres in ipsorum Ecclesia magna pompa peraguntur, et tumulus splendide decoratur. Iuxta P. Procuratorem, ut Sodales fruantur privilegiis in exequiis et associatione funerum debent *incedere proprio habitu induti* et associatio fieri debet *sine pompa et recto tramite:* atqui haec omnia non sunt servata in funebri associatione 16 Martii 1892, superius in specie relata: nonnulli enim tantum Sodales aderant in habitu Tertiarii, dum plerique inter quos etiam aliqui non adscripti, in habitu laico incedebant, et funebris processio non sine pompa, sed musico concentu, non recto tramite, sed totam civitatem percurrens locum habuit. Quae cum ita se habeant, deducit Archiepiscopus, intelligi nequit, quomodo allata iura et theoriae P. Procuratoris concordari valeant cum ratione agendi Confratrum T. O. Sypontini.

Sed hisce omissis, Archiepiscopus, admittendo cum P. Procuratore quod in *abstracto et in potentia* dari possint certa iura et privilegia, quae tamen *in actu* ob speciales circumstantias exerceri nequeunt, observat quod ante Constitutio-

nes regnantis Pontificis plures Tertii Ordinis Associationes existebant fundatae in ecclesiis Franciscanorum, qui eas moderabantur; hae recognitae etiam ab auctoritate civili fruebantur iuribus et privilegiis Regularium, et in vim Regulae obligati erant ad cadavera associanda cum relativo iure elevandi crucem propriam: at non ita censeri potest de novis T. O. Associationibus, post relatas Constitutiones exortis: hae praeterquam quod recognitae non sunt a potestate laica, non reguntur a Regularium familiis quoad Confratrum adscriptiones et Regulae observantiam; hinc licet *in potentia* dici possint participes iurium et privilegiorum Regularium, tamen *in actu* seu quoad exercitium ipsorum iurium, Archiepiscopus putat tria prae oculis potissimum habenda esse: 1°. Generatim Regulam pro Tertio Ordine saeculari approbatam; 2°. Institutionem uniuscuiusque Associationis; 3°. Quocumque in casu consensum Ordinarii dioecesani.

Age vero, subdit Archiepiscopus, in § 14 Regulae statutae a Constit. *Misericors Dei Filius* 30 Maii 1883 pro novis Congregationibus Tertii Ordinis quoad funera Confratrum defunctorum habetur: « *Funeribus Confratrum defunctorum, Tertiarii loci et advenae, si inibi sint, se congregent et unitim recitent tertiam Rosarii partem in suffragium defuncti. Sacerdotes in missae litatione et laici, si possint, accedendo ad s. synaxim, defuncto Confratri pacem sempiternam exorent* ». Hinc ex Regulae praescriptione quoad funera argui nequit assertum ius associandi cadavera defunctorum ad coemeterium: neque pariter deduci potest ex modo quo associatio Tertii Ordinis instituta est. Siquidem P. Donatus Del Vecchio eam instituit tantummodo ad exercenda opera spiritualia et pro exercitio cultus religiosi in Ecclesia: de reclamato iure associandi Cadavera Confratrum ne vola quidem, ipso Del Vecchio vivente: quin imo, ipso demortuo, ipsius cadaver ad coemeterium translatum fuit non a Congregatione Tertii Ordinis, sed ab aliis Sodalitatibus. Si igitur obligatio associandi Cadavera ad coemeterium quoad Tertiarios Ecclesiae B. Mariae Virginis Gratiarum in civitate Sypontina de-

rivari nequit, neque ex Regulae praescriptione, neque ratione Institutionis, sed est res merae facultatis, iure merito, concludit Archiepiscopus, pro huius faculatis exercitio necessarius est consensus Ordinarii dioecesani: idque non solum ad praecavenda iurgia et lites inter Tertiarios et alias Confraternitates, quae utpote habent statuta ab auctoritate civili recognita arrogant sibi praecedentiam supra alias associationes, sed etiam ad servandum in debita obedientia Confratres Tertiarios et ad refraenandum independentiae spiritum, praesertim post ipsorum apertam rebellionem auctoritati Archiepiscopali: et rem confirmat exemplo vicini Episcopi, qui cuidam Associationi T. O., in sua dioecesi existenti, denegavit licentiam elevandi crucem et egrediendi extra ecclesiam, praecise ob rationes ordinis moralis nonnullorum Confratrum.

Denique Archiepiscopus relate ad totalem dependentiam quoad correctionem, visitationem et regimen Tertiariorum a Superiore regulari cum plena exemptione ab auctoritate Ordinarii invocata a P. Procuratore pro associationibus Tertii Ordinis, observat quod deficientibus Religiosis, qui sua praesentia respondeant de ordine et disciplina Tertiariorum, tum coram Ordinario, tum coram Ordine Regulari, impossibile est eumdem effectum obtineri posse per Directorem spiritualem sacerdotem saecularem Delegatum et dependentem ab Ordine regulari. Huius enim Superior cum longe absit a civitate Sypontina nullam vigilantiam et curam exercere valet supra Tertiarios, qui se iactant tamquam dominos in eorum ecclesia, quamcumque legitimam auctoritatem respuunt, et eorum Directorem habent ceu stipendio conductum et omnino ab ipsis dependentem uti abunde experientia constat. Ad arcenda igitur haec incommoda nulla alia suppetit ratio, iuxta Archiepiscopum, nisi ut decernatur plena Tertiariorum dependentia ab auctoritate ipsius.

Hisce utrimque cribratis, examini EE. PP. subiecta sunt sequentia

Dubia

I. *An et quomodo Sodalitas Tertii Ordinis saecularis Franciscani erecta in civitate Sypontina egredi possit extra ecclesiam ad associanda cadavera Confratrum et incedere sub propria cruce in casu.*

Et quatenus affirmative:

II. *An praefata Sodalitas praecedere possit aliis Confraternitatibus, iam existentibus in casu.*

III. *An et quomodo dicta Sodalitas dependere debeat a iurisdictione Archiepiscopi in casu.*

Resolutio. Sacra Congregatio Episcop. et Regular. die 10 Martii 1893, re sedulo perpensa, proposita dubia ita resolvit.

Ad I. *Affirmative cum proprio vexillo et brachiis cancellatis et habitu Ordinis pro adscriptis tantum, dummodo Societas vocata fuerit ex dispositione defuncti vel ab eius haerede, associationem ducente parocho e domo defuncti ad ecclesiam regularem vel ad coemeterium, quatenus in ecclesia regulari defunctus deponi non debeat.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative, exceptis iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant, iuxta decretum S. C. Indulg. die 31 Ianuarii 1893, et ad mentem: mens est « ut P. Generalis Franciscanorum praecipiat severe cui de iure, ut Sodalitas Franciscanorum Tertiariorum in civitate Sypontina restituatur seu ordinetur iuxta Constitutiones Pontificias: et curet, ut perpetuo servetur concordia inter Sodalitatem et Ordinarium ».*

Ex his colliges: I. Tertiarii Franciscales saeculares cum habeantur ceu Ordo Religiosus, etiam post recentes Pontificias Constitutiones, participant de iuribus et privilegiis Regularium, sub certis tamen conditionibus.

II. Hae conditiones quoad associationem funerum sunt, ut incedant cum proprio vexillo, brachiis cancellatis, proprio

habitu induti et cum interventu parochi usque ad ecclesiam tumulantem.

III. His servatis conditionibus, Sodalitas Tertiariorum Franciscalium pollet iure praecedentiae super quascumque laicas Confraternitates ad tramitem resolutionis S. Congregationis Rituum sub die 28 Maii 1886.

IV. Sodalitas Tertiariorum rite constituta non eximitur ab Ordinarii iurisdictione, nisi quoad disciplinam et directionem internam, in quibus pendet a Superiore Regulari, iuxta resolutionem S. Congregationis Indulgentiarum diei 31 Ianuarii 1893: ubi ad dubium III, nempe *utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium Ecclesiis* – rescripsit – *In his quae ad disciplinam et directionem internam spectant, negative: in reliquis affirmative:* sed tamen requiri ut sit rite constituta, seu ordinata iuxta Constitutiones Pontificias.

S. FLORI seu PARISIEN.

SOLUTIONIS ET REFECTIONIS DAMNORUM.

Die 10 Martii 1893.

Compendium facti. Ad exitum vergente mense Martio 1838 Abbas Sarrauste rector Orphanotrophii, ab ipso fundati an. 1868 *a Notre Dame de Quezac* in Gallia, plura apud Congregationem Episcop. et Regul. conquestus est contra Fratres Instituti seu Societatis S. Vincentii a Paulo. Ipse retulit, quod ex persecutione personali compulsus ad valedicendum administrationi Orphanotrophii, eam an. 1882 tradidit Superiori generali enunciatae Societatis, utpote quia Fratres praedicti, Orphanotrophium bene noscentes, etiam studuerant ad directionem habendam. Administratio et directio translata fuit ea lege, ut, casu eveniente quod ea non recte procederet, omnia in pristinum redirent in transferentem Abbatem. Acti-

vum Orphanotrophii constabat ex 30 hectaris fundorum, ex 30000 libel. in mobilibus valoribus et ex reditu annuo prope libell. 70000; pars vero passiva ex libellis 20000.

Elapsis vix quatuor annis ab huiusmodi translatione, administratio Orphanotrophii in pessum ivit: Sodales S. Vincentii a Paulo bona ipsius distraxerunt et secumtulerunt etiam sacras suppellectiles Cappellae Instituti. Contra hanc Fratrum agendi rationem abbas Sarrauste apud praefatam S. Congregationem instetit pro restitutione et compensatione damnorum ad tramitem peractae conventionis.

Super hac quaestione exquisita est prius relatio seu informatio Episcopi S. Flori et deinde Archiepiscopi Parisiensis (Parisiis enim adest domus mater Societatis S. Vincentii a Paulo) qui etiam postulavit et transmisit sententiam R.P.D. D'Hulst Praesidis Consilii vulgo *Comité de Patronage* instituti ad quaerenda subsidia Orphanotrophii Domini Sarrauste. Quibus habitis una cum deductionibus Superioris generalis Societatis S. Vincentii a Paulo, Sacra Congregatio die 1 Februarii 1889 rescripsit — *Placere de concordia* — ad compositionem inter partes tractandam delegans Archiepiscopum Parisiensem una cum Episcopo S. Flori. Qua in irritum cessa, quaestio sub inferius posita dubitandi formula, delata est ad plenarium auditorium EE. Patrum, exquisito tamen prius a S. Congregatione voto unius ex suis consultoribus, cuius summa haec est.

Disceptatio Synoptica

Votum Consultoris. Consultor antequam suas edat conclusiones in tria capita elucubrationem dispescit, in quorum primo perstringit ea quae militant pro Abbate Serrauste, in secundo quae pro Societate Fratrum s.Vincentii a Paulo, et in tertio demum expendit tertium examen. Primam partem aggrediens recolit, in iure contractum esse privatam legem quae contrahentes ad eius implementum ita ligat, ut, ea non adimpleta, obligatio exoriatur in conscientia ad restitutionem

et compensationem damnorum. Id in iure certissimum. Sed in themate dubium versari circa existentiam onerosi contractus inter Dominum Serrauste et Fratres S. Vincentii de Paulo. Quod dubium summoveri posset ex eo, quod fundator Orphanotrophii abbas Serrauste id cathegorice affirmat: qui sacerdos cum sit incapax mentiendi, ipsis adversariis consentientibus, eius assertionibus crelendum omnino est.

Sed seposita etiam existentia contractus onerosi, iuxta Consultorem, Fratres cogi possent ad restitutionem et resarcienda damna ceu iniusti damnificatores. Fratres enim, cum Iustituti administratio male verteret, pluries ab Abbate Serrauste edocti sunt, ut pium opus non destruerent, eius directionem invertendo; qui tamen Abbatis monitiones imo et reclamationes nihili fecerunt. Hinc si Institutum pessumdatum est, id repetendum a Fratrum mala fide, proindeque omne damnum ipsis imputabile. Hucusque dicta eruuntur facili ratione ex relatione Domini Serrauste Sacrae Congregationi Episc. et Regul. die 31 Martii 1888 exhibita. Haec quae Consultor perhibet pro Abbatis defensione.

Pergens deinde Consultor ad secundum punctum, nempe ad protuenda iura Fratrum S. Vincentii, coarguit de falsitate insinuationem Abbatis Sarrauste, quod praefati Sodales studuerint seu adlaboraverint ad habendam Instituti administrationem. Haec siquidem eis concredita fuit, non ab adversario Sarrauste sed a Comitatu Patronatus uti demonstrant literae Comitatus, et ipse etiam Sarrauste non diffitetur. Similiter Consultor dicit impugnari posse contractus onerosi sive verbalis sive scripti existentiam. Constituta enim fuit anonima societas quoad bona instituti Orphanorum ex duobus membris Consilii administrationis et quinque sodalibus S. Vincentii, sed nullum pactum inter hos et Consilium administrationis intercessit, sicuti numquam extiterat inter ipsos et fundatorem Sarrauste.

Neque ipsis imputari fas est ruina Instituti. Siquidem cum istius administratio male verteret potissimum ex persecutione et contradictione sacerdotis Sarrauste et ex aliis cau-

sis, Fratres cogitarunt de ea resignanda Consilio administrationis, quod acceptare noluit: sed urgentibus Fratribus, eo quia expensae introitum excedebant, tandem Consilium administrationis, omnibus aliis mediis exhaustis, compulsum est ad Instituti liquidationem, quae omnibus prudentiae regulis locum habuit. Hinc cum in Fratribus nulla culpa theologica neque levissima deprehendi posset, nullimode traduci possunt ceu iniusti damnificatorés.

Exaggeratum seu amplificatum fuisse dicit Consultor statum activum et passivum administrationis, quando ea transiit in Fratres S. Vincentii: asseritur annuos introitus Orphanotrofii ascendere ad libellas 70000, dum e contra constat ex libris rationum quod non excedant libellas 8400. Renunciatur passivum in libellis 20000, at ex inventario constat immobiliare debitum esse in libell. 27000. Accusantur fratres de ablatione pretiosarum suppellectilium Cappellae, dum Inventarium probat has non extitisse.

Quoad iudicium arbitramentale ab Abbate Sarrauste propositum Consultor tradit merito Sodales S. Vincentii illud respuisse. Fratres enim Institutum a Consilio administrationis acceperant quod facto et verbis eorum gestionem approbaverat, hinc nulla relatio iuridica interesse poterat cum Abbate Sarrauste. Haec et alia elucubrans Consultor desumpta ex memoriali Superioris generalis Societatis S. Vincentii a Paulo, concludit ipsi plenam fidem habendam esse, utpote quia Superioris assertiones factis et documentis ineluctabilibus fulciuntur.

Expendens tertium punctum quoad examen testium consultor observat, eos reduci ad Episcopum S. Flori, ad Emum Archiepiscopum Parisiensem et ad R. P. D. D'Hulst. Iam vero primi duo testes neque favent Abbati Sarrauste, neque adversantur Sodalibus S. Vincentii. Potius consultor insistendum esse dicit in tertio teste cuius testimonium in praesenti controversia haberi potest ceu perentorium 1. ob testis qualitates personales, publice notas et omni exceptione maiores; 2. quia Dominus D'Hulst Praeses erat Consilii administra-

tionis Orphanotrophii, hinc bene informatus; 3. quia Archiepiscopus Parisiensis in transmittendo S. Congregationi Domini D'Hulst votum una cum aliis documentis, ait, facile ex ipso resolvi posse controversiam.

Age vero Praesul D'Hulst relationem et conclusiones Superioris Generalis Fratrum S. Vincentii examini subiiciens contendit, eas veras esse et admittendas. Purgat vero in specie Sodales a mala fide in gestione directionis Orphanotrophii, in quo impenderunt de proprio 40000 libellas: hinc accusatio facta ab Abbate Sarrauste habenda est potius ceu odiosa insinuatio. Non impugnat ipsius honestatem et bonam fidem, sed potius arbitratur Orphanotrophii ruinam derivasse ex ratione, qua ipsum fundatum fuit et ex peregrinis ideis quas Sarrauste circa ipsum habuit. Proinde eius destructio deploranda quidem est, sed nullimode fieri potest locus iudiciariae actioni aut arbitrali sententiae.

His aliisque in suo voto enucleatis, Consultor concludit Sodales s. Vincentii a Paulo nullo pacto cogi posse ad petitam restitutionem et compensationem damnorum.

Hoc habito voto, in generali Emorum Patrum Conventu suppositum fuit enodandum

Dubium

An et quomodo Fratres S. Vincentii a Paulo teneantur ad restitutionem summarum a sacerdote Sarrauste petitarum et ad compensationem damnorum in casu?

Resolutio. Sacra Congregatio Episcop. et Regular. die 10 Martii 1893 rescripsit: *Negative in omnibus et amplius.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM, quo conceditur indulgentia *Centum* dierum recitantibus iaculatoriam precem in honorem SSmi Cordis Iesu.

Bmo Padre

La Nobil Donna Giuseppina Merry del Val, caldamente desiderando di veder esteso per quanto è possibile l'amore verso il Smo cuore di Gesù, prostrata al bacio del S. Piede supplica la S. V. che voglia concedere una qualche Indulgenza da lucrarsi da tutti i fedeli che divotamente reciteranno la seguente giaculatoria:

«Cor Iesu flagrans amore nostri,
«Inflamma cor nostrum amore tui.»

Che della grazia ecc.

Beatissime Pater

Nobilis Mulier Iosephina Merry del Val, valde cupiens, ut, quoad fieri potest amor augeatur erga SS. Cor Iesu, humiliter provoluta ad pedes S.V. orat, ut concedere dignetur aliquam Indulgentiam omnibus fidelibus, qui devote recitaverint iaculatoriam precem sequentem:

«Cor Iesu flagrans amore nostri,
«Inflamma cor nostrum amore tui.»

Et Deus.

SSmus Dnus Noster Leo Papa XIII in audientia habita die 16 Iulii 1893 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito, ac devote recitantibus supradictam iaculatoriam precem, indulgentiam *Centum* dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in *perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congnis die 16 Iulii 1893.

FR. IGNATIUS CARD. PERSICO *Praef.*

L. ✠ S.

† ALEXANDER ARCHIEP. NICOPOLIT. *Secret.*

APPENDIX III.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii, 8 Iulii 1891.—Vic. Ap. Nyanz.—Dubia quoad usum privilegii paulini.

1. Vir fidelis mulierem infidelem in ipsius viri infidelitate ductam habet, quae quidem vult converti, sed nullo modo cum eo habitare consentit. Quaer. I. An vir uti privilegio Paulino, et, facta interpellatione de cohabitandi voluntate, ad alias nuptias transire possit.— II. An talis vir, si sit adhuc catechumenus, possit ad baptismum admitti et tunc privilegio uti.

2. Mulier catechumena cuiusdam fidelis, quam iste in sua propria infidelitate duxit, ab eo per vim ablata est, ita ut nulla spes eam redimendi vel recuperandi affulgeat. Mulier quidem vult converti, et vellet quidem cum eo cohabitare, sed nec religionem colere, nec cohabitare potest. Quaer. I. an talis fidelis privilegio Paulino uti possit, et aliam uxorem ducere, ne scilicet caelebs manere cogatur.— II. Si ipse eam vendidit, et nullo modo eam redimere potest, an item privilegio uti possit.

R. Ad 1. Affirmative ad utramque partem dummodo uxor in infidelitate permaneat.

Ad 2. – Ad I. Quatenus prima uxor in infidelitate permaneat, permitti posse viro ut matrimonio cum secunda muliere coniungatur. – Ad II. Quatenus uxorem vendiderit ante baptismum, affirmative.

S. C. S. Officii 10 Decembris 1885 — Dubia quoad matrimonia in impubertate contracta.

1. Quando coniuges in infidelitate relicti matrimonio nondum consummato fidem amplecti nolunt, matrimonia eorum in impubertate contracta, haberine poterunt tamquam mera sponsalia de futuro pro coniuge ad fidem converso?

2. Quando contrahentes neophyti puberes sunt, ad eorumdem matrimonium dissolvendum requirituine duplex aut nulla interpellatio vel sufficit unica, utrum videlicet velint baptizari?

R. Ad 1. Dummodo constet nullum fuisse impedimentum iuris naturalis vel divini, et praesertim contrahentes verum consensum praestitisse, non esse sponsalia, sed vera matrimonia.

Ad 2. Quatenus huiusmodi matrimonia probentur irrita ob aliquod impedimentum iuris naturalis vel divini, et praesertim ob defectum veri consensus, non esse locum interpellationi. Secus interpellationem esse faciendam an velit baptizari; et quatenus negative, an saltem velit cohabitare absque iniuria Creatoris. In casibus autem particularibus, si occurrat gravis difficultas, recurrat ad S. Sedem.

S. C. S. Officii 15 Ianuarii 1874 — Dubium quoad matrimonium clandestinum Vic. Apost. Sutchuensis.

Quando fideles baptizati matrimonium inire volunt, et missionarius praesens est, tunc coram ipso contrahunt, et benedictionem solemnem recipiunt. Si vero longe absens sit, vel non detur loci aut temporis opportunitas, cum Concilium Tridentinum his in partibus publicatum non fuerit, indifferenter omnibus permittitur, modo alias non sit impedimentum, coram christianis praesentibus inter se contrahere. Missionario autem reduce, nec renovatur consensus, saltem sub conditione, nec ordinarie ipsis impertitur benedictio.

R. Non esse inquietandos fideles qui, missionario longe absente, matrimonia ineunt in Sinis coram christianis tantum, cum neque Tridentini lex publicata ibidem fuerit: hinc vera esse matrimonia, ideoque indissolubilia, quae in locis Sinarum contrahuntur solo contrahentium mutuo consensu, ab anno usque 1665 declaratum est; et, etiamsi promulgata ea lex foret, valere matrimonia in presentia duorum testium tantum, quoties in loco ubi matrimonium contrahitur, vel in vicino, ad quem sine periculo accedi possit, parochus vel alius sacerdos saecularis vel regularis non existat ab Episcopo deputatus, haec pariter Apostolica Sedes pluries interrogata responderit. Ceterum, ne Sacramenti dignitas vilescat, voluit Sanctitas Sua adhortandos fideles ut missionario reduci sistant, ab eoque benedictionem petant, praevia tamen facta declaratione a missionario, benedictionem huiusmodi ad validitatem matrimonii nequaquam pertinere.

Ex Instr. S. C. S. Officii 6 Iulii 1817.
(ad Praef. Mission. Martinicae, Guadalupae etc.) De matrimoniis clandestinis.

In medium afferemus theologorum, canonistarum opinionem, multiplices S. C. Concilii resolutiones, recentem denique Pii fel. rec. Papae VI decisionem, in eius epistola in forma Brevis, Episcopo Lucionensi in Galliis directa die 28 Maii 1793 quae incipit *Perlectae sunt* § 3. in quibus ponitur legem tridentinam, quoad suum effectum, suspensam remanere etiam quoad illa loca, in quibus fuit publicata, atque in observantia servata, quoties aut non amplius observari potest, aut non observari potest quia pericula et obstacula insuperabilia, aut superatu difficilia offendantur: idque accidit, quando aut parochi desunt, aut facilis ad eosdem, et tutus non patet accessus.

Hisce tamen in casibus coniugatorum dispositio se praesentandi cum primum licuerit, proprio parocho, seu vices eius obtinenti, ut nuptialem benedictionem consequantur, laudari meretur, non quidem ea de causa, quod haec pro validitate ipsorum matrimonii, iam valide in eius absentia contracti, necessaria sit, sed potius, ut gratis et peculiaria auxilia sacro huic ritui adnexa, consequantur, atque, statim ac valent, eoque modo quo valent, satisfaciant Ecclesiae praecepto, implorandi a proprio sacerdote earum nuptiarum benedictionem, quae sine ipso iam antea initae valide fuerunt.

Neque supervacaneum erit hic memorare etiam ante Tridentini irrita matrimonia clandestina reddentis decretum, matrimoniorum sine parocho et testibus celebrationem illicitam atque peccato obnoxiam fuisse. Id enim perspicue non solum ex ipso Tridentini Decreto (de reform. Matrim. Sess. XXIV) colligitur, verum etiam a quamplurimis priorum Patrum Ecclesiaeque Doctorum testimoniis, a quibusdam Conciliorum generalium, provincialiumque sanctionibus, atque ab illis praesertim Conciliorum Lateranensium III et IV nec non Londinensis, et Toletani (1); a responsis Nicolai I ad consulta Bulgarorum etc. Quamobrem illis in locis, ad quae Tridentini lex haud extenditur, seu quia minime publicata fuerit, aut in desuetudinem abierit, vel quod observatu impossibilis, aut difficilis fuerit, matrimonium quidem, non servata conciliari forma, irritum et nullum non est, illicitum tamen atque culpabile erit ob actualem Ecclesiae legis (quando haec facile servari potest) violationem, aut ob actualem ad eam violandam comparationem, respectu ad eos, qui ipsius observandae, ubi opportunitas aderit, animum minime habent.

(1) Ap. Drouen *De Re Sacramentaria.*

Hinc factum est, ut S. haec Congregatio in instructione, quam anno 1780 ad vicarium Apostolicum Sutchuen. transmisit, cum consensus renovationem ante proprium sacerdotem haud necessariam esse declaravit, quoties matrimonium extra eius praesentiam valide contractum fuisset, simul tamen adiecerit « voluisse Sanctitatem Suam adhor» tandos esse fideles ut mansionario reduci se sistant, ab eoque bene» dictionem petant, praevia tamen declaratione a missionario facienda, » benedictionem huiusmodi ad matimonii validitatem neutiquam per» tinere ».

Non itaque fundamento caret opinio P. Francisci a Brenno, qui eos haud absolutionis capaces esse propugnat qui nuptias coram parocho, ad accipiendam ab ipso nuptialem benedictionem, inire recusant, licet sine illo, illiusque benedictione valide contrahere valeant, adeoque tali pacto se prave ad recipiendam sacramentalem absolutionem dispositos ostendunt ob eam, quam gerunt obtemperandi Ecclesiae voluntatem, et quidem, ut ille ait, *in re gravissima,* unde concludit « Nolentes autem » Ecclesiae obtemperare, nedum sacramentali absolutione incapaces sunt, » utpote prava affecti voluntate, verum etiam, ut ethnici et publicani » ab Ecclesia merentur omnino repelli, iuxta Christi Domini oraculum » Matth. 18 ».

Ex Instr. S. C. S. Officii 14 Decembris 1859. — Ad Archiep. S. Francisci Lex tridentina de matrim. clandestinis localis et personalis est.

Lex tridentina de clandestinis matrimoniis debet sane in unaquaque paroecia promulgari iuxta illius censuram, sed facta semel promulgatione, eiusque observantia permanente, lex territorium afficit, et adaequate loquendo, localem et personalem esse in confesso est apud omnes: quatenus localis afficit territorium, eosque qui ibi matrimonio iungendi sunt obligat; quatenus vero personalis est, obligat qui domicilium vel quasi domicilium habentes in loco ubi tridentinum decretum promulgatum est et viget, in altero ubi illud non viget contrahere vellent. Neque ex facta in posterum praedicti territorii divisione, vel in eadem aliarum paroeciarum partes divisae, vel recens erecta paroecia, a lege iam territorium possidente liberae renunciari possent. Item ex continuata observantia decreti Tridentini, iustissime argui legitimam illius promulgationem, communis similiter sententia est.

Litt. Ap. Pii PP. VIII 25 Martii 1830 (ad Archiep. Colonien. et ad Epp. Treviren., Paderbonen. et Monasterien.) — Ex litteris Pii Papae VIII super matrimoniis mixtis.

Litteris altero abhinc anno ad Leonem XII. cl. me. Praedecessorem Nostrum datis diligenter, Ven. Fratres, exposuistis arduum, in quo versamini, discrimen propterea quod civili lege isthic ante paucos annos lata praescriptum est, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educentur, simulque sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem. Et ipsi quidem vel ex eo tempore participes fuimus summi moeroris, quo idem optimus Pontifex affectus est ob angustias has vestras, quas hae literae plenius explicabant. Sed graviori adhuc molestia nunc angimur, quum humilitati nostrae inscrutabili Dei iudicio reservatum est vobis responsa reddere, quae Praedecessor Noster praebere morte praeventus non potuit. Siquidem S. huic Sedi prorsus non licet illa omnia praetermittere, quae in istis regionibus ad eius legis executionem postulari significastis. Verum duo sunt, quae haud parum nos recreant, videlicet vestrum pariter et sacerdotum, qui sub vobis sunt, pro doctrina ecclesiae tuendae servandisque illius regulis studium, quod praedictis quoque ad Leonem XII litteris demonstrastis, ac Serenissimi Borussiae Regis indulgentia, qui, ut pariter innuistis, ipse auctor quodammodo vobis fuit, ut Apostolicae Sedi huic integrum verum statum ingenue explicantes, illam super anxietatibus vestris consuleretis: hinc enim merito confidimus non modo vos rescriptis hisce nostris plane obsequuturos, sed ipsam quoque Serenissimi Regis Maiestatem vobis non succensuram, si eidem in rebus civilibus ex animo obsecundantes, in eis tamen, quae non civiles Matrimonii effectus, sed ipsam attingunt Matrimonii eiusdem sanctitatem, et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras religionis catholicae regulas custodiatis. Itaque ad rem propius veniendo, haud nobis opus est, ut Fraternitates Vestras sacra omni doctrina peritissimas edoceamus quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias Ecclesiae ratio sit. Ergo ignotum vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum *deformitatis,* et spiritualis periculi praeseferunt, abhorrere; atque idcirco Ap. hanc Sedem summo semper costantique studio curasse, ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quod si Romani Pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnunquam dispensasse in-

veniuntur, id profecto graves ob causas, et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adiicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab achatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam, ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, VV. FF., ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales, divinaeque leges sarctae tectae habeantur, quandoquidem exploratum est catholicas personas seu viros, seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam, gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde iam intelligistis, nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contrahendas illa a vobis aut a parochis vestrarum dioecesium fieri assentiremur per quae, si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur. Quare nos summopere commendantes zelum illum vestrum quo catholicos vestrae curae commissos a connubiis mixtis avertere hactenus adlaborastis, enixe in Domino exhortamur, ut posthac pariter in idipsum sedulo incumbatis in *omni patientia et doctrina,* horum deinde laborum copiosa in coelis mercedem accepturi. Iuxta haec igitur quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab Episcopo seu a parocho edocenda erit quaenam circa huiusmodi nuptias canonum sententia sit, serieque admonenda de gravi scelere quo apud Deum rea fiet, si eos violare praesumat: et maxime opportunum erit eamdem adhortari, ut meminerit firmissimum illud nostrae religionis dogma quod – extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest: – proindeque agnoscat se in filios, quos a Deo expectat, iam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salubria monita erunt etiam, prout prudentia suggesserit, iteranda, eo praesertim tempore quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur utrum alia sint, quae illis obstent impedimenta canonica. Quod si nonnullis in casibus paterna huiusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a catholica eadem persona, censuris in illam nominatim expessis, corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicae mala obveniant: sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis

actu, quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda, praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum) ut audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio, actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus, et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo. — Sequitur iam ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint catholico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita Nobis censuimus statuendum: ut avertantur, quoad fieri poterit, scandala quae ex huiusmodi nuptiis oriri denunciastis; itemque, ut catholici illi, qui in coniunctione vivunt eo modo inita facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus poenitentiae lacrymis expiandum; denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Iam vero ad coniunctiones quod attinet, quae isthic usque ad praesens tempus sine parochi praesentia initae sunt, Nos brevi delegabimus Fraternitatibus Vestris necessarias facultates, quarum vi, malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi valeatis. Nunc autem per Nostras has litteras volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac (a die videlicet 25 Martii 1830) in vestris dioecesibus contrahi contingat, non servata forma a Tridentino Concilio praescripta, si eisdem nullum aliud obstat canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur, prout Nos auctoritate Nostra Apostolica, matrimonia eadem vera et rata fore declaramus atque decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Quocirca catholicae personae quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt ipsas verum et ratum coniugium inivisse. Insuper Pastorum officium erit, catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere *in charitate Dei et patientia Christi,* ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant, suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam. Post haec supervacaneum ducimus, VV. Fratres, vos excitare, ut attendatis quanta prudentia hisce in casibus agendum sit, ne catholicae religioni creetur invidia: quandoquidem Fraternitates Vestras id probe novisse comper-

tum nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a Vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant catholicos sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regias leges non propter servilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant *etc.* (1).

Sanctus D. N. Pius d. p. Papa VIII. ad Archiep. Colonien. atque ad EE. Trevirensem, Paderbonensem, et Monasteriensem rescribens per litteras datas die 25 Martii 1830 eis iam significavit, quam magno moerore affectus ipse sit ob graves angustias in quibus illos versari cognoverat, propterea quod civilis lex in eorum regionibus anno 1825 lata statuerit, ut proles utriusque sexus ex matrimoniis mixtis orta, in religione patris aut certe ad eius arbitrium educetur, et sacerdotibus interdixerit, ne a personis connubia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa futurae prolis educatione sponsionem. Non enim potuit Sanctitas Sua ullo modo declinare a constante illo studio, quo Sedes Apostolica semper advigilavit, ut sacri canones qui mixtas huiusmodi nuptias deformitatis et spiritualis periculi plenas severe prohibent, religiose custodirentur. Multo autem minus declinare potuit a ssmo illo Sedis eiusdem instituto, per quod Romani Pontifices, quum interdum (aegre scilicet, et graves tantum ob causas) matrimonia huiusmodi permitterent, suis dispensationibus adiicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eo coniugio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Cum enim non ecclesiastica solum, sed naturalis ac divina prorsus lex vetet, ne homo in nuptiis contrahendis se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committat; exinde sane manifestum est memoratas omnes cautiones idcirco adhiberi, ut naturalis eadem divinaque lex sarta tecta habeatur. Quare Sanctitas Sua debitis prosequens laudibus praedictos Antistites pro pastorali zelo, quo catholicos suae curae concreditos avertere conati sunt a nuptiarum foedere illicite cum acatholicis coniungendo, illos enixe in Domino adhortata est, ut posthac quoque in idipsum sedulo, prudenterque adlaborent; simul vero, et nonulla iisdem literis praescripsit, quae Episcoporum eorumdem molestiis leniendis profutura viderentur, quaeque pertinerent ad catholicos in illicita illa connubia prolabentes, ad meliora consilia atque ad salutarem poenitentiam facilius reducendos. At-

(1) Instructio recentior super mixtis matrimoniis relata fuit VI. 456.

que una declaravit, magnam se erigi in spem non modo Episcopos Pontificiis illis rescriptis religiose obsequuturos, sed ipsum quoque Serenissimum Regem pro sua aequitate, et erga catholicos sibi subditos indulgentia, haud aegre laturum, si animarum pastores Maiestati Suae in civilibus rebus ex animo obsecundantes, in hoc tamen negotio, quod ipsam attingit matrimonii sanctitatem, et religiosa coniugum officia respicit, sacras religionis catholicae regulas observent.

Quam utramque spem nunc etiam magnopere fovet Summus Pontifex dum hac instructione supradictis quatuor Episcopis nunciari vult alia nonnulla, quae circa eamdem rem indulgenda aut toleranda decrevit. Et primo quidem ad matrimonia quod attinet, quae in quatuor dioecesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbonensi et Monasteriensi hucusque inita sunt praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, iam SSmus Dñus Noster suis illis ad Episcopos literis indicavit, se eisdem delegaturum facultates idoneas, ut possint malis exinde ortis, magna saltem ex parte, mederi. Nimirum Summus Pontifex memor Vicarium se esse Iesu Christi, qui *venit quaerere et salvum facere quod perierat,* ad infelicem respexit illorum catholicorum conditionem, qui in coniugio viventes coram Deo et Ecclesia irrito, sed coram civilibus loci legibus valido, in magna redeundi ad bonam frugem difficultate versantur, et misericordia erga eos motus, ipsis aperire decrevit faciliorem viam ad poenitentiam. Itaque Archiepiscopo Coloniensi, et Episcopis Trevirensi, Paderbonensi, et Monasteriensi per hanc instructionem significatur, Sanctitatem Suam augere illos auctoritate necessaria et opportuna, cuius vi unusquisque illorum tamquam Delegatus Apostolicae Sedis possit in sua dioecesi confirmare, atque etiam *in radice sanare* nuptias usque ad diem receptionis praesentis instructionis initas inter unam partem catholicam, et alteram acatholicam, quae irritae idcirco sunt, quod in iis contrahendis servata non fuerit forma a Tridentino Concilio praescripta. Et quoniam nonnullae ex mixtis nuptiis hucusque contractis irritae item sunt propter alia, quae iisdem obstabant, canonica impedimenta: ideo SSmus Dnus Noster plenam ipsis quatuor Episcopis addit potestatem, qua eorum quisque tamquam Sedis Apostolicae Delegatus ab impedimentis illis in sua dioecesi valeat dispensare, dummodo scilicet de iis agatur impedimentis, a quibus Apostolica Sedes ob graves causas dispensare iam solet; et dummodo dispensatio ipsa pertineat ad sananda coniugia mixta, itidem usque ad praesens tempus contracta. Quam quidem auctoritatis vim eo libentius Sanctitas Sua eisdem Episcopis delegat, quod praeclaram de illorum virtute opinionem fovet, planeque confidit ipsos potestate tam ampla prudentissime usuros. Et

praeterea Summus Pontifex declarat Episcopos eosdem illa omni potestate uti posse etiam per alios idoneos ecclesiasticos viros a se speciatim subdelegandos. Nonnulla tamen sunt ad eius auctoritatis usum spectantia, de quibus Sanctitas Sua Episcopos, eorumque subdelegatos admoneri mandavit. Porro scilicet, ut in singulis casibus perspiciant, an matrimonium, quod irritum erat, instaurari valeat nova per utramque partem consensus significatione, ea scilicet significatione, quae debito modo fiat, et cui cautiones praecedant, quae pro coniugiis mixtis a Sede Apostolica exigi consueverunt. Et hanc quidem consensus renovationem tunc ipsi procurent, quando, omnibus specialis cuiusque casus adiunctis diligenter perpensis, nullum gravioris mali periculum fore censuerint in ea re postulanda, et perficienda; contra vero si gravia ea mala fuisse metuenda esse cognoscant, licebit eisdem matrimonium sanare in radice. Secundo ut quoties in casibus huiusmodi matrimonium sanent in radice, admonere omnino teneantur catholicam partem de gravitate sceleris ab ipsa patrati, eique salutarem pro eodem peccato poenitentiam imponere, atque imprimis adhortari illam in Domino, ut suis obligationibus sedulo satisfaciat, et praesertim quae catholicam filiorum utriusque sexus educationem respicit. Tertio ut Episcopi et eorum subdelegati abstineant ab iis nuptiis imprudenter confirmandis, quae coram civili lege brevi dissolvendae praevideantur per sententiam laici magistratus, divortium inter partes pronunciantem. Et haec quidem SSmus Dominus N. indulgenda decrevit ad catholicos, qui in praedictis quatuor dioecesibus illicita simul et irrita coniugia ad praesens usque tempus cum acatholicis contraxerunt, in viam salutis facilius revocandos. Idem vero indulgentiae modus nequaquam adhiberi debet erga illos, qui futuro tempore nuptias mixtas et irritas inire ausi fuerint, quandoquidem ex ipsa facilis remedii spe animum plures sumerent ad peccandum. Caeterum S. S. in litteris ad eosdam Episcopos datis, quae supra memoratae sunt, iam declaravit matrimonia mixta in praedictis quatuor dioecesibus in posterum (videlicet a die 25 Martii 1830) ineunda, vera et rata matrimonia fore quamvis praeter formam contraherentur, a Tridentino Concilio praescriptam, dummodo tamen nullum aliud eis obstaret canonicum dirimens impedimentum. Novit equidem Summus Pontifex molestias illas gravissimas, in quibus quatuor illi Episcopi in praesentia versantur, ex eo etiam oriri, quod catholici quidem insano amore turpiter dementati nuptias contrahere optant cum acatholicis sibi coniunctis, et sacerdotes vexant eisdem ea in re connivere abnuentes. Adhuc tamen S. S. Antistites ipsos in Domino adhortatur, ut illorum improbitati suam in pastoralibus officiis constantiam opponant; quin imo,

et eosdem ad saniora satagant consilia revocare. Quod si aliquo in casu paternis hisce sacrorum Pastorum studiis in irritum cadentibus, catholica persona a proposito coniugii cum acatholico sibi propinquo ineundi, removeri non possit et impedimentum, cuius relaxatio postulatur pro nuptiis valide contrahendis, pertineat solummodo ad remotiores gradus, videlicet ad tertium aut quartum gradum sive consanguinitatis, sive affinitatis, vel ad cognationem spiritualem (illa tamen excepta quae inter levantem, et levatum intercedit), vel tandem ad publicam honestatem ex sponsalibus ortam: tunc Episcopum ipsum considerare oportebit, utrum iusta atque urgens sit concedendae dispensationis causa, et talis illa scilicet, ut non privatorum hominum dumtaxat, sed publicam ipsam religionis catholicae rationem spectet, atque una oportebit illum implorare fervidis precibus lumen Spiritus Sancti, ut deinde in re tanti momenti id consilii capiat, quod magis in Domino expedire censuerit. Iam vero si quis ex quatuor Episcopis saepe memoratis, eadem illa causae gravitate permotus, ab aliquo praedictorum graduum (non tamen ab aliis gradibus nec ab alio quovis impedimento) ad contrahendas nuptias mixtas dispensaverit, hoc sane Summus Pontifex nullo unquam suo actu probaturus est: tolerabit tamen invito quidem, seu patienti animo, dummodo dispensatio huiusmodi ab Episcopo data fuerit intra tempus mox explicandum, aliisque servatis quae pariter modo declarabuntur. Nimirum 1. cum facultates aliae quas Sedes Apostolica Episcopis iisdem delegare iam consuevit pro matrimoniis inter catholicos ineundis ad quinquennii tempus definitae sint, declarat Sanctitas Sua, praedictam quoque tolerantiam ad quinquennium solummodo ab hac die 27 Martii 1830 inchoandum duraturam: et ita quidem, ut quum deinde facultates illae, quae pro matrimoniis inter catholicos delegari solitae sunt, ad aliud rursus quinquennium concedentur; non tamen idcirco tolerantia haec prorogata censeri valeat, nisi ipsa quoque novo actu, verbisque expressis fuerit repetita. Insuper 2. decrevit etiam SSmus D. N. quoties pro matrimonio mixto dispensatio petatur in gradibus eadem tolerantia comprehensis, Episcopus concedere illam nequeat nisi postquam catholicam partem edocuerit, quaenam circa mixtas huiusmodi nuptias canonum sententia sit, et illam paterne ac sedulo adhortatus fuerit ad eosdem religiose custodiendos, monueritque imprimis de gravissimo scelere, quo apud Deum rea fiet, si nuptias huiusmodi contrahere audeat, non praemissa eisdem idonea cautione de liberis utriusque sexus in religionis catholicae sanctitate omnino educandis. 3. Atque si aliquo in casu, (quod Deus avertat) contigerit, ut Episcopus qui instructione monitisque huiusmodi nihil profecerit ad catholicam

ipsam partem ab improbo suo consilio retrahendam, necessitati cedendum iudicet et dispensationem a se tribuendam, quamvis idonea illa de liberis catholice educandis cautio non interveniat; statuit Sanctitas Sua, ut tum quoque Episcopus ipse dispensare non possit, nisi per diploma scriptum, seu per litteras catholicae eidem parti tradendas, ubi perspicuis verbis denuncietur impedimentum, quod nuptiis obstat: idcirco tantum eo in casu relaxari ne graviora scandala eveniant, ac proinde matrimonium quidem fore verum et ratum, sed tamen peccaturam gravissime catholicam partem, quae illud contrahat contra regulas catholicae religionis. Porro cum deinde eaedem nuptiae illicita hac ratione contrahentur, non modo abstinendum erit ab ecclesiastico quovis ritu nuptiis ipsis admiscendo, sed etiam a quocumque alio actu, quo sacerdos approbare illas videtur, quemadmodum in supradictis S. Suae literis praescriptum est. Post haec Sanctitas Sua ad Crucifixi pedes provoluta protestatur se ad tolerantiam praedictam ea dumtaxat de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora religioni catholicae incommoda obveniant. Ceterum tolerantia eadem Episcopum satis in conscientia tutum faciet, si tamen ipse id gesserit quod implorato S. Spiritus lumine censuerit in Domino expedire, et cetera omnia quae dicta sunt religiose servaverit. Postremo S. Sua Episcopos monet, enixeque in Domino obtestatur, ut videant etiam atque etiam ne ex huiusmodi ipsorum ratione erga homines mixta connubia illicita contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum matrimonia ista detestantium et constantissimi studii quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere satagit ab eisdem in suarum animarum perniciem ineundis. Hinc Episcoporum, aliorumque, qui sub illis sunt, sacrorum pastorum officium erit flagrantiori in posterum zelo in id incumbere ut in catholicis eorum curae commissis, tum privatim tum publice instruendis, doctrinam et leges Ecclesiae ad connubia eadem pertinentes, prudenter simul, et sedulo commemorent, earumque custodiam inculcent.

Ex Instr. S. C. S. Officii 16 Sept. 1824 (ad Ep. Quebecen.). — Dubium de matrimonio mulieris infidelis cum viro haeretico quoad baptismum recipiendum.

Dubium 5. Mulier infidelis viro haeretico nupta ad Baptismum admitti postulat. Non obstat maritus quominus illud recipiat, et catholicam religionem profiteatur, at ipso catholicum fieri nolente. Quaeritur quomodo se gerere debeat missionarius catholicus: An baptizando mulierem permittere ut cum viro isto haeretico coram ministro acatholico matri-

monium contrahat? An ei denegando baptismum ansam dare ut illum ab haeretico ministro recipiat? An ipsam baptizare et matrimonium iungere cum viro haeretico, quod evidenter implicat communicationem in divinis?

R.... Ad 5. Missionarius in proposito casu edocere debet mulierem de nullitate prioris matrimonii in infidelitate initi cum viro haeretico, qui utpote per Baptismum Ecclesiae legibus subiectus, impedimento detinebatur disparitatis cultus, et si recte dispositam reperit, eam potest ad baptismum admittere, cum qua etiam ab habente facultatem dispensari potest, ad hoc ut, post baptismum, cum eodem haeretico viro, si nihil aliud obstet, licite nubere valeat. Nam quoad matrimonii validitatem, valide iam illud contraheret in provinciis Quebecensi et Canadensi ob extensionem Benedictinae declarationis die 4 Novembris 1741, factam a Clemente XIII. Nihil autem impedire dignoscitur quominus praefatae mulieri baptismum licite conferri queat, cum, ut exponitur, catholicam ipsa profiteri velit, ipsomet viro id ei annuente, religionem. Sicuti nec urgens deesset causa cum ea dispensandi, ut viro haeretico nubat, quotiescumque foret ex denegata dispensatione prudenter pertimescendum ne ea vel a suscipiendo baptismate averteretur, vel illud reciperet a ministro acatholico, coram quo et matrimonium pariter iniret; quod nullo pacto permitti debet. Vetitum autem non esset catholico parocho huiusmodi assistere matrimonio. Vi enim concessionis dispensationis Apostolicae licitum illud evaderet, ideoque et licita parochi praesentia. Verum, ut monet Benedictus XIV. *De Syn. Dioec. lib. 6. cap. 5 §. 4,* iis in locis atque regionibus ubi huiusmodi matrimonia (catholicorum scilicet cum haereticis) aliquando contrahi permittuntur, expedit omnino ut Episcopus ad tuendum Ecclesiae decorem, ritus in eorumdem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat. Atque in primis prae oculis habeat Episcopus, ac, prouti fieri potest, servari curet praxim S. Sedis, regulasque ab ea praescribi solitas cum ob graves causas in huiusmodi matrimoniis, dispensat, nimirum: ut matrimonium coram parocho et testibus celebretur extra ecclesiam, et omissa nuptiali benedictione, omnique ritu sacro; ut pars catholica gravissime moneatur de obligatione quam habet, quaeque nunquam ei cessat, curandi conversionem coniugis et educationem prolis utriusque sexus in catholica religione; ac demum ut catholica prolis educatio etiam in pactum iuramento firmatum deducatur.

Instr. S. C. S. Officii 17 Februarii 1864 — quoad matrimonia mixta.

Non latet quibusdam in locis haereticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo se sistere solent coniuges aut etiam debent ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti coniuges prolesque censeatur legitima. Tunc vero, urgentibus haereticis, aut lege civili imperante, non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistant ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto, ad actum civilem dumtaxat implendum. Etenim ad dubium olim sic expressum: « Utrum catholicus coram proprio catholico parocho cum haeretico contrahens licite possit, urgentibus haereticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici professio habeatur aut colligatur, et quidquid minister haereticus in casu agit, civilis dumtaxat et politica postulatio sit et censeatur; » per hanc s. Congregationem responsum fuit: *Affirmative.*

Verum enim vero quotiescumque minister haereticus censeatur veluti sacris addictus, et quasi parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare, eo quia adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, et pars catholica ritui haeretico se consociaret; unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio. Ea propter etsi perniciosa haec consuetudo inoleverit, ita ut a clero de facili corrigi non possit; nihilo tamen secius omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane Benedictus XIV. aperte docet non licere contrahentibus se sistere coram ministro haeretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris, et contrahentes peccare mortaliter, et esse monendos.

« Opportune itaque a Te instructi et commoniti parochi ac missionarii edoceant fideles, qua publicis in ecclesiis catechesibus, qua privatis instructionibus circa constantem Ecclesiae doctrinam et praxim, ita ut a mixtis contrahendis nuptiis, quoad fieri possit, salubriter avertantur; sin autem, abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram haeretico ministro sacris addicto, id quod omnimode illicitum et sacrilegum est. » Ita responsum fuit Ordinario Trevirensi sub fer. IV. 21 Aprilis 1847.

Sciant insuper parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse, sed mo-

nere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris in quas incurrunt. Verumtamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nec ne adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adiunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum: tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, nec non de universa prole in religione catholica educanda. Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam praestitus iam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur: parochus huic matrimonio non intererit nisi, servatis uti supponitur ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit. Sacra igitur Congregatio plurimum in Domino confidit, Te praemissis prudenter et firmiter inhaerentem effecturum, ut inviolabilis doctrinae sartum tectum servetur depositum, catholicorum mores fidei respondeant, damna apprehensa arceantur, ac fideles doctrina et exemplo roborati incedant per semitas iustitiae.

Ita per Decretum datum in generali Congregatione Emorum ac Rmorum DD. S. R. E. Cardinalium in rebus fidei Generalium Inquisitorum Feriae IV die 17 Februarii 1864.

Ex Litt. encycl. S. C. S. Officii 7 Iunii 1867.
Ad Episcopos Angliae et Stat. Foederat. Americae Septemptrionalis
De indiciis ad probandum quasi domicilium.

Saepe ad hanc Sedem Apostolicam delatae sunt controversiae de illorum matrimoniis, qui, cum pertineant ad loca, in quibus publicatum est decretum Concilii Tridentini de clandestinitate, ad locum se conferunt in quo illud publicatum non est, ut liberius ibi possint maritali foedere coniungi citra illas difficultates, quibus in patria praepediuntur. Inde et gravissimae de validitate quaestiones, et gravissima simul incommoda oriri solent, quae non modo incertum tenent sacrorum Antistitum animum in iudicando, verum etiam pastoralem eorumdem zelum vehementer commovent....

Certum quidem est, perrara ea fore matrimonia, de quibus hic agitur, si canonicae praescriptiones de quasi domicilio ab iis qui e loco profecti, ubi lex tridentina de clandestinitate viget, ad eum pergunt ubi non viget, diligenter accurateque servari contingeret. Perspectum enim tibi exploratumque est quod a S Congregatione Concilii iampridem definitum et summi Pontifici Urbani VIII auctoritate confirmatum est in Brevi quod incipit *Exponi nobis,* et rogatu Archiepiscopi Coloniensis editum fuit die 14 Augusti anno 1627. Iuxta ea quae in hoc decreto sanciuntur, qui domicilium habent et retinent in loco ubi Tridentina lex viget, nequeunt valide matrimonium inire in loco ubi non viget, nisi ibi nedum habitationem sed etiam vere domicilium fixerint, quo fraudem, si quae intercesserit, purgare omnino debeant. Ad constituendum vero quasi domicilium quod in hisce casibus necessario adipiscendum est, duo haec simul requiruntur, habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per maiorem anni partem. Quapropter si legitime constet, vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die quo duo haec simul concurrunt, nimirum et huiusmodi animus et actualis habitatio, iudicandum est quasi domicilium acquisitum fuisse, et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum. Verumtamen si de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum est, quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant. In re autem occulta et interna difficile est huiusmodi indicia habere quae iudicem securum faciant: inde est quod adhiberi maxime debet regula a summo Pontifice Benedicto XIV. confirmata, ut inspiciatur utrum ante matrimonium spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur, censendum est ex praesumptione iuris intentionem permanendi per maiorem anni partem extitisse, et quasi domicilium fuisse acquisitum, proindeque matrimonium esse validum. At si praesumptio haec iuris, quae ex menstrua habitatione oritur, contrariis elidatur probationibus, quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo pacto extitisse, tunc profecto contrarium proferri debere iudicium manifestum est, quia praesumptio cedere debet veritati. Praeterea manifestum quoque est, actualem habitationem ineptam esse ad quasi domicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis quemadmodum scilicet ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent.

LITTERAE ENCYCLICAE Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII ad Patriarchas Primates Archiepiscopos Episcopos universos catholici orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.

De Studiis Scripturae Sacrae

Providentissimus Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo hominibus revelatae, *ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem* (1). Quae *supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem,* continetur tum *in sine scripto traditionibus,* tum etiam *in libris scriptis,* qui appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* (2). Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia : eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur (3), eamdemque esse oracula et eloquia divina (4), litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas (5). Iam, tanta quum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur, eam quoque partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur, excellentiae

(1) Conc. Vat. *sess.* III. *cap.* II, *de revel.*
(2) *Ibid.*
(3) S. Aug. *de civ. Dei* XI, 3.
(4) S. Clem. Rom. I, ad Cor. 45; S. Policarp, ad Phil. 7; S. Iren. *c. haer.* II, 28, 2.
(5) S. Chrys. *in Gen. hom.* 2, 2; S. Aug. *in Ps.* XXX. *serm.* 2, 1; S. Greg. M. ad Theod. *ep.* IV, 31.

et utilitatis esse quam maximae. — Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo, ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant.

Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, praeter ipsius praestantiam atque obsequium verbo Dei debitum, praecipua causa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore certissimo Spiritu Sancto : *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (1). Tali sane consilio scripturas a Deo esse datas hominibus, exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum. Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem (2) », ad sacras Lit-

(1) II Tim. III, 26-17.
(2) S. Aug. *de util. cred.* XIV. 32.

teras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit: nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam; earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit. — Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum* (1), magnam tamen efficacitatem ex divinis traxerunt Libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis veteris Testamenti fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Ioannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur, epistolis; luculentissime vero ex eius testimonio qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis postea diceret confidenter, *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo* (2) ». — Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint divinae Litterae, et quo ipsi studio qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nan catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior praedicatio. De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quae in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus, « ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi (3) » : ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur. Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio, natura, munera, charismata eius tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa pro ea tam-

(1) Act. XIV, 3.
(2) S. Hier. *de studio Script.* ad Paulin. *ep.* LIII, 3.
(3) *In Is. Prol.*

que firma prompta sunt argumenta, idem ut Hieronymus verissime edixerit: « Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiae (1) ». Quod si de vitae morumque conformatione et disciplina quaeratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici: plena sanctitatis praescripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia: gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, praemiorum in aeternitatem promissio, denunciatio poenarum.

Atque haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille, *non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa* (2). Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei (3), eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* (4). Quamquam, hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit diserteque arguit (5), atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt.

Quae omnia SS. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium (6), vel

(1) *In Is.* LIV, 12.
(2) I Thess. I, 5.
(3) Ierem. XXIII, 29.
(4) Hebr. IV, 12.
(5) *De doctr. chr.* IV, 6, 7.
(6) S. Chrys. *in Gen. hom.* 21, 2; *hom.* 60. 3; S. Aug. *de discipl. chr.* 2.

perennes fontes salutis (1), vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur (2). Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum : « Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur ; disce quod doceas..... sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit » (3) ; convenitque sententia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiae descripsit munera : « Necesse est, inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant » (4). — Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere, « Verbi Dei inanem esse forinsecus praedicatorem, qui non sit intus auditor » (5), eumque ipsum Gregorium sacris concionatoribus praecipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant » (6). Sed hoc iam, ab exemplo et documento Christi, qui *coepit facere et docere,* vox apostolica late praemonuerat, non unum allocuta Thimotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato : *Attende tibi et doctrinae, insta in illis ; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (7). Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris Litteris praesto sunt adiumenta, copiosius in Psalmis celebrata ; iis tamen, qui ad divina eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est ; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissimas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper eiusdem Spiritus « indigemus adventu » (8), hoc est lumine et gratia eius : quae sane, ut divini Psaltae frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda.

Praeclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiae, quae, *ne caelestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus*

(1) S. Athan. *ep. fest.* 39.
(2) S. Aug. *serm.* 26, 24; S. Ambr. *in Ps.* CXVIII, *serm.* 19. 2.
(3) S. Hier. *de vit. cleric.* ad Nepot.
(4) S. Greg. M., *Regul. past.* II, 11 *(al. 22) Moral.* XVIII, 26 *(al. 14).*
(5) S. Aug. *serm.* 179, 1.
(6) S. Greg. M., *Regul. past.* III, 24 *(al. 48).*
(7) I Tim. IV, 16.
(8) S. Hier. in *Mic.* 1,10.

Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret (1), optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam: diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit (2). Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis. — In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, iuvat commemorare quemadmodum a religionis christianae initiis, quotquot sanctitate vitae rerumque divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Iustinum et Irenaeum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere. Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea iure ea sit appellata. — Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et immenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui huius disciplinae fines amplificarunt: ita, inter excellentiores tulit Alexandria Clementem, Cyrillum; Palaestina Eusebium, Cyrillum alterum: Cappadocia Basilium Magnum, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum; Antiochia Ioannem illum Chrysostomum, in quo huius peritia doctrinae cum summa eloquentia certavit. Neque id praeclare minus apud occidentales. In multis qui se

(1) Conc. Trid. *sess.* v, *decret. de reform.* 1.
(2) *Ibid.* 1-2.

admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii Magnorum; clarissima Augustini et Hieronymi: quorum alter mire acutus extitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconiō Ecclesiae est honestatus. — Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, operâ praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent diligere, eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorumdem integritati novis curis consulere ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt. — Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt: in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt. — Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum*. Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti; cuiusque pondus in re theologica perpensum; definitae librorum partes, argumenta partium; investigata scriptorum proposita; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio: quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria; quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam. — Postquam vero Clemens V decessor Noster Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius homines nostri in nativo Bibliorum codice et in exemplari latino elaborare coeperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim

quam brevi aetatis spatio multiplicata praelo sacra exemplaria, *vulgata* praecipue, catholicum orbem quasi compleverint: adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina. — Neque praetereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicae bonum provenerit: qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas maiorum opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsecuti saeculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum aetas propemodum rediisse visa est. Nec enim quisquam ignorat, Nobisque est memoratu iucundum, decessores Nostros, a Pio IV ad Clementem VIII, auctores fuisse ut insignes illae editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatae et Alexandrinae; quae deinde, Sixti V eiusdemque Clementis iussu et auctoritate, emissae, in communi usu versantur. Per eadem autem tempora, notum est, quum versiones alias Bibliorum antiquas, tum polyglottas Antuerpiensem et Parisiensem, diligentissime esse editas, sincerae investigandae sententiae peraptas: nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iisdem rebus quaestionem, quae non multorum ingenia fecundissime exercuerit: quos inter non pauci, iique studiosiores SS. Patrum, nomen sibi fecere eximium. Neque, ex illa demum aetate, desiderata est nostrorum sollertia; quum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, sacrasque Litteras contra *rationalismi* commenta, ex philologia et finitimis disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint. — Haec omnia qui probe ut oportet considerent, dabunt profecto, Ecclesiam, nec ullo unquam providentiae modo defuisse, quo divinae Scripturae fontes in filios suos salutariter derivaret, atque illud praesidium, in quo divinitus ad eiusdem tutelam decusque locata est, retinuisse perpetuo omnique studiorum ope exornasse, ut nullis externorum hominum incitamentis eguerit, egeat.

Iam postulat a Nobis instituti consilii ratio, ut quae his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere. — Scilicet, ut antea

cum iis praecipue res fuit qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei; ita nunc est cum Rationalistis, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram, omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta: illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mithos quosdam: evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda. — Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum Librorum veritatem putant convelli, tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam *scientiae liberae,* obtrudunt: quae tamen adeo incerta ipsimet habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et suppleant. Quum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et praedicent, non desunt ex iis qui theologi et christiani et evangelici haberi velint, et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem. His addunt sese consiliorum participes adiutoresque e ceteris disciplinis non pauci, quos eadem revelatarum rerum intolerantia ad oppugnationem Bibliorum similiter trahit. Satis autem deplorare non possumus, quam latius in dies acriusque haec oppugnatio geratur. Geritur in eruditos et graves homines, quamquam illi non ita difficulter sibi possunt cavere; at maxime contra indoctorum vulgus omni consilio et arte infensi hostes nituntur. Libris, libellis, diariis exitiale virus infundunt; id concionibus, id sermonibus insinuant; omnia iam pervasere, et multas tenent, abstractas ab Ecclesiae tutela, adolescentium scholas, ubi credulas mollesque mentes ad contemptionem Scripturae, per ludibrium etiam et scurriles iocos, depravant misere. — Ista sunt, Venerabiles Fratres, quae commune pastorale studium permoveant, incendant; ita ut huic novae *falsi nominis scientiae* (1) antiqua illa et vera opponatur,

(1) I Tim. VI, 20.

quam a Christo per Apostolos accepit Ecclesia, atque in dimicatione tanta idonei defensores Scripturae sacrae exurgant.

Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causâ, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti: ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excepturi. Iuverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimae spei, theologiae spatium laudate emensis, nonnullos divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cuiusdam studii aliquandiu facultate. Ita delecti institutique doctores, commissum munus adeant fidenter; in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placeat. — Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant, ut iudicium in eis, aptum pariter Libris divinis tuendis atque arripiendae ex ipsis sententiae, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus *de introductione,* ut loquuntur, *biblica,* ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda. Quae quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adiutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, quum tota continenter tractatio Scripturae reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescat. — Exinde in fructuosiorem huius doctrinae partem, quae de interpretatione est, perstudiose incumbet praeceptoris opera; unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias in profectum religionis et pietatis convertat. Intelligimus equidem, enarrari in scholis Scripturas omnes, nec per amplitudinem rei, nec per tempus licere. Verumtamen, quoniam certa opus est via interpretationis utiliter expediendae, utrumque magister prudens devitet incommodum, vel eorum qui de singulis libris cursim delibandum praebent, vel eorum qui in certa unius parte immoderatius consistunt. Si enim in plerisque scholis adeo non poterit obtineri, quod in Academiis maioribus, ut unus aut alter liber continuatione quadam et ubertate exponatur, at magnopere

efficiendum est, ut librorum partes ad interpretandum selectae tractationem habeant convenienter plenam: quo veluti specimine allecti discipuli et edocti, cetera ipsi perlegant adamentque in omni vita. Is porro, retinens instituta maiorum, exemplar in hoc sumet versionem vulgatam; quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit (1), atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio praecedentis linguae », suasore Augustino, proficiet (2). Iamvero per se liquet, quam multum nativitatis ad haec adhiberi oporteat, quum demum sit « commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretetur, exponere (3) ». — Post expensam, ubi opus sit, omni industria lectionem, tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae. Primum autem consilium est, ut probata communiter intrepretandi praescripta tanto experrectiore observentur cura quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur: cauto tamen, ne istiusmodi quaestionibus plus temporis tribuatur et operae quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam adiumenti. — Ex hoc, tutus erit gradus ad usum divinae Scripturae in re theologica. Quo in genere animadvertisse oportet, ad ceteras difficultatis causas, quae in quibusvis antiquorum libris intelligendis fere occurrunt, proprias aliquas in Libris sacris accedere. Eorum enim verbis auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et re conditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae

(1) *Sess.* IV, *decr. de edit. et usu sacr. libror.*
(2) *De doctr. chr.* III, 4.
(3) S. Hier. ad Pammach.

leges indicare videantur: alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit. Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit (1): Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio Ss. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam sanctus docuit Irenaeus (2): cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, *hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarun sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari* (3). — Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coërcet; sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis. Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia,

(1) S. Hier. ad Paulin. *de studio Script. ep.* LIII. 4.

(2) *C. haer.* IV, 26, 5.

(3) *Sess.* III, *cap.* II, *de revel.*: *cf.* Conc. Trid. *sess.* IV, *decr. de edit. et usu sacr. libror.*

quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis novi Testamenti, aut per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu, *sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio* (1), eâdem ipse ratione interpretetur; atque ex adiumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae hermeneuticae leges, posse recte probari. In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda : nam, quum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur. — Huius igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit Ss. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum. Id sane inculcat Hieronymus (2), multumque Augustinus, qui, iusta cum querela, « Si unaquaeque disciplina, inquit, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere! (3). » Id ipsum sensere et exemplo confirmavere ceteri Patres, qui « divinarum Scripturarum intelligentiam, non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat (4) ». — Iamvero Ss. Patrum, quibus « post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit (5) », summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes : nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce

(1) Conc. Vat. *sess.* III, *cap.* III, *de fide.*
(2) *Ibid.* 6. 7.
(3) Ad Honorat. *de utilit. cred.* XVII, 35.
(4) Rufin. *Hist. eccl.* II, 9.
(5) S. Aug. c. Iulian. II, 10, 37.

de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu. — Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere (1); quae praeceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descendant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti. — Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis (2), incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam re-

(1) *De Gen. ad litt.* I. VIII, c. 7, 13.

(2) Cfr. Clem. Alex. *Strom.* VII, 16; Orig. *de princ.* IV, 8; *in levit. hom.* 4, 8; Tertull. *de praescr.* 15, *seqq.*; S. Hilar. Pict. *in Matth.* 13, 1.

periri, neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae, non medullam attingunt, sed corticem rodunt (1).

Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima : ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt. Nam quae obiectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, ex divinis potissime Litteris studuerunt asserere et stabilire ; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquirere. Neque id cuiquam fuerit mirum qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est iuvenes in Academiis et scholis ita praecipue exerceri, ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta: « Non enim accipit (theologia) sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis ». Quae sacrae doctrinae tradendae ratio praeceptorem commendatoremque habet theologorum principem, Aquinatem (2): qui praeterea, ex hac bene perspecta christianae theologiae indole, docuit quemadmodum possit theologus sua ipsa principia, si qui ea forte impugnent, tueri : « Argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae Scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem (3) ». — Providendum igitur, ut ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur iuvenes; ne iustam frustrentur spem, neu, quod deterius est, er-

(1) S. Greg. M. *Moral.* xx, 9. (al. 11).
(2) *Summ. theol.* p. I, q. I, a. 5 ad 2.
(3) *Ibid.* a. 8.

roris discrimen incaute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparataeque specie eruditionis. Erunt autem optime comparati, si, quâ Nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, philosophiae et theologiae institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent, quum in re biblica, tum in ea theologiae parte quam *positivam* nominant, in utraque laetissime progressuri.

Doctrinam catholicam legitima et solerti sacrorum Bibliorum interpretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est; altera tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur. Quod quidem nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiae; quae *per se ipsam, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* (1). Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in auctoritate etiam sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est: quibus ex libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur. Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti praecipue armatura Dei, quam suadet Apostolus (2), neque vero ad nova hostium arma et praelia insueti. Quod pulcre in sacerdotum officiis sic recenset Chrysostomus: « Ingens adhibendum est studium ut *Christi verbum habitet in nobis abundanter* (3): neque enim ad unum pugnae genus parati esse debemus, sed multiplex est bellum et varii sunt hostes; neque iisdem omnes utuntur armis, neque uno tantum modo nobiscum congredi moliuntur. Quare opus est, ut is qui cum omnibus congressurus est, omnium machinas artesque cognitas habeat, ut idem sit sagittarius et funditor, tribunus et manipuli ductor, dux et miles, pedes et

(1) Conc. Vat. *sess.* III, c. III. *de fide.*
(2) Eph. VI, 13, *seqq.*
(3) *Cfr.* Col. III, 16.

eques, navalis ac muralis pugnae peritus: nisi enim omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam partem, si sola negligatur, praedonibus suis immissis, oves diripere (1) ». Fallacias hostium artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus: iam, quibus presidiis ad defensionem nitendum, commoneamus. — Est primum in studio linguarum veterum orientalium simulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, eâ clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum; nam ipse *omnia omnibus* (2) fieri debet, paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in ipso est spe* (3). Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis, quod iam in multis receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur. — Hos autem ipsos, eiusdem rei gratiâ, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina: perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant: illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur: inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla

(1) *De sacerd.* IV. 4.
(2) I Cor. IX, 22.
(3) I Petr. III, 15.

doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae: inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur. — Congrediendum secundo loco cum iis, qui suâ physicorum scientia abusi sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quae quidem insimulationes quum res attingant sensibus obiectas, eo periculosiores accidunt, manantes in vulgus, maxime in deditam litteris iuventutem; quae, semel reverentiam divinae revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem eius fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura doctrinam, quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse ad elementa sane philosophiae evellenda corrumpendosque mores, teneris animis perverse infusam. Quapropter Scripturae sacrae doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat. — Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant (1) ». Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata: « Quidquid, inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium: quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, idest catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum (2) ». De cuius aequitate regulae in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura (3) »; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare

(1) *In Gen. op. imperf.* IX, 30.
(2) *De Gen. ad litt.* I, 21, 41.
(3) S. Aug. *ib.* II, 9, 20.

aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter apparent (1) », seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more. — Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis », ut est S. Thomae sententia (2). Qui et alio loco prudentissime habet: « Mihi videtur tutius esse, huiusmodi, quae philosophi communiter senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur (3) ». Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminus disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas. Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri. Dolendum enim, multos esse qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magni ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris Li-

(1) *Summa theol.* p. I, q. LXX, a. 1 ad 3.
(2) *In Sent.* II, dist. II, q. I, a. 3.
(3) *Opusc.* X.

bris deprehendant; ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio: qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque eâ probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum: fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps; cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae: at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. — Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, solemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum: *Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati; sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem* (1). Quare nihil admodum refert,

(1) *Sess.* III, *c.* II. *de revel.*

Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere Ss. Patres: « Itaque, ait Augustinus, quum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt (1) »: pronunciatque S. Gregorius M: « Quis haec scripserit, valde supervacanee quaeritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator extitit (2). ». Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe quae idem Augustinus ad Hieronymum scripsit: « Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam (3) ».

(2) *De consensu Evangel.* l. I, c. 35.
(3) *Praef. in Iob*, n. 2.
(1) *Ep.* LXXXII, 1. *et crebrius alibi.*

At vero omni graviorum artium instrumento pro sanctitate Bibliorum plene perfecteque contendere, multo id maius est, quam ut a sola interpretum et theologorum sollertia aequum sit expectari. Eodem optandum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio, Eclesiae deest; atque utinam eo amplius in fidei subsidium augescat. Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios; neque res ulla est quae magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liberrime profiteantur qui in laudata aliqua praestent facultate. Quin facile etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter iam traducere illi audebunt inimicam scientiae, fidem, quum viderint a viris scientiae laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhiberi. — Quoniam igitur tantum ii possunt religioni importare commodi, quibus cum catholicae professionis gratia felicem indolem ingenii benignum Numen impertiit, ideo in hac accerrima agitatione studiorum quae Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus, in quo aliquando excellentes, obiecta in illas improbae scientiae tela, non sine gloria, repellant. — Quo loco gratum est illud pro merito comprobare nonnullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possit unde huiusmodi studia omni adiumentorum copia pertractent et provehant, coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et peropportuna temporibus pecuniae collocandae ratio. Quo enim catholicis minus praesidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusioremque patere decet privatorum liberalitatem; ut quibus a Deo aucti sunt divitiis, eas ad tutandum revelatae ipsius doctrinae thesaurum velint convertere. — Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis, quae supra a Nobis praefinita sunt; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem: nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theologorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturae locus,

de quo disceptetur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum resideat; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse: neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere: item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies; sed « veritas manet et invalescit in aeternum (1) ». Quare, sicut nemo sibi arrogaverit ut omnem recte intelligat Scripturam, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est Augustinus (2), ita, si quid inciderit difficilius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem temperationemque eiusdem Doctoris: « Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando, a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere (3) ». Consilia et iussa Nostra si probe verecundeque erunt secuti qui subsidiaria haec studia profitentur, si et scribendo et docendo studiorum fructus dirigant ad hostes veritatis redarguendos, ad fidei damna in iuventute praecavenda, tum demum laetari poterunt dignâ se opera sacris Litteris inservire, eamque rei catholicae opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis iure sibi Ecclesia pollicetur.

Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae de studiis Scripturae sacrae pro opportunitate monenda et praecipienda, aspirante Deo, censuimus. Iam sit vestrum curare, ut qua par est religione custodiantur et observentur: sic ut debita Deo gratia, de communicatis humano generi eloquiis sapientiae suae, testatius eniteat, optataeque utilitates redundent, maxime ad sacrae iuventutis institutionem, quae tanta est cura Nostra et spes Ecclesiae. Auctoritate nimirum et hortatione date alacres operam, ut in Seminariis atque in Academiis quae parent ditioni vestrae, haec studia iusto in honore consistant vigeantque. Integre feliciterque

(2) III Esdr. 4. 38.
(3) Ad Ianuar. *ep.* LV, 21.
(4) *De doctr. chr.* III, 9, 18.

vigeant, moderatrice Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla Ss. Patrum laudatamque maiorum consuetudinem: atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant quae vere sint in praesidium et gloriam catholicae veritatis, natae divinitus ad perennem populorum salutem. — Omnes denique alumnos et administros Ecclesiae paterna caritate admonemus, ut ad sacras Litteras adeant summo semper affectu reverentiae et pietatis: nequaquam enim ipsarum intelligentia salutariter ut opus est patere potest, nisi remotâ scientiae *terrenae* arrogantia, studioque sancte excitato eius *quae desursum est* sapientiae. Cuius in disciplinam semel admissa mens, atque inde illustrata et roborata, mire valebit ut etiam humanae scientiae, quae sunt fraudes, dignoscat et vitet, qui sunt solidi fructus percipiat et ad aeterna referat: inde potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amoris spiritu vehementiore contendet: *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum* (1).

Iam divini auxilii spe freti et pastorali studio vestro confisi, Apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem Nostraeque singularis benevolentiae testem, vobis omnibus, universoque Clero et populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII novembris anno MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri sextodecimo.

LEO PP. XIII.

(1) Ps. XVIII, 2.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

AUGUSTODUNEN.

MATRIMONII.

Die 15 Iulii 1893.

Sess. 24 cap. 5 De refor. matrim.

Compendium facti. Alexander Chaullet ex oppido Saint Yrieix Lemovicensis dioecesis oriundus, cum Augustoduni ut stipendia faceret degeret, et famuli (ordinanza) munere apud suae legionis ducem fungeretur, puellam quandam vix sexdecim annos natam, cui nomen Ioanna Machin, quae una cum matre famulatum penes alium eiusdem legionis ducem praestabat, cognovit, atque tanto amore prosequutus est, ut illam in uxorem ducere statuerit, ac a matre petierit. Sed Ioanna, quae, ut videtur, alium militem iam diligebat, Alexandri precibus restitit: adeo ut hic cum armorum cursum explevisset, omni spe amissa puellae animum sibi conciliandi, Augustodunum dereliquerit, atque in suam patriam reversus sit.

At vero Ioannae mater, cui valde arridebat hoc filiae matrimonium cum Alexandro iniri, sategit ut filia consilium mutaret, et animum ad Alexandrum adiiceret. Puella vero, post quatuor vel quinque menses de mutato sui animi proposito Alexandrum edocuit, et ad nuptias invitavit. Hic libentissime invitationem excepit, Augustodunum rediit, ibique domicilium constituit, et post quinque dies, nempe die 4 Decembris 1886, optatum coniugium rite cum Ioanna contraxit.

Verum statim initi matrimonii eum poenituit. Ioanna enim ipsa nuptiarum die (ut fertur) Alexandro declaravit se matris vexationibus ad matrimonium adactam, neque illum unquam amavisse, neque in posterum amaturam fore. Quin imo quamvis eodem lectulo una cum Alexandro accumberet,

nihilominus neque blanditiis neque vi unquam adduci potuisse fertur, ut coniugale debitum viro suo redderet.

Quod certum, identidem virum fugiens ad matrem se recipere consuevit: usquedum post duodeviginti menses Alexander defatigatus et uxoris fidelitatem suspicatus, eam a se eiecit, et civilis divortii actionem instituit.

Cum autem id facili obtinuisset, ut suae conscientiae consuleret, Augustodunensem Episcopum adiit, ac per eum SSmum deprecaturus, ut suum matrimonium tum quia inconsummatum, tum quia probabiliter nullum ex capite vis et metus mulieri illati, irritum declarare vellet. In literis autem quas Augustodunensis Episcopus Pontifici tunc dedit haec leguntur: « Difficilis valde quidem fit causae cognitio, quia mulier procul a civitate Augustodunensi quasi more meretricum degens, et insuper divortio civili pronuntiato, iam non timens ut ad redeundum in coniugale domicilium cogi possit, minime curat ut sibi ipsi unquam liceat legitimum aliud matrimonium; imo cupida videretur virum suum Alexandrum Chaullet in moerore difficultatibusque implicitum relinquendi. Quapropter infelicior sane et miseratione dignior illius iuvenis evadit conditio. Humillime igitur et enixe deprecatur Sanctitatem vestram, ut ipsius misereri dignetur. Testatur Episcopus Augustodunensis Alexandrum Chaullet speciem viri boni prae se ferre, et omnium, qui ipsum noverunt existimationem paravisse. Orator modicus artifex structor parietarius possidebit tantum quoddam praediolum in Dioecesi Lemovicensi, et quidem post parentum mortem: nunc autem ex operae quotidianae mercede vivit, impense igitur rogat, ut quam minime fiant causae sumptus ».

SSmus precibus annuens, Augustodunensi Ordinario mandavit, ut tam super nullitate quam super non sequuta matrimonii consummatione et dispensationis causis, ad iuris tramitem, etiam cum facultate subdelegandi quatenus opus fuerit, processum conficeret. Cui mandato obsequens Antistes processum quam rectius ac citius potuit conficiendum curavit. Et die 25 mensis Martii anni 1891 acta processus ad S. C. C.

mittens haec scribebat: « Maritus et octo testes interrogati sunt, sed mulier adduci non potuit ad comparendum coram Tribunali, et deficiente omni copia illam cogendi, necesse fuit processum finire, quin interrogata fuerit. Ab obstetricibus de cetero utiliter examinari non valet, et cognitis aliorum praesertim matris responsionibus, minori incommodo omitti potest illius testimonium... Testium examine permoti officiales et ipse vinculi defensor persuasum habent matrimonium non consummatum fuisse, et dispensationem petitam super isto impedimento perutilem esse et fore necessariam Alexandro Chaullet, qui cum sit iunior et familia destitutus nubere valde cupit ».

Postea tamen Ioanna cum Augustodunum reversa esset interrogari potuit; quae suis responsis confirmavit inconsummationem matrimonii.

Disceptatio Synoptica.

Votum Theologi. Revocatis, Consultor, ad trutinam omnibus quae matrimonium praecesserunt, censuit, matrimonium in themate per vim et metum contractum fuisse et ideo nulliter initum.

Dein prosecutus est consultor, ad valide contrahendum matrimonium certum est, docent unanimes, requiri verum contrahentium consensum, tum internum, tum etiam externe manifestatum. Hoc enim patet, praesertim ex natura peculiari istius sacramenti essentialiter involventis contractum; qui sine interno contrahentium consensu et externa illius manifestatione nequit subsistere; Dall'Occa.

Ut autem hic consensus plenus habeatur, requiritur, ait Cosci, *totalis libertas et securitas*. Nam, ut videre est apud Liguori, Alexander III definivit: *Cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate illa gaudere, cuius est animus indagandus.*

Indagandus est animus, docet Pontifex: « *Quia Ecclesia,* addit s. Thomas, *non debet praesumere de aliquo peccato quousque probetur. Peccavit autem si dixit se consentire et non consensit. Unde Ecclesia praesumit consensisse.* Quapropter matrimonium praesumitur liberum, nisi probetur coactum. Et exinde metus non praesumitur nisi probetur. — Grassi.

Metus vero a iuristis cum Ulpiano definitur, *instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio;* sed non quilibet metus tale effectum producit, tantum vero qui sit *gravis;* nempe qui cadit in constantem virum, seu movere et compellere valet virum fortem, eo quod malum est de se grave, et incutiens metum potens sit, et probabiliter executurus malum quod minitatur, inspecta personae qualitate; ac interim metum patiens non possit facile per se, aut per alios removere impendentia sibi mala. *Cogitur autem aliquis metu,* scribit s. Thomas, *quando aliquid facit, quod alias non vellet, ad evitandum illud quod timet.* Et gravis dicitur ad distinctionem *levis* metus, qui non valet movere, seu deterrere virum costantem, eo quod malum est de se, vel si grave, aut verisimiliter non impendit, aut facile removeri potest. Unde apparet quod metus levis fieri potest respective gravis, attenta qualitate personae, quae non minus concutitur levioribus malis quam viri fortes gravioribus, uti contingit in foeminis, pueris, senibus....; in quibus tamen metus levis reputatur gravis, quando metus incrementum procedit ab eo animi defectu, qui naturaliter vinci non potest.

Inter graves et leves metus locum obtinet in matrimonio etiam ille, qui dicitur *reverentialis.* Ipse purus et per se non est metus, sed *reverentia*, tradit s. Alphonsus, quae non inducit metum alicuius mali, sed tantum quamdam erubescentiam, quae verius non ab extrinseco, sed ab intrinseco procedit. Gravis autem evadit ille metus quoties sit coniunctus cum minis, verberibus vel cum timore alterius mali gravis. Quapropter sacrosanctum Concilium Tridentinum edocet, quod Ecclesia semper detestata fuit matrimonia inita

insciis vel rationabiliter invitis parentibus; audi hoc tamen tantummodo propter peccatum, cum sint contra reverentiam ipsis parentibus debitam. Sed idem Concilium anathematizavit eos *qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine parentum consensu contracta*, irrita esse, *et parentes ea rata vel irrita facere posse*. Et sane in iis, quae spectant ad amplectendum statum vitae permanentem, idest perpetuum et indissolubilem, unde iuxta s. Thomam, *gaudere non potest restitutione in integrum;* necesse est ut etiam filius debeat esse sui iuris. Ideoque debent parentes iure, meritoque non minus quam debito et naturali onere proprio monere persuasionibus, non cogere filios minis ad propositum matrimonium vi aut metu, qualis reputatur tamquam iniuste incussus; cum per huiusmodi timorem laedatur libertas et ius alterius propter quod irritum evaderet matrimonium. — Cap. *Veniens*..... apud s. Alphonsum — Addendum quoque quod « *ubi metum incutiens habet interesse in contractu celebrando...., solus metus reverentialis dicitur* sufficiens *ad recidendum* contractum ». — Barbosa.

Dimetientes interea super hos modos, seu principia, conditiones et vicissitudines matrimonii, de quo agitur, facile deprehenditur quantum abnormes istae processerint. Quamvis, posthabita aliquantula observatione, verba et signa exteriora sponsae Ioannae haberi possint in actu maritalis consensus tamquam rite prolata, nullatenus illius internis animi sensibus videntur fuisse inter se discrepantes. Verbis aut signis exprimitur consensus animi, sed si veraciter et apprime huic illae non respondeant, matrimonium non efficitur. Consensus est qui efficit; non equidem verba; quae tamen in eorum veracitate sunt necessaria; aliter animus, idest consensus intimus, non apparet.

De prima sua vocatione ad nuptias, et continue ante et post praestitum sacramentale consensum, ipsa Ioanna se ostendit aversam erga coniugem Alexandrum. Ad probandam hanc contrarietatem Coscius requirit, quod debeat probari cum testibus, quibus actrix manifestavit hanc suam repu-

gnantiam et aversionem. Sed ex iam adductis, tam eadem Ioanna, eiusque mater, quam ipsi testes ab ipso marito vocati, totidem affirmant cum iuramento; et nullum insuper dictum vel factum est adductum ad eluendam similem repugnantiam. Cum igitur talis adsit intimi animi aversio, quae requisitum consensum negat: et interim adsint quoque exteriora huiusmodi animi signa seu verba, quae eundem consensum affirmant; ex omnibus praedictis et perpensis *in facto* erutum est, quia externus consensus iste ita contradicens sua ipsa contradictione demonstrat, quod fuit extortus vi et metu. Ex parte mulieris, declaravit Sacra Rota, dicitur probatus metus, si testes deponant de ipsius aversione erga maritum ante et post matrimonium. Et utique de Ioanna affirmarunt idipsum; imo adiunxerunt censere consensum mulieris non liberum et spontaneum, sed revera ex vi et metu fuisse coactum; ex vi nempe et metu praesertim matris illius, quibus iniusta ea impellebat filiam ad matrimonium. Haec impulsio, seu coactio, ad finem contrahendi matrimonium, efficit ut metus incussus irritet matrimonium ipsum, uti deprehenditur ex s. Alphonso et pluribus auctoribus ab ipso ut assolet, citatis et communi, ut patet ex cap. *Cum locum*. et cap. *Veniens* de spons.

Verumtamen, cum iam dictum fuerit, quod non equidem levis, sed tantum gravis metus officiat validitati coniugalis consensus, videtur ille metus fuisse gravis, cui Ioanna fuit obnoxia et maxime, inspecta personae qualitate, aequiparandus eidem timori, qui cadit in virum constantem.

Animadvertere iuvat cum Cosci: *Quoties in contrahendo matrimonio deficit verus ac liber consensus, adeo ut contrahendi, matrimonium est nullum, sive consensus* DEFICIAT *propter minas et violentias...., sive propter metum gravem aut levem, dummodo apud patientem metum sit talis seu,* PRO TALI AB EO *habeatur, ut ipsum cogere possit.* In themate; quoad Ioannam, agebatur de amittendis sollicitudinibus, et curis maternis, de relinquendâ domo ad habitandum, de perdendo famulatu ad victum et vestitum comparandum,

de amore occulto, ac de publico honore. Agebatur ergo quasi, dixi, de vita propter puellam annis tam iuvenem, tam inexpertam in rebus gerendis praesertim suis, et usque adhuc tam dilectam et ac tantum formidolosam amantem sicut superius relatum est. Quod, si conferantur ad invicem huiuscemodi matris minae, et speciales puellae relationes, liquido apparebit quantus timor exstitit, quo illa fuit exterrita.

Inter mala, metus quorum a Doctoribus censetur gravis, numerantur amissio bonorum magni momenti, lucri et amissio status sive honoris. Et tria haec mala, prout expedit insistere, timuit Ioanna; amittendo matrem, in qua repositum habebat omne bonum; amittendo famulatum, a quo trahebat omne lucrum; et amittebat honorem propter scandalum, si ad quaestorem adduceretur. Propter timorem specialiter huius scandali, ipsa retulit finem dedisse oppositionibus suis et ostendisse se consentire coniugio. Ideoque ex iis amissionibus tantus fuit in ea matris timor, ut, quomodo est indictum superius, mortaliter aegrotaret. Et cum nullus quidem timor concipi potest eo maior, quo periclitatur vita; ita videtur illi similis alter fuisse metus, qui ipsam apprehendit et adduxit ad praestandam fidem, seu consensum Alexandro in celebratione matrimonii; fuit nempe maxime gravis.

Patet itaque in summa, quia filiam mater coegit iniuste, violans eius libertatem; coegit ad extorquendum matrimonium, coegit ad proprium commodum; coegit reverentiali timore cum gravibus minis. Sed metus, ob unamquamque ex istis coactionem incussus, sufficit in unanimi Doctorum sententia ad irritandum matrimonium. Matrimonium igitur Alexandri et Ioannae denunciandum existimarem fuisse et esse prorsus nullum.

Ad confirmandam insuper huiusmodi nullitatem superadderet Ioanna, quia, non solum coacte propter timorem consensit, sed quasi ignoravit quid esset matrimonium et coniugalia mulieris onera; subiungens, quae si nosset, minime nubendo, ut visa fuit, sategisset. Verumtamen observandum, quod ipsa non dixit, ignorasse; sed tantum non bene sci-

visse, idest plenarie et perfecte. Ex omnibus vero, quae sunt exarata in processu et superius repetita, haud facile videtur admitti talis ignorantiae praesumptio. Attamen ignorantia haec non obtunderet matrimonium, cum de suo matrimonio generaliter ipsa consenserit, idest de omnibus, quae sunt matrimonii. Nam in contractibus non requiritur ut consentiatur expresse de singulis particularibus, sed satis est, ne sint exclusa. Aliter maior pars puellarum, disciplina et moribus praestantium posset importare hanc ignorantiam contra earum inita matrimonia. Quod non accidit, neque admittitur.

Ad irritandum itidem matrimonium, infirmatur in casu aliud argumentum, repositum in asserta amoris carentia ex animo mulieris erga virum; quae carentia, imo aversatio, monstratum est quod in Ioanna ita fuit, ut non potuerit maior esse. Attamen notandum suppetit, expedire quidem ut mutuus amor ducat iugales ad matrimonium, cum ipsum sit perpetuum et indissolubile amoris vinculum; nihilominus non est cordis amor, sive sensuum, qui matrimonium conficit, sed utique mentis amor, seu voluntatis consensus: unde nequaquam sine consensu, sed sane sine amore contrahitur; veluti non raro iudicia, et experientia quotidie demonstrant.

Bene tamen inniteretur observatio, superius inducta, in gratiam eiusdem nullitatis, quando, pro nomine amoris, intelligeretur affectus copulae maritalis; quae matrimonii est equidem essentialis finis, non utique necessarie exercendus, sed voluntarie; ita tamen ut non ab uno tantum, verum ab utroque coniuge possit excludi. Etenim, cum certum sit, et communiter inter Doctores, quod si quis contraheret, positive excludendo hunc finem, seu obligationem animo non reddendi debitum, non solum peccaret, sed nullum matrimonium iniret.

Pluries Ioanna dixerat, se non amare Alexandrum, neque esse amaturam, et effatum hoc concipi poterat, tamquam exclusio copulae a coniugio. Revera illa iteravit idipsum quando restitit marito, qui cum ea, veluti uxore sua, agere conabatur; et repetivit tunc cum narravit medico, quod coniugem non cognovit; addens quod et nunquam cognosceret.

Ipsa in suo constituto apud ecclesiasticum iudicem confessa est, iugiter renuisse consummare opera matrimonii, et ea praesertim unde gignere; asserens quod ubi prius, idest ante consensum praestitum, novisset quid matrimonium imponeret, haud immerito quod absolvit, eamdem non perfecisset. Sed haec illius confessio contradictionem parit; non enim poterat ab ea excludi, quod ipsa ignorabat; et ideo verba amoris, quibus crebro usurpavit, non poterant capere iugalis copulae sensum realem; quem sensum ignorare ostentabat, quippe insciens quid esset matrimonium.

Sed quin nova argumenta fingantur, arbitror esse satis, quod et compertum probatumque apparuit, istud nempe matrimonium fuisse infectum ratione consensus ex eo capite *vis et metus;* ideoque non consistere, sed evanescere et nullum evadere.

Videbitur fortasse fere nunc supervacuum indagare, utrum huiuscemodi matrimonium fuerit consummatum. Posita namque illa nullitate, se recte gesserunt, qui non fuerint copulati. *Matrimonium enim non facit coitus,* ait Chrysostomus, *sed voluntas.* Attamen talis inquisitio, si reputetur superflua ad obtinendam dispensationem super ratum, cum non indigeat dispensatione matrimonium nullum; valde tamen erit utile argumentum in confirmationem eiusdem nullitatis. Etenim confirmatur per illud quanta fuerit in Ioanna aversatio erga coniugem Alexandrum.

Iam expositum est quod primo sero nuptiarum, cum pariter in eodem thalamo se collegissent, novi coniuges rixati sunt, vix dum maritus admovit uxorem, ut secum coniugium conficeret. Ipsa namque pro sua posse renuit, et valde conclamans aufugit. Si copulationis tentamen fuit causa fugae, tunc ergo ista fuga demonstrat quod copula coniugalis non fuit exercita ob repugnantiam desuper explicatam. *Si post actum gestum sequitur fuga ex parte ipsius agentis, tum praesumitur quod praeter voluntatem illum gessisset,* argumentatur Mascardus. Et Menochius resumit: *Quando is, qui contraxisse dicitur matrimonium, post ipsum contra-*

ctum aufugit, tunc praesumitur, quod metu contraxerit.

Verum est quod successivis diebus iidem coniuges instaurarunt domesticam eorum vitam, dormientes etiam simul; sed per matrimonium nunquam se cognoverunt. Quare maritus continue conquerebatur, nequaquam famulam, sed uxorem voluisse ducere. Idcirco saepissime instabat, ut debito coniugali ea satisfaceret. Verbis mollibus et blanditiis utebatur, eamque alliciebat etiam munusculis et donis. Illa autem libenter accipiebat, et nova munera sollicitabat; sed circa coniunctionem a viro iterum, instanterque requisita, non aliud quam verba et excusationes dabat ei, studens effectum trahere diem de die, et usque illudens facta promissis. Quin imo, si paullo amplius ille esset insistens, mulier levabat clamores, et illum aspernans, refugiebat ad matrem.

Lamentabatur propterea Alexander de inconsultis istis agendi modis, et precibus faticabat socrum, quae filiam cohiberet, eamque ad opus nuptae determinaret. Sed omnes persuasivos sermones, ac tam geniales, quam et acerbos modos, quos mater solerter et ex industria opposuit, tandem debuit gravi animo declarare incassum repetiisse. Et cum praeter minas dixisset filiae, quod, nisi cederet, maritus a se eam abiiceret, audivit responsum: quanto citius, tanto melius.

Ab inito matrimonio annus iam decurrerat, quando Alexander, tribus horis post mediam noctem, olim actus ira contra coniugem, et nolens illi violentiam inferre, extemplo prosilivit in cubiculum cuiusdam, cui aderat inquilinus, et plorans referebat confusus obstinatam mulieris renuentiam. Testis, qui haec affirmat, tunc ei respondit: quamvis iugulari foret, necesse esset ut cederet, dum illa mecum ageret. Quod fere idem exclamavit Alexandri cognata: si essem coniux, nescio quid facerem. At Alexander cum esset naturaliter bonus, dulcis, ingenuus et etiam simplex, ut communiter agnoscebatur, nunquam est ausus procedere ad aspera quaeque. Et posterius confirmavit suum matrimonium non consummatum existere.

Circiter eodem tempore, idest post annum a coniugio,

ad quasdam puerulas, quae ei quantum coniectura augurabantur prolem, Ioanna respondit: sibi eas fallere, cum affirmare valeret, se quemadmodum illas, esse; nempe virginem. Responsum vere audax, sed fortasse sincerum, si referatur ad relationes cum Alexandro.

Est quoque advertendum, coniuges studuisse celare de iis, quae sibi acciderant, forsitan ne irriderentur, et peculiariter homo, cui aliquoties occurrit; mulier autem ne agnosceretur ut nupta. Attamen, nullo contradicente, omnes qui vocati sunt testes septimae manus asseruerunt credere hos coniuges ius reciprocum maritale et uxorium non exegisse.

Ceteras inter mulieris excusationes crebro recurrebat malae valetudinis esse. Unde maritus certiorari desiderans, an ipsa laboraret aliqua infirmitate, quae usum coniugii impediret, requisivit medicum ab ea propositum; quem ad ipsam secunda vice introductum ille reliquit solum cum sola in cubiculo, se interea subtrahens post parietem, ut auscultaret ad fores quid loquerentur. Et audivit uxorem narrantem numquam cessisse marito et quod numquam cederet; nam sibi displicebat, et minime amabat; adiungens neque futurum accideret, ut illum amaret. Et medico dubitanti respondit: quod tunc coniugem sineret cum eo agere, cum Alexander foret alius, qui spectabilis esset. Deinde medicus ipse testatus est praestare fidem mulieri perhibenti, fluide et constante sermone, eadem quae maritus ipse affirmabat.

His auditis, hic doluit ex animo, et demum persuasus, quod non equidem adhuc cunctando, melior fieret propria conditio, capta occasione, mulctavit eam probris et malis actibus; ac vinctus iracundiâ violenter percussit, et deiecit a se et domo. Illa vero postea asseruit discessisse, ferre non potens vesanas Alexandri suspiciones, eiusque perversitates.

Sed sive mulier evaserit, sive maritus abiecerit, nihil interest. Pensandum potius erit, quod, dum coniuges vitam communem tecto, mensa et thoro duxerunt per sex menses et annum, absque temporis intervallo; defenditur interea quod iidem coniugalibus non sunt perfuncti. Factum fortiter

verum, magis quam veri species videatur, praesertim satagendo cum femina viri non ignara.

Ex diu continuata huiusmodi conversatione theologorum votum esset, quod in dubio super consummatione matrimonii, standum sit potius pro affirmatione, donec fortasse contrarium exhibeatur valde probatum.

Proditur autem in subiecto, mulierem commoratam fuisse domi una cum viro, tum quia ipsa et mater vivebant expensis eius, veluti Alexander asseruit, et quidam testis, satis instructus de eorum vitae ratione confirmavit; tum quia eadem, tametsi animo aversa, nihilosecius ex adhibitis exterioribus nuptiarum coeremoniis, arbitrabatur ita se iunctam ire, ut nequiret ab eo separari; et nesciebat quid esset divortium. Ei tamen erat in animo quaedam confusa praesumptio alicuius eventus, unde inter ipsos separatio succederet. Agnovit postmodum quod sine animi consensu, matrimonium non efficitur; agnovit divortium civile: et inde, quoad se, proponebat nubere cum dicto milite amasio, scribens illi ne interdum aliam mulierem duceret.

Maritus vero, si apud se tanto tempore illam retinuit, confessus est hoc egisse, spem in corde enutriens, ipsam promissis, blandimentis, muneribus, nunquam violentiis, vincere; eamque tandem aliquando remissuram pervicaciam, et docilem evasuram ad sponsum.

Nec equidem prorsus male se habebat; nam mulier agnovit se denegasse adimplere obligationes coniugii; interim ac quotidie differebat in crastinum momentum illas perficere; quamvis posterius nequibat absolvere. Fortior me, ipsa ait, erat eius aversio.

Data igitur tanta simplicitate in Alexandro, et in Ioanna tanta aversatione et renuentia, nihil vel parum mirum videtur, si tales coniuges, dicam cum Cosci, cohabitaverint et adhuc si condormiverint; et si nihilominus seipsos non cognoverint; nempe, in praesenti themate, si inter se non cognoverunt ob vehementem anthipatiam, aversionemque, quam ante, et praecipue post initum matrimonium, sponsa adversus

sponsum manifestavit et fovit usque et ultra eorum separationem.

Quapropter, si quando a suprema et unica Summi Pontificis potestate, sicut catholica experientia docet, foret impetranda dispensatio super ratum et non consummatum matrimonium coniugum Alexandri et Ioannae; talis non consummatio apud eamdem Apostolicam Sedem, dubio procul, asseverari posset; dum vir et mulier declarant, ac huius mater et testes cuncti credere affirmant, et nemo alius negat vel dubitat. Accedit quod evanuit omnis possibilitas de animorum et vitae individuae tentata reconciliatione. Accedit quod causae etiam debitae et pro hac impetratione requisitae et accommodatae, non deficerent, et praesertim — aversio mulieris contra virum — invincibilitas huiusmodi aversionis et repugnantiae — iuventus, quae, tam in homine 32 annorum, quam in muliere annorum 23, incitat ad novas, auspicatioresque nuptias, et ad efformandas destitutas familias — revocatio mulieris e coeno vitae — remotio publici et privati scandali... Quae causae recensitae, et aliae similes e processu manantes, non videntur egere maiori claritate vel probatione. Notum est autem quantum favoris et gratiae apud Pontificem Maximum *in bonum publicum vel animarum salutem* soleant invenire. Accedit demum pro coronamine quod scribebat Dioecesanus Augustodunensis Episcopus, nempe: testium examine permoti Officiales et ipsi vinculi Defensor persuasum habent matrimonium non consummatum fuisse, et dispensationem petitam super isto impedimento perutilem esse et fere necessariam Alexandro Challet, qui cum sit iunior et familia destitutus nubere valde cupit.

Sed huiusmodi dispensatio, reverenter dicam, invocari non expedit, si absit, sicut mihi visum est, dispensationis argumentum. Etenim ex ipso iure per sententiam iudicis non est facienda irritatio matrimonii, sed sola irritationis declaratio; nam iura supponunt irrita esse matrimonia gravi metu contracta ob defectum consensus. Ita cap. *Cum locum*.

Quando igitur matrimonium examinatum habeatur nul-

lum, ut compertum est, ni fallor; *restat potius ut invocetur humiliter declaratio de huiusmodi nullitate.*

Votum canonistae. Neminem vestrum latet, Emi Patres, ait Consultor, ad matrimonium invalidandum sat esse metum, quem reverentialem vocant, dummodo quaedam concurrant adiuncta, cuiusmodi essent iuxta Doctores gravis alicuius damni timor, minae, preces importunae, quibus contradici facile haud posset, sive denique alia quaelibet gravis huius generis circumstantiae. In his enim casibus metus reverentialis gravis dicitur i. e. cadens in constantem virum, et matrimonium nullum reddit ex defectu consensus. Nam « locum « non habet consensus, ubi metus vel coactio intercedit. » Alex. III cap. 14 tit. I lib. IV Decret. Greg. IX. Quo posito ex processu in augustodunensi Curia confecto liquet, Ioannam Machin matrimonium cum Alexandro Chaullet contraxisse non libere, sed operâ atque artibus ipsius matris, quae ad hunc unice finem, ut filiam ad matrimonium compelleret, iteratas suasiones, preces, ac minas adhibuit. Hoc eruitur ex depositione ipsius matris Franciscae Machin, quae in resp. 6 fatetur matrimonii celebrationem a coactione ab ipsa propriae filiae illata repetendam esse. In sequenti deinde responsione determinat modos, quos adhibuit ad cogendam filiam ad matrimonium. « Je l'ai forcée de toutes les manières. Je lui ai dit que je ne l'aimerais plus. Elle m-avait donné un certain nombre d'objets. Je les lui ai rendus, et elle en a été tellement émotionnée, qu'elle en est tombée malade et qu'elle a failli en mourir. » Nec sola extitit Francisca mater ad cogendam filiam ad matrimonium contrahendum, sed aliis personis tanquam medio atque instrumento, ut filiae matrimonium obtinere posset, usa fuit.

Nec aliter loquitur orator Alexander Chaullet, ex cuius depositione iurata constat Ioannam primae matrimonii propositioni reposuisse negative, suasionibus deinde et minis matris eidem matrimonio consensisse.

Haec omnia, si animadvertantur nullum dubium est, Ioannae incussum fuisse timorem, et talem fuisse qui cadit in

constantem virum. In evidentia autem posita iniusti timoris existentia non est pariter dubitandum, Ioannam Machin coacte et passive sub huius timoris influxu ad matrimonium celebrandum devenisse. Id primum patet ex iis, quae matrimonium comitata sunt. Adveniente enim infausta die, qua Ioanna erat cum Alexandro matrimonium contractura, incoeptis ecclesiasticis ritibus, Parocho Ioannam interroganti an vellet cum Alexandro contrahere, tali Ioanna reposuit modo, quo manifesto indicavit ab ea excludendum esse consensum intrinsecum, voluntarium, et liberum ad matrimonium contrahendum.

Non solum ex iis, quae matrimonium comitata sunt verum etiam ex iis, quae idem matrimonium sequuta fuerunt, ostenditur, Ioannam non libere sed sub timoris influxu Alexandro nupsisse. A prima etenim die, quo coniuges matrimonium inierunt usque ad postremam, qua sunt a se invicem, separati, numquam se mutuo ac maritali affectu sunt prosequuti. Hoc confessa fuit Ioanna pluribus personis, Friderico praesertim Chauchon medico Augustodunensi, et deponit Alexander.

Ex hucusque dictis satis superque colligitur Ioannae Machin a propria matre incussum fuisse timorem gravem, eamque sub huius timoris influxu matrimonium contraxisse cum Alexandro Chaullet. Ceterum si allata argumenta ac testimonia vobis, Emi Patres, non satis apta videntur ad concludenter probandam coactionem et nullitatem matrimonii, videndum superest: *An consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

Praecipua conditio ad dispensationem obtinendam est quod matrimonium non fuerit consummatum. Iamvero primum argumentum non consummationis matrimonii in casu desumimus ex depositione iurata utriusque coniugis. Hac de causa vir dubitare coepit de propriae uxoris potentia ad copulam habendam, et voluit ut a medico corporaliter inspiceretur.

Depositionem coniugum firmant plures testes. Et mater Ioannae fatetur filiam eidem pluries ante, et post sententiam divortii civilis confessam fuisse matrimonii inconsummationem. Neque opponi potest, magistratus civiles in sententia divortii proferenda ne verbum quidem fecisse de repugnantia mulieris ad ponendos actus coniugales; hoc enim repeti debet ex facto advocati Aloysii Iosephi Cognet, qui pro bono clientis sui Alexandri in promptu habens alias rationes, aliasque iuridicas probationes ad obtinendam sententiam divortii, noluit insistere in argumento repugnantiae mulieris ad matrimonium consummandum utpote difficilioris probationis.

Matrimonii inconsummationem testatur Lazaretta uxor Ioannis Maillard deponens hoc apprehendisse saepius sive ante, sive post separationem ab Alexandro et a matre Ioannae. Quod non credidit Lazaretta, probe enim cognoscebat illicitos Ioannae amores.

Accedunt testimonia Mathildis Maillard et Friderici Ferdinandi Chauchon-Latouche doctoris.

Depositioni iuratae coniugum ac testium adiungenda esset probatio desumpta ex corporali Iohannae inspectione. Verum ex actibus processualibus constat ipsam vix post aliquod tempus adduci potuisse ad comparendum coram tribunali ecclesiastico. Deinde inutilis evaderet inspectio cum vivat more meretricum. Quamvis autem hoc desit argumentum, nihilominus ex allatis moralem habere possumus certitudinem matrimonium consummatum non fuisse.

Posita non consummatione matrimonii, iurisprudentia legitimas requirit causas ad dispensandum. Et inspecto processu ac prae oculis habitis epistolis Episcopi Augustodunensis habemus *a*) maximam mulieris erga virum et viri erga mulierem aversionem, nullamque spem pacis conciliandae, quod ad dispensandum gravissimum censetur.

Ex his omnibus concludendum puto matrimonium in themate nullum esse, et si hoc nolit admitti, consulendum esse Sanctissimo pro gratia dispensationis.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Labente anno 1886 die 4 Decembris Alexander Chaullet in aetate annorum 25 constitutus, matrimonio sibi coniunxit Ioannam Machin, 17 annos natam, quacum 18 menses communione thalami usus est. Die vero 18 Iunii 1888 uxorem dimisit, et postquam a magistratu saeculari vinculum dissolvi obtinuerat, apud ecclesiasticum iudicem matrimonium irritum, quasi Ioanna vi metuque a matre ad nubendum Alexandro compulsa sit, et opere imperfectum ob uxoris ad coniugalia praestanda obsequia reluctationem, proclamavit.

Lectissimi consultores, theologus et canonista, in Alexandri vota concedunt. At mihi neque de nullitate matrimonii, neque de inconsummatione constare videtur. Profecto quoad metum testes inquiunt: « La mère traitait sa fille d'imbécille si elle n'acceptait pas ce mariage ..... menaçait même de la mettre à la porte de chez elle, si elle persistait dans son refus ». Imo mater profitetur: « Je l'ai forcée de toutes les manières, je lui a dit que je ne l'aimerais plus. Elle m'avait donné un certain nombre d'objets. Je les lui ai rendus et elle en a été tellement émotionnée, qu'elle en est tombée malade et qu'elle a failli en mourir ».

Sed haec omnia a veritate omnino aliena, sin minus amplificata immense sunt. Quomodo enim mater e domo expellere filiam poterat cum in confessis sit, tum matrem, cum filiam famulatu diversis in domibus vivere? Nec Ioanna ea erat quae terreretur spectris, ut referunt testes.

Quid plura? Mathildis Maillard sciscitanti iudici « D'après vous, qu'est ce qui l'a amenée à se décider » nitide reponit: « D'après ce qu'elle me disait, je me crois autorisée à croire qu'elle s'est décidée pour avoir plus de toilette, et peut-être aussi pour être plus libre, ou plus exactement pour cacher plus aisément sa conduite. Plusieurs fois elle m'a demandé: Est-ce que je serai plus libre? Est-ce que je pourrai aller danser? »

Nec magis in probatis est asserta matrimonii inconsummatio; eo quod testes in ecclesiastico non magis, quam testes in civili iudicio excussi, concludunt. Porro, excepta Ioan-

nae matre, quae haud sanctitatem olet, testes de re praeceteris testibus instructi sunt coniuges Maillard, quorum domum Alexander et Ioanna incolebant. Sed tum Lazaretta cum Ioannes coniuges Maillard ita loquuntur, ut iure dubites an res fuerit de Ioaunae repugnantia ad matrimonium consummandum, seu potius ad coitus pro lubitu Alexandri iterandos; quod mirum non foret, quia Ioanna illicitos amores fovebat.

Quae cum ita se habeant, supervacaneum censeo de causis ad dispensandum necessariis verba facere: et absque mora ad inscripta dubia responsum submisse postulo « *Negative ad utrumque.* »

His relatis, sequens propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSño pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 15 Iulii 1893, censuit respondere: *Affirmative.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

GANDAVENSIS quoad recitationem SSmi Rosarii in communi.

Die 13 Novembris 1893.

Vicarius Generalis Diecesis Gandavensis huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exponit quod in Collectione authentica Decretorum eiusdem S. C. auctoritate SS. D. N. Leonis Pp. XIII edita anno 1883, Decretum extat sub num. 384 huius tenoris: « Ordinis Praedicatorum. « Porrectis precibus a P. Procuratore Ord. Praed. huic S. C. In- « dulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, EE. PP. in gene- « ralibus Comitiis apud Vaticanas Aedes, die 11 Dec. 1857 ha- « bitis, propositum fuit dubium dirimendum: *An,* scilicet, *con- « sulendum sit SSño, ut concedere dignetur, ut omnes utriusque*

« *sexus Christifideles rosarium vel tertiam eiusdem partem in* « *communi recitantes lucrentur Indulgentias a f: r: Benedicto* « *Pp. XIII concessas, licet manu non teneant Rosarium bene-* « *dictum, ac sufficere ut una tantum persona, quaecumque* « *ea sit ex communitate, illud in manu teneat, eoque in re-* « *citatione de more utatur?* Qui audito prius Consultoris voto « ac rebus mature discussis, responderunt: *Affirmative.* Facta « itaque per me S. C. Secretarium SS. D. N. Pio Pp. IX rela- « tione fideli in aud. diei 22 Ian. 1858, Sanctitas Sua precibus « eiusdem P. Procurat. Generalis inclinata, nec non votum S. C. « approbans, benigne annuit, addita tamen expressa conditione « quod fideles omnes, ceteris curis semotis, se componant pro « oratione facienda una cum persona quae tenet coronam, ut « rosarii indulgentias lucrari queant. »

Iamvero non una est sententia de sensu illorum verborum « *ceteris curis semotis se componant* etc. »: alii enim ita verba illa interpretantur, ut qui rosarium recitant a quacumque etiam, externa occupatione se abstinere teneantur; alii vero ita intelligunt ut fideles se tantum ab iis occupationibus abstineant, quae actualem attentionem circa mysteria meditanda impediunt.

Iam quaeritur ab hac S. Congregatione quid sit in casu sentiendum?

Porro S. C., re mature perpensa, respondendum censuit:

Fidelibus ab iis tantum occupationibus exterioribus esse abstinendum, quae internam attentionem impediunt ad devotam rosarii recitationem pro lucrandis indulgentiis praescriptam.

Datum Romae ex Secret. eiusdem S. C. die 13 Novembris 1893.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO Praefectus

L. ✠ S.

† A. Archiep. Nicopolitan. *Secretarius*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MEDIOLANEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Bartholomaei Canale Sacerdotis professi Congregationis Clericorum regularium sancti Pauli Barnabitarum.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur?

Inter viros, qui saeculo decimoseptimo apud Italicas gentes, Insubres praesertim, sanctitatis fama floruerunt, Bartholomaeus Canale, Congregationis Barnabitarum alumnus, merito recensendus est. Parentibus censu mediocri, sed virtute egregiis, Mediolani die 10 Decembris 1605 ortus est, sacro Baptismatis fonte lustratus, Ioannis Antonii nomen recepit. Transacta in patria laudabiliter adolescentia, ut primum per aetatem licuit, Patribus Societatis Iesu in disciplinam datus, ad eorum Scholas, inter Collegii, quod vocant *Brera*, alumnos ventitavit. Per plures annos, quibus in eodem Collegio conversatus est virtutibus omnibus maxime enituit, praesertim admirabili vitae castimonia. Quum adhuc studiis vacaret, clericali militiae nomen dedit; at maioris studio perfectionis incensus, Congregationi Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum adscribi enixe postulavit. Voti compos factus, et imposito sibi Bartholomaeo nomine, tyrocinium eo animi fervore arripuit, ut viri gravissimi, qui eo familiarissime usi fuerant, affirmare non dubitaverint se in Bartholomaeo nil quod notari iure posset unquam deprehendisse. Variis ac difficillimis decoratus muneribus, nunquam a pristino ardore deflexit. Imo superioris venia, tugurium angustum et inhospitum, ubi divinarum rerum contemplationi posset impensius vacare, sibi elegit. At Deo sic disponente, ad onus Confessarii Angelicarum Sancti Pauli vocatus, viribus licet destitutus et adversa semper valetudine, illud per integrum triennium summa dexteritate explevit. Praepositus deinde Collegii S. Aureliani enuntiatus, muneri sibi commisso, excolendi scilicet religiosam iuventutem, incredibili patientia et lenitate satisfecit. Tandem Modoëtiam ex obedientia missus, ibi universae suae Provinciae

iuventuti et tyronibus Collegii instituendis praeficitur: quorum animos ad religiosam perfectionem erudivit. Denique lethali morbo correptus, nullum lenimentum sibi quaerens, nisi quod ex assidua Christi Domini cruciatuum meditatione capiebat die 27 Ianuarii 1681 senio et laboribus confectus, hora qua praedixit, ea sanctitatis fama decessit, ut anno vix ab eius pretioso obitu elapso, ad Ordinariam Inquisitionem super eadem sanctitatis fama, nec non virtutum in Curia mediolanensi deventum sit. Qua rite expleta, et ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. indulsit, ut dubium de Signatura Commissionis Introductionis Causae eiusdem Famuli Dei agi posset in Ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum. Hinc a me infrascripto Cardinali Sacrae ipsi Congregationi Praefecto, huiusce Causae Ponente seu Relatore, instante R. P. Alphonso M. Mattioli Sacerdote Professo et Postulatore Generali Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, attentisque Postulatoris Litteris plurimorum Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium: et Sacrorum Antistitum aliorumque virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate insignium, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum propositum est, nimirum: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 22 Augusti 1893.

Quibus omnibus Ssmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me ipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Bartholomaei Canale signare dignata est, die 27 , iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Vincentio Nussi *Secretario*

Ioannes Ponzi *Substitutus.*

TOLETANA seu CORDUBEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis de Avila presbyteri saecularis magistri nuncupati.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Ven. Ioannes De Avila, saeculo XVI, praeclaro Ecclesiae et exemplo fuit et adiumento, propter laudem qua simul floruit sapientiae ac sanctimoniae. In eius enim moribus et documentis ea claruerunt, descripta a beato Iacobo Apostolo indicia sapientiae, *quae desursum est;* cuius pretiosis fructibus christianus placet Deo, et hominibus probatur. Vere sapiens secundum Christum, *evangelizavit investigabiles divitias eius,* tum verbo divino praedicando, tum animis in via spiritualis perfectionis, consilio pariter scriptisque documentis, iuvandis, tum etiam suis ipse exemplis praelucendo. Haec autem tanto fecit cum divinae gloriae incremento et animarum profectu, atque tantam inde sanctitatis et sapientiae famam de se excitavit, ut viri insigniter sancti, quales Ioannes de Deo, Ignatius de Loyola, Franciscus Borgia, Petrus ab Alcantara, Teresia a Iesu, eius consilii se regi voluerint, eique *Magistri* congnomentum adhaeserit. Haec eadem fama, qua clarus septuagesimum annum agens Montiliae obiit anno MDLXIX, postea latius manavit prodigiis aucta, quibus Deus Servi sui sanctitatem firmasse ferebatur. Quare de ipsius Beatificationis Causa apud Sacram Rituum Congregationem agi coeptum est, eiusque virtutes heroicum attigisse gradum fel. rec. Clemens Papa XIII. VI idus februarias anno MDCCLIX declaravit. Deinde de miraculis eius intercessioni tributis quinquies disceptatum est: primo penes cl. mem. Cardinalem Aloisium Bilio Causae Ponentem in antepraeparatorio Coetu III idus iulias anno MDCCCLXXV; deinde triplici praeparatorio conventu in Aedibus Vaticanis XV calendas apriles anno MDCCCLXXXIV; XIII calendas decembres anno MDCCCLXXXIX, et XV calendas septembres anno MDCCCXCI; demum X calendas decembres anno MDCCCXCII coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII. in iisdem Vaticanis Aedibus, ubi Rmi Cardinales et Patres Consultores huius Sacrae Congregationis in generalibus comitiis coadunati, singuli suffragium tulerunt. Sanctissimus vero, omnium audita

sententia, in re tanti momenti iudicium suum proferre distulit, interea monens ut caelestis consilii lumen imploraretur.

Hodierna vero Dominica XXV. post Pentecosten, qua festum Patrocinii Beatae Mariae Virginis recolitur, incruento Missae Sacrificio oblato, in hac Vaticani aula pontificio solio assidens, ad se arcessiri iussit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Aloisium Serafini Episcopum Sabinen. Causae Ponentem, una cum R.P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemni decreto sancivit: « *Constare de tribus propositis miraculis,* nempe de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Catharinae Rodriguez Del Rio a phlegmonoso tumore, necnon, ob eius incisionem, a gravi laesione arteriae in regione ileo lumbari dextera;* de altero ac tertio: *Praeservationis ab obitu, atque instantaneae perfectaeque sanationis Francisci Martin del Burgo, et Josephi Gomez a gravibus ustionibus e pulvere pyrico.*

Atque hoc Decretum evulgari, et in Acta SS. Rituum Congregationis referri mandavit pridie idus novembres, anno MDCCCXCIII.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

ROMANA Decretum beatificationis et canonizzationis Servae Dei Mariae Aloisiae Maurizii monialis choralis professae ven. Monasterii Mantellatarum in Janiculi Colle Urbis ordinis Servorum B. M. V.

Scripta, quae praedictae Servae Dei Mariae Aloisiae Maurizi attributa, quaeque ex perquisitionibus rite peractis Sacrae Rituum Congregationi exhibita fuerunt, ut super iis revisio et examen ad tramitem decretorum institueretur, in sequenti elencho describuntur, videlicet:

(sequitur elenchus)

Quum itaque Emus et Rmus Dnus Card. Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanen., Causae Ponens, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vatica-

num habitis, retulerit in praefatis scriptis nihil invenisse quod huiusce Causae cursum intercipere posset; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora, servato tamen iure Promotori Fidei opponendi si et quatenus de iure.* Die 14 Ianuarii 1893.

Quibus Sanctissimo Dño Nostro Leoni Papae XIII per Emum et Rmum Dñum Card. Caietanum Aloisi Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit die 4 Februarii 1893.

Pro Emo et Rmo Dño Card. C. ALOISI-MASELLA *Praefecto*

A. Card. SERAFINI

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

FIRMANA Decretum Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei P. Antonii Grassi Presbyteri e Congregatione oratorii S. Philippi Nerii in civitate Firmana.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Fidelissimis Christi amicis atque indefessis ministris Ven. Antonius Grassi ex Oratorii S. Philippi Congregatione accensendus merito est. Is enim per octoginta vitae annos, quo largius a Deo enutritus est pane vitae et intellectus, potusque aqua sapientiae salutaris, eo studiosius gratiae divinae muneribus in dies respondit, nihil spectans impensius, quam ut imagini Filii Dei conformis fieret. Tanta inde extitit praestantia sanctitatis eius praesertim in pietatis et religionis cultu, in sui abnegatione, in ardore salutis animarum procurandae, ut viri etiam dignitate et prudentia insignes eum tamquam verum Philippi Nerii aemulatorem existimarent, ab ipsoque preces et caelestis sapientiae consilia exquirerent. Post eius beatum obitum, qui anno MDCLXXI contigit, haec sanctimoniae fama magis in dies

aucta est ob superna quoque prodigia, quibus Deus ipsam confirmasse ferebatur. Quapropter eius Beatificationis Causa apud Sacram Rituum Congregationem promoveri coepit, atque probationibus iuridice sumptis riteque expensis, fel. rec. Clemens Papa XIV. Ven. Antonii virtutes heroicum attigisse culmen decrevit calendis aprilis anno MDCCLXX. De duobus postea miraculis, quae eo deprecante edita dicebantur, triplici actione disputatum est. Prima apud cl. me. Cardinalem Carolum Sacconi Causae Ponentem in Coetu antepraeparatorio, habito XV calendas septembres anno MDCCCLXXIV; altera in Vaticanis Aedibus XIII calendas decembres anno MDCCCLXXVIII; tertia demum XVIII calendas iulias anno MDCCCXCII coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII. in iisdem Vaticanis Aedibus, ubi Rñi Cardinales et Patres Consultores huius Sacrae Congregationis in generali comitio collecti, singuli suffragium protulere. Sanctitas autem Sua in re tanti momenti iudicium proferre distulit, atque interea Sancti Spiritus lumen implorandum esse commendavit.

Hodierna vero die, qua Dominica XXV. post Pentecosten et festum Patrocinii Deiparae Virginis recurrit, Sanctitas Sua, Eucharistico litato sacrificio, atque in hac Vaticani aula pontificio solio assidens, ad se arcessiri iussit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Angelum Bianchi Episcopum Praenestinum Causae Ponentem, cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter decrevit: *Constare de duobus propositis miraculis*, nempe de primo: *Multiplicationis vini in Firmano puellarum Orphanotrophio;* ac de altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Iacobae Pupilli a fractura rotulae in genu dextero, cum immediata liberae articulationis restitutione.*

Atque hoc Decretum in vulgus edi, et in Acta Sacrae Rituum Congregationis referre mandavit pridie idus novembris, anno MDCCCXCIII.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

De cultu erga SS. vultum Domini

Beatissime Pater,

Pater Caietanus Pizzighella e Congregatione Presbyterorum a sacris stigmatibus Domini Nostri Iesu Christi sacellum ecclesiae Domus Matris Veronae existentis adnexum, de consensu Ordinarii accommodatum atque destinatum habuit (nulla tamen facta liturgica dedicatione) cultui Vultus Domini Nostri Iesu Christi, cuius imago in unico Altari posita, magnam excitat venerationem.

Praeterea apud eamdem ecclesiam erecta est, de consensu eiusdem Ordinarii, Confraternitas Archiconfraternitati Turonensi eiusdem SS. Vultus affiliata, cui iam fere quatuor millia hominum nomen dedere.

Nunc vero, cognitis per publicas Ephemerides decretis ab ista Sacra Congregatione Sancti Officii statutis, quoad cultum S. imagini Vultus D. N. I. C. exhibendum, orta est aliqua confusio et perturbatio, mirantibus non paucis ac dictitantibus ab hac devotione omnino cessandum esse, ut obsequium auctoritati sacrae Congregationis sancti Officii praestetur.

Quibus de causis idem Orator ut quieti suae et ceterorum confraternitati adscriptorum consulat, humillime petit:

An caute sub directione ac dependentia Ordinarii, ne sit in Oratorio et in piis exercitiis publice peragendis aliquid, quod sapiat cultum directum et specialem, omnibusque iuxta cultum Romae traditionalem conformatis, subsistere possit dictum Sacellum et confraternitas cum indulgentiis ei concessis?

Et Deus etc.

Visum: Commendantur preces humillimi Oratoris.

Datum Veronae ex Curia Episcopali die 15 ianuarii 1893.

Al., Card. De Canossa, Episcopus.

Feria IV die 8 martii 1893 in Congregatione Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis proposita Instantia, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales in rebus fidei et

morum Generales Inquisitores respondendum decreverunt: *Prout exponitur, affirmative.*

Eadem vero die Eminentissimus Cardinalis eiusdem Sacrae Inquisitionis Secretarius, facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro sibi tributis, Eminentissimorum Patrum resolutionem approbare dignatus est.

L. Mancini, S. R. et U. I. Notar.

PARISIEN. Prohibetur titulus " s. Cordis Iesu poenitentis. ,,

Feria IV, 15 iulii 1893 Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Patres Inquisitores Generales decreverunt: Sancta Romana Universalis Inquisitio iampridem, nempe decreto feriae IV 13 ianuarii 1875 generatim consuluit ne insueti cultus tituli promoverentur, speciatim vero de titulo Poenitentis Domino Nostro Iesu Christo tributo. Quum igitur ad supremae huius Congregationis notitiam pervenerit, quod Loigny adhuc pertinaciter manet quod vocant Opus Sacri Cordis Iesu Poenitentis, atque eius auctores fautoresque, licet pluries a Summo Pontifice damnati, non desistunt sacrilegâ audaciâ confingere atque in publicum edere visiones ac revelationes Cordis Iesu Poenitentis, sancta Romana Universalis Inquisitio, re mature perpensa, omnino prohibet et damnat titulum: Cor Iesu poenitens — Cor Iesu poenitens pro nobis. — Iesu poenitens — Iesu poenitens pro nobis.

Praecipit vero Ordinariis locorum, ubi Societates sub huiusmodi titulis sunt erectae, ut damnato titulo alium substituant in Ecclesia probatum, neque eas consistere patiantur, nisi omnia ad iuris regulas exacta fuerint.

Postremo omnibus in mentem revocat decretum feriae IV 13 ianuarii 1875 quod hic transcribitur: Feria IV 13 ianuarii 1875 Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. IX in solita Audientia r. p. d. Assessori Sancti Officii impertita.... mandavit... monendos esse... scriptores, qui ingenia sua acuunt super... argumentis quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere studeant, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum quod subest pertrahendi Fideles in errorem; etiam circa Fidei dogmata; et ansam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum puritati Fidei, doctrinae Catholicae ac verae pietati.

EX S. C. SUPER DISCIPLINA REGULARI

Ordinis Minorum Reformatorum.
DUBIUM quoad dispensationem super votis simplicibus....

Beatissime Pater,

Fr. Diomedes a Pescocostantio, Procurator Generalis Minorum Reformatorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, expostulat declarationem ad sequens dubium:

Fr. N. Clericus Provinciae N. postulavit dispensationem super votis simplicibus emissis die 6 martii 1887, asserens se ob infirmam valetudinem, non posse in Ordine permanere. Die 4 Septembris 1888, Sacra Congregatio super disciplina Regularium benigne annuit Patri Ministro Generali ad effectum de quo in precibus; qui die 8 septembris 1888 his verbis: dispensamus, et ab omni vinculo et obligatione dictorum votorum liberum vitae saeculari restituimus..., Rescriptum executioni demandavit uti ex allato apographo patet. Interim vero die 4 septembris Fr. N. ad Ministrum Provincialem scripserat: se a daemone deceptum, falsam in petitione exposuisse causam, quapropter velle se in Ordine mori, et rogabat ne dispensatio a votis simplicibus sibi intimaretur. Minister Provincialis, misericordia motus, cuius preces exaudivit, de sua resipiscentia Ministrum Generalem certiorem reddidit et die 6 aprilis 1890, triennio elapso eum ad vota solemnia admisit. Hinc quaeritur:

Utrum Fr. N. petitione sua die 4 septembris non obstante, super votis simplicibus Rescripto 4 septembris, vel eius executione die 8 septembris 1888; reapse dispensatus extiterit, ut eius solemnis professio invalida censenda sit?

Sacra Congregatio super disciplina Regulari, proposito dubio mature perpenso, reposuit: Negative quoad utramque partem.

Romae, die 15 martii 1892.

I. Card. VERGA Praef.

I. M. Granniello Barn. Secret.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NEMAUSEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 9 Septembris 1893.

Sess. 24 cap. 1 de reform. matr.

Compendium facti. Martha Révoil triginta annos nata, et Caietanus Carles, medicinam faciens, matrimoniali foedere, die 28 Aprilis 1891, rite copulabantur in ecclesia paroeciali Sanctae Felicitatis et Perpetuae civitatis Nemausensis in Gallia. Infelicem at vero exitum huiusmodi nuptiae sortitae fuerunt. Quandoquidem Caietanus eodem die, quo nuptiae initae fuerunt, graviter uxorem vexare coepit obscoenis modis, obscoenioribusque sermonibus; nec, si Martham audias, matrimonium consummare voluit nec potuit, cum morbo venereo laboraret.

Mulier per duos menses cum viro habitavit; at deinde pater, qui tandem miserandam filiae conditionem eiusque valetudinis detrimentum cognoverat, curam reducendae domum filiae fidissimo amico commisit. Hic, praetextu patris infirmitatis arrepto, Martham reduxit, quae maritales lares amplius non revisit. Imo laicum tribunal adiit; atque non obstantibus Caietani literis, qui interea ob futuri formidinem *pellem* mutasse videtur, et amissae mulieris benevolentiam recuperare conabatur; civile iudicium prosequuta, allegans iniurias et saevitias graves, sententiam separationis quoad bona et habitationem obtinuit die 19 Martii 1892. Praeterea paullo post supplicavit SSmo ut secum dispensare dignaretur super matrimonio rato et non consummato.

Episcopus Nemausensis, cui de Supremi Pontificis mandato S. Congregatio indixerat, ut processum tam super inconsummatione matrimonii, quam super causis dispensationis

ceu de more conficeret, die 16 Maii 1893 Tribunali rite constituto, iudicium absque mora instrui curavit. Exinde percontata est mulier, nec non septima eius manus quae religionem, pietatem et veracitatem actricis explicite commendavit. Vir autem, licet pluries vocatus, et in Curia sistere et testes ex sua parte producere renuit. Peracta subinde est corporalis mulieris inspectio per duos medicos, Superiorissa Sororum a S. Iosepho adstante ac officium matronae adimplente, adhibito balneo aquae tepentis ; omnesque absque haesitantia de illius virginitate, inconsummationeque matrimonii sententiam tulerunt. Quare Episcopus litteris diei 12 Maii huius anni processus acta ad S. C. C. transmittens, haec subiungebat :

« Quod si mentem meam de ipsius causae merito aperire liceat, non dubius asseram et plene probatam esse matrimonii inconsummationem, et satis apparere causas dispensationis concedendae, et demum oratricem esse dignam quae Sanctitatis Suae benignitatem persentiat ».

Disceptatio Synoptica.

Defensio mulieris. Patronus inconsummationis, postquam adnotaverit quod contumacia unius coniugis alteri praeiudicium afferre nequit, dummodo aliunde de matrimonii non consummatione satis superque constet, ceu pluries tenuit haec Sacra Congregatio : veluti in Spoletana *Matrimonii 20 Decembris 1873, 8 Iulii* et *2 Septembris 1876 ;* in Praenestina *Matrimonii 12 Iulii* et *12 Septembris 1884,* et aliis pluribus : (1) quae immo, discrepantibus viro et muliere, censuit potius mulieri consummationem neganti, quam viro affirmanti, fidem esse adhibendam, dummodo mulier per aspectum corporis se virginem esse probet : affirmat in themate omnia ea argumenta et adminicula concurrere, quae in huiusmodi causis ad moralem certitudinem de non sequuta consummatione gignendam requiruntur. Et primo quod iuratam mulieris confessionem attinet, memorat, Martham sub iurisiu-

(1) Confer. vol. XVII, 322 Praenestina matrimonii.

randi religione coram ecclesiastico tribunali declaravisse : matrimonium numquam consummatum fuisse, seseque in virginitatis statu permanere. Cui mulieris confessioni plenam fidem adhibendam esse omnes testes, nemine excepto, affirmasse recolit patronus. Re sane vera pater actricis asserit omnino filiae credendum esse, quia mendacii incapax semper fuit.

Eadem testati sunt, inter ceteros, Episcopus Nemausensis, frater et soror actricis, domina Martin, rev. P. Clavé e Societate Iesu, Marthae confessor, qui coram iudice deposuit : actricem sibi visam esse omnino fide dignam, eiusque declarationes maxima sinceritatis signa prae se ferre.

Nec testes, pergit orator, de mulieris sinceritate dumtaxat deponunt, deponunt etiam secundum ea quae viderunt et audierunt de matrimonii inconsummatione. Sic pater actricis per veterem quamdam famulam, necnon per litteras, quas ad eum Caietanus miserat, matrimonii inconsummationem cognovit. His succedunt alii testes, qui solemniter affirmant matrimonium nunquam fuisse consummatum. Ita, animadvertit patronus dominus Martin qui ex ore ipsius Caietani matrimonii non consummationem apprehenderat.

Postremo Episcopus ipse Nemausensis ait : « Quod si mentem meam de ipsius causae merito aperire liceat, non dubius asseram et plene probatam esse matrimonii inconsummationem et satis apparere causas dispensationis concedendae ».

Inductos autem testes probitate, religione, fide et sinceritate quam maxime pollere, censet orator. Re sane vera en quid de iis sentit Episcopus Nemausensis : « Superest nunc dicam, oratricem ipsam et eiusdem totam familiam probitate et religione, fide et sinceritate eminere. Pater Pontificalium Ordinum equestrium Commendator, plurimum de religione hisce in partibus meritus est, adeo ut ipsorum testimoniis plenam fidem adhibendam esse non dubitem. Idem dicam de singulis testibus in causa productis ».

Praeterea in causa, animadvertit patronus, aliud validis-

simum argumentum de non peracta consummatione ex praesumptionibus colligi. Siquidem, ait, satis superque constat Caietanum venereo morbo per id temporis laborare, proindeque in huiusmodi tristissima conditione vel noluisse vel non potuisse matrimonium consummare.

Insuper in facto positum esse, monet orator, Caietanum mulierem evitasse ; fere nunquam in eodem lecto cubuisse ; eius blanditias respuisse, contumeliis spretuque eam prosequutum esse; quod deponit domina Martin, et ceteri testes loquuntur. Gravissimas igitur praesumptiones etiam extare de non peracta matrimonii consummatione censet. Verum, pergit orator, si qua adhuc dubitationis alea superesse posset, hanc evanescere dicendum est si prae oculis habeantur depositiones et relationes peritorum medicorum, qui ad iudicialem Marthae corporis inspectionem processerunt. Observat autem in themate praescriptiones canonicas in inspectione peragenda religiosissime servatas fuisse. Medici autem coram iudice unisona voce Martham integram proclamasse enarrat. Quibus iudicialibus utriusque medici dispositionibus plenam confirmationem accedere, memorat orator, ex iis quae iidem in relationibus scripto seorsim panditis retulerant.

Neminem autem latet, adurget patronus, quanta sit vis argumenti a physicis virginitatis signis, et praesertim ab hymenis integritate deprompta. Sane Zacchia in *lib. 4 quaes. med. leg. tit. 2 quaest. 1 n. 1,* ait : « Multa in medium adducuntur, quibus praesentibus, de virginitatis integritate ambigi non potest, praecipue autem id probare videtur infallibile et insuperabile signum ab hymene desumptum, qua praesente virginem esse illibatam satis superque notum est etiam iis testibus, qui de hymenis natura et veritate dubitant ». Concinit Bartolinius *Inst. Anatom. cap. 31;* Barzellotti *quest. di medic. leg., tom. 1, lib. 1, cap. 5,* aliique passim. Praeterea ait patronus cum Abbas in *cap. Proposuisti 4. De probat. num. 3:* « Ubi (res) probanda est in qua iudex non est instructus nec instrui potest, sive quia huius rei inexpertus est, sive quia honestas non patitur, recurren-

dum est ad iudicium peritorum in illa parte, et secundum illorum testimonium iudex profert sententiam ».

Quare, concludit patronus, ita extra dubitationis aleam matrimonii inconsummationem esse positam, ut nil aliud ad rei evidentiam desiderari possit.

Deinde difficultatibus, quae forsitan ex adverso obiicientur patronus praecurrens, ad exceptionem contra inspectionem medicam in qua obstetrices adhibitae haud fuerunt, diluendam pergit, ipsa afferens verba Episcopi dioecesani scribentis : « Iamvero quod ad peritorum examen spectat, Eminentiam Vestram non latet apud nos fore impossibile sequi omnimode Instructionem anni 1840 : medici de relatione obstetricum iudicium proferre nollent, insuper scandalum facile praeberet examen peractum in domo, et in praesentia alicuius matronae. Satius igitur visum est sequi praxim in Curia Parisiensi et aliis huius regionis usitatam : inspectio corporalis commissa est duobus peritis medicis, probis et catholicis, locus vero designatus est nosocomium aegrotantium mulierum, cui inserviunt mulieres moniales, quarum una munus matronae adimpleret. Cetera vero adamussim observata sunt. Confido autem S. Congregationem nihil hac in re reprehensuram ».

Ceterum, adnotat orator, quod attinet ad inspectionis substantiam, quae in omnibus prae oculis habenda est, magis cautum provisumque fuit doctos probosque viros, qui de visu et tactu, et non de relato virginitatem cognoscerent, quam obstetrices adhibendo. Confidit igitur, una cum Episcopo Nemausensi, Eminentias Vestras nihil in hac re reprehensuras, praesertim cum huiusmodi praxis iam invaluerit, non in provinciis gallicis dumtaxat, sed etiam in aliis regionibus ; neque a S. Congregatione improbata fuerit, quemadmodum videre est in causis *Venetiarum 28 Iulii 1860, in Patavina 23 Septembr. 1865,* et recentissime in *Versalien. mensis Iulii 1891,* aliisque passim (1).

(1) Recole Parisien. Vol. XXII, 366.

Ulterius orator ut demonstret Marthae minime nocere posse deficientiam testimonii *septimae manus* ex latere viri, observat, Caietanum rite citatum, per literas Iudici significasse « se nolle comparere, sibique in mente esse nullas in causa partes habere ». Cum igitur per mulierem non steterit quominus ex latere viri testes adhiberentur, horum defectus ei nullum praeiudicium afferre debet, ceu pluries tenuit S. Congregatio C. et novissime *in Varsavien. 11 Maii 1887*, in *Parisien. 3 Augusti 1889*. Neque dicendum esse, putat defensor, quod Caietani consanguinei citandi erant ex officio. Re sane vera si Caietani mater, quae optime omnia noverat, et cui potissimum pro filii existimatione interesse debebat, ut lux fieret, comparere renuit, immo nihil omnino respondit, inutile prorsus erat citare alios consanguineos, qui procul dubio Caietano renuente, matre renuente, omnes renuissent.

Immo ultra progreditur orator et affirmare non dubitat, quin in praesenti causa examen testium ex latere viri, nullo modo rerum substantiam immutare potuerit. Nil enim excutiendi testes adiicere potuissent, quod Caietanus in suis litteris fassus non sit. Si matrimonii inconsummationem, convicia, spretus confirmassent, haec et Caietanus confirmat. Si inconsummationem, iniurias, convicia, contumelias negavissent, fides ipsis tribuenda non fuisset, contra Caietani confessionem, qui in litteris ad Martham, eiusque patrem non poterat clarius matrimonii inconsummationem saevitiasque in mulierem fateri. Immo ex actis constare, eam confessionem plene confirmaturos fore asseverat patronus. Unus enim testium, qui ex latere viri citari potuisset, nempe dynastes d'Anglas, qui matrimonialibus negotiis interfuit, quique a Caietano in celebratione nuptiarum veluti testis adhibitus fuit, in litteris ad patrem actricis loquitur de inconsummatione huius connubii.

Quamobrem, concludit, etsi testimonium ex latere viri deficiat, in processu tamen est quod huiusmodi defectui abunde suppleat, ita ut plenissima moralis certitudo de matrimonii inconsummatione exoriatur.

Gradum deinde faciens orator ad dispensationis causas enucleandas, primam infert ex viri iniuriis saevitiisque.

Secundam dispensationis causam in insanabili et contagioso morbo, quo Caietanus laborat, collocat patronus. Huiusmodi enim turpissimus morbus non solum inter iniurias graves recensendus est, sed potissimam dispensationis causam continere censet. Concubitus enim mulieri perniciosus, proli perniciosior foret.

Tertia dispensationis causa ex insuperabili coniugum aversione, petitur, de qua abunde dissert Ursaya *Discept. 21, num. 60, 61, 62 tom. 3 part. 2, et discept. 7 n. 76, 77 tom. 3 part 1;* Corrad. *in praxi dispensat. lib. 8 cap. 3 num. 33,* et quam abunde probatam ex testium depositionibus esse autumat,

Quarta dispensationis causa habetur, iuxta patronum in sententia separationis iam a Tribunali civili prolata.

Quinta denique in spirituali utilitate dispensationem petentis. Huiusmodi enim causa plurimi semper habita est ad gratiam concedendam, ceu testatur Perez *De matrim. disputat. 20, sect. 7, num. 11,* et docent passim S. Rota et innumerae Sacrae huius Congregationis resolutiones.

Animadversiones s. Vinculi defensoris. Totis e contra viribus contendit Sacramenti vindex, non liquere neque de matrimonii inconsummatione, neque de iustis dispensandi causis.

Ac primo specimen in actricis corpore a duobus medicis peractum nihil faciendum esse putat, tum quia medentes, qui Martham virginem conclamant, corpus eius ita recognoverunt ut decipi facillime potuerint, tum quia peractae explorationis testimonium ita reddiderunt, ut decipere impune possint. Revera ex receptissima archiatrorum sententia, praeter genitalia, ceteras quoque corporis partes in exploranda muliere prae oculis habendas esse, probare nititur auctoritate Zacchiae *Quaest. medic. leg. lib. 3, tit. 2, q. 7, n. 3 et seqq., lib. 4, tit. 2, q. 3, n. 13.* Saepe enim, ut ait Sanchez *De matrim. lib. 7, disp. 108, n. 8,* « oculi et manus (explorantium) falluntur ; eo vel maxime quod feminae multis fraudibus

utuntur, quibus virgines appareant ». Quas fraudes enumerari refert a Zacchia *Quaest. medic. leg. lib. 3, tit. 2, quaest. 7, n. 1.*

Insuper timendum esse dicit, medicos, qui ceteras corporis partes, praeter muliebria, non considerant, decipi posse non solum ob memoratum fraudis periculum, sed etiam ob alias causas omnino naturales ; nam virgo, intacto manente hymene, nedum consummare matrimonium, verum etiam prolem concipere potest ; et ad rem refert verba saepe dicti Zacchiae, qui *lib. 4, tit. 2, q. 1, n. 28 et seqq.* ait : « Hoc autem dupliciter evenire potest. Uno modo, si membrana illa (hymen) adeo dura sit, ut disrumpi a congressore non possit ; tunc enim si vir intra uteri collum semen effundat, et uterus illud attrahat per orificium quod perpetuo in illa membrana reperiri certum est et minime controversum, potest mulier concipere. Secundo modo, si vir membrum habeat admodum breve et membrana illa sit altius interiusque posita ; vel ipsa mulier uteri collum habeat praelongum ; tunc enim idem quod in superiori casu evenire poterit. Addam duos alios modos ; unum si, virga tenui existente, hymenis orificium sit ampliusculum, nam absque hymenis dilaceratione mulier corrumpi potest et concipere. Quartus modus est notatu prae ceteris dignissimus, ut qui eventu frequentior esse soleat, et maxime notatur a Pinaeo ; quando virgines uno aut altero die, aut etiam tertio et quarto praegresso a menstrua purgatione viro iunguntur, quia tunc non solum virum facile et absque dolore admittunt, sed quod mirum duxeris, membranae illae, quae hymenem constituunt, non disrumpuntur, sed tantummodo ob praegressam menstruorum humiditatem relaxantur, ita ut facile congredientis peni absque eorum dilaceratione cedant ; et tunc etiam mulierem concipere posse nihil obstat. Vides ergo quot modis corrumpi possit virginitas, et tamen virgo incorruptissima intuentibus apparere, si his exterioribus signis fidem habeamus ». Cui concinunt moderni salutaris artis proceres, quos inter doctor Pineau, et praeclarus archiater Petrus Budin.

At in praesenti causa, animadvertit Sacramenti tutor, medici Albertus Puech et Leo Raynaud, in Marthae corpore perlustrando, nihil praestiterunt ad tam obvia deceptionis pericula praecavenda : sed mirabili animi levitate, Martham virginem proclamarunt, uno tantum virginitatis iudicio, hymenis scilicet integritati innixi : non tamen ceteras partes corporis, colorem, aliave huiusmodi prae oculis habuerunt.

Ulterius, pergit orator, timendum non solum est ne medici cognitores decipiantur, sed etiam ne decipiant. Hac sane de causa certae cautelae invectae sunt, quibus servatis, periti, etsi velint, decipere non possint. Re enim vera in Instructione a S. C. C. edita die 22 Augusti 1840 § *Procedendum et seq.* cautum est, ut corpus mulieris perlustrent tres saltem obstetrices ; idque ita peragant, ut quaelibet obstetrix scriptam expletae explorationis relationem emittat atque iudiciale subeat examen, antequam cognoscere possit testimonium aliarum obstetricum ; cautum pariter est, ut duo saltem medici primum obstetrices recognitionem corporis peracturas instruant, deinde relationem ab obstetricibus editam expendant ac iudicent. Quocirca quinque saltem testes adhibendi sunt : scilicet tres obstetrices ac duo medici ; et ad praecavenda quaecumque fraudis collusionisque pericula sancitum est, ut quilibet testimonium suum edat, prius quam de aliorum testimonio certiorari vel suspicari ullatenus queat. At in praesenti causa medici Albertus Puech et Leo Raynaud, sine aliis testibus ac arbitris, remotis obstetricibus, negotium absolverunt ; et ita absolverunt, ut uterque dum virginitatis testimonium edidit, testimonium ab altero emissum sive emittendum probe nosceret : adeo ut non iam quinque, imo neque duo sed unus tantum quodammodo testis habeatur.

Porro in themate, iuxta defensorem, iudex Nemausensis medicis commisit ut, una simul collatis consiliis, negotium explorationis absolverent, idque factum putat quia Nemausi iudex exemplum sequi voluit iudicis Parisiensis, qui in literis ad S. Concilii Congregationem die 21 decembris 1891 datis, testatus est : « Peritos ingredi quidem ambos simul in cubi-

culum in quo fit inspectio, sed deinde seorsim corpus inspicere, quod satis esse videtur, attento instructionis contextu ». Idque contrarium prorsus esse, contendit orator, *cit. Instruct.*, cuius verba: « Ad corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit », explicat et maxime urget.

Neque coniugum confessionem praesenti in causa maioris ponderis esse vinculi defensor putat. Etenim iuratam Marthae confessionem de matrimonii inconsummatione reiicit, quia iuxta Sanchez *De matrim. lib. 2, disput. 45, n. 33:* « Confessio ea, cum sit in confitentis favorem, nihil probat ». Nec aliquid facessere, ait, Caietani confessionem: profecto in litteris a Caietano ad Marthae patrem datis decantata inconsummationis matrimonii confessio a Caietano in iis edita minime invenitur.

Praeterea testis Ioannes Clavé, prae ceteris testibus dubio procul fide dignus, quippe qui est sacerdotali charactere insignitus atque illustri Societati Iesu ascriptus, quaerenti iudici « Savez-vous et comment avez-vous su que Mr. Carles aurait avoué lui-même n'avoir pas consommé le mariage? en a-t-il assigné la cause, et a quelles personne a-t-il fait ses aveux? » interposita iuramenti fide reposuit: « Rien; » dum e contra Martha asseruerat: « Mr. Carles a fait des confidences très-explicites au R. P. Clavé ». Etsi igitur matrimonium haud consummatum esset, Ioannes Clavé certo certius scivisset, neque Caietanus id Ioanni celavisset, quia illum habuit velut arbitrum coniugalis pacis quam reipsa Ioannes restauravit. Si autem quidquam huiusmodi a Caietano didicisset, Ioannes in iudicio ultro citroque professus esset, quia Marthae addictissimum sese exhibet.

Neque obiici posse putat, Ioannem siluisse, quia Marthae a sacramentalibus confessionibus erat. Nam res heic est de iis, quae non in sacramentali confessione, sed in restauratione concordiae coniugalis accepit. Et Ioannes in more habet quidquid extra sacramentum Poenitentiae rescivit, iudici absque ambagibus denuntiare, adiecta clausula « C'est tout ce que la discrétion professionnelle lui permet de dire ».

Reiicit insuper Sacramenti vindex testimonium Felicis Martin asserentis : defuisse omnino matrimonii consummationem, etsi condormierint coniuges in eodem lecto ; tum quia nullam suae scientiae profert causam, quod iuxta Mansella *De impedim. etc. cap. 8, art. 3. n. 18,* in causis praesertim matrimonialibus prorsus necessarium est, ita ut si testis « respondere nolit aut nequeat, eo vel magis si neget, vel falsam aut ineptam alleget (causam), fides ei omnino adimatur, nullamque faciat probationem ; » tum quia testimonium illud suspectum habet. Nam ille non solum respondere recusat iudici quaerenti quomodo didicisti quod Carles confessus esset non consummavisse matrimonium, et quibus personis hanc confessionem fecisset. Sed e contra ad ea respondet de quibus non est interrogatus. Profecto responsionem ita exorditur : coniuges istos condormisse tantum in eodem lecto in principio. Huc accedit quod Michael Martin est « ancien suppléant de la justice de paix ; » et proinde astutias in subeundis examinibus adhiberi solitas apprime callet.

Falso autem, censet, a contradictore deduci Caietani de inconsummatione matrimonii confessionem ex quibusdam verbis depromptis ex eius litteris ad Marthae patrem : si non cohabitavi cum mea uxore, causa tribuenda est meae prudentiae, et quia removere non valui suspiciones....

Siquidem Martha eiusque pater non solum in Caietani confessionibus haud confidunt, sed eas quam maxime reformidant. Eapropter Caietanus incassum, prece et observatione humili a Marthae patre contendit, ut sibi eum alloqui liceret. Eapropter praesens inquisitio non a Montis Pessulan., prouti de iure ; sed a Neumasen. Ordinario peracta est.

Re sane vera, adnotat validitatis tutor, inquisitio ab Ordinario Montis Pessulano, ubi Caietanus domicilium habet, explenda foret iuxta vulgatissima iuris axiomata « Actor sequitur forum rei ; – Reus coram suo iudice est conveniendus ; – Iudici non suo non paretur impune ; – nec non iuxta Instructionem de Propaganda Fide anni 1883 caventem « coniuges in causis matrim. subsunt Episcopo, in cuius Dioecesi maritus

domicilium habet ». Porro, instat defensor, auctoritati innixus cl. Mansella *(De impot. matr. dir. part. 1, cap. 5, art. 1)* « cum uxor sortiatur viri sui domicilium et forum, hinc coniuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo, in cuius Dioecesi maritus domicilium habet. Quod si coniugale vitae consortium per separationem a toro et mensa sublatum sit, hoc in casu iudex competens est Episcopus ille, in cuius Dioecesi domicilium habet pars, contra quam proceditur ». Ergo, concludit, non Nemausi, sed Monte Pessulano inquisitio facienda erat.

Praeterea vehementer miratur defensor, quod Martha, ut a Sacratissimo Principe inquisitionis in civitate Nemausensi peragendae beneficium obtineret, asserere ausa fuisset se – in civitate Nemausensi ex sententia tribunalis commorari debere ; et : Potiores partes processus se habent ex parte eiusdem oratricis ; – dum ipsamet Martha ita facta concinnat in themate demonstranda : « Matrimonium felices exitus non habuit, cum Caietanus morbo venereo affectus matrimonium nec consummaverit, nec consummare potuerit, et insuper graviter oratricem vexaverit ». Quae quidem facta, cum Monte Pessulano perpetrata sint, ibi et non alibi nota sunt, proin vehementer dolet, quod nullus inquisitionis actus Monte Pessulano confectus, nullus Montis Pessulan. dioecesis testis ad examen adductus ; non Caietanus, non testes *septimae manus* ex latere viri excussi sint, quamvis Instructio a S. C. C. die 22 Augusti 1840 edita, strictissime praecipiat examen *septimae manus* ex utroque latere.

Frustra autem, prosequitur Sacramenti vindex, ex adverso obiicitur : « Cum per mulierem non steterit quominus ex latere viri testes adhiberentur, horum defectus ei nullum praeiudicium afferre debet ». Nam impune dari potest per mulierem non stetisse quominus ex latere viri testes adhiberentur ; non enim exinde consequitur defectum huiusmodi praesenti in causa sperni posse. Sane testimonium *septimae manus* ex utroque latere in causis matrimonialibus, praeter probationes, aliis etiam in negotiis requisitas, praescriptum

est, ceu advertit Sanchez *De matrim. lib. 7, disput. 108. n. 7:* « Ut, cautiori diligentia adhibita, dissolutio matri- » monii fiat. Quae res maximi momenti est ». Quod eo magis urget in themate, quia potissimum, unicum argumentum, cui innititur adversa actio, nempe specimen in corpore mulieris peractum, ita expletum est, ut medici cognitores et decipi et decipere facillime potuerint.

Nec satis; at ultra progreditur defensor et asserere haud dubitat alienissimum a veritate esse, per mulierem non stetisse quominus ex latere viri testes adhiberentur. Siquidem Marthae pater, Caietanum cupientem os ad os loqui, et facta, prouti prostant, nitide sibi narrare, inciviliter crudeliterque ab se reiecit. Martha vero per obreptitias preces obtinuit, ut inquisitio fieret Nemausi, cum Caietanus eiusque testes Monte Pessulano versentur.

Item Marthae pater in iudicio utique deposuit scivisse a quadam famula, matrimonium non fuisse consummatum, et a quibusdam medicis consummari non potuisse causâ syphilidis mariti, absque gravi mulieris periculo, et aegre fert quod suprascripti testes optime edocti ad iudicii aulam accedant. De famula enim inquit: « trop agée, et trop affaiblie aujourd'hui pour pouvoir être interrogée ». Quoad vero medicos, nec domicilium, nec eorum nomen designat.

Iudex autem a Martha electus in patris Marthae vota concessit, non ad examen accivit famulam, non de medicis sollicitus fuit, quamvis perspicuum sit, iuxta oratorem, famulam haud ita esse « agée » et « affaiblie » ut neque in aula iudicii, neque domi examini subiici queat; quamvis Instructio S. C. C. diei 22 Augusti 1840 sapientissime mandet, ut praeprimis in causis huiusce speciei medici ad examen adducantur, qui a viro ad curationem adhibiti sunt.

Nec dicere iuvat quod Marthae pater, si testimonium famulae aut medentium reformidasset, illos silentio praeteriisset. Illi enim silentium prodesse haud poterat semel ac testimonium famulorum et medentium in istiusmodi causis iudices ex officio exquirere soleant.

Postremo, observat defensor, prout testes, ita et epistolae, quae magnam lucem effundere possent, iudicialibus tabulis minime inseruntur. Sane Paulus Révoil, Marthae frater, si eum audias « a appris par une lettre de Mme Morel, leur sœur que le mariage n'avait pas été consommé ». Item Blanca Martin ait: « Des lettres écrites par Marthe à sa sœur et à madame Martin confirmaient sa triste situation et donnaient des détails, tant sur la maladie de son mari, que sur l'abandon où celui-là la laissait ». Attamen literas, nec Paulus Révoil, nec Ioanna Morel, Marthae soror, nec Blanca Martin actis inserunt. Quae cum ita sint, orator autumat fieri optime posse, ut decantata Marthae integritas virginalis in leves auras abeat, si specimen peragatur ad tramitem iuris, adhibitis scilicet cautelis a saeculo invectis ad fraudes et collusiones praecavendas : fieri aeque posse, ut inter fabulas amandentur syphiliticus morbus aliaque in absentem Caietanum impune congesta, si dioecesis Montis Pessulan. Ordinario committatur, ut curet Caietanum ad examen adducere, atque testes septimae manus ex latere viri aliosque, quos de re instructos comperiet, excutiat, vanum disputare putat de dispensationis causis.

Hisce, aliisque praenotatis, enodandum propositum fuit

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. C. re discussa sub die 9 Septembris 1893, censuit respondere: *Affirmative.*

BUGELLEN.

MATRIMONII

Die 9 Septembris 1893.

Sess. 24 Cap. 1 De reform.

Compendium facti. In ecclesia paroeciali loci Arro Salussola dioecesis Bugellensis, die 7 Februarii 1889, praetermisso actu civili, matrimonium iuxta formam tridentinam contrahebant Franciscus Spina annorum 23 et Margarita Figino 20 annos nata.

Cum ante nuptiarum celebrationem rumor percrebuisset, Margaritam alterius operâ uterum gerere, idque rescivisset Franciscus, eo res pervenerant ut initi sponsales tractatus penitus abrumperentur. Verum postquam mulier, suam innocentiam aperte denuntians, sponsum non sine lacrymis obtestata esset ne potius aliorum dictis quam sibi fidem adhiberet, matrimonialis contractus, uti iam dictum est ad effectum perductus fuit.

Ipsa prima contubernii nocte rei uxoriae coniuges operam dare coeperunt. Sed postea Franciscus ratus famam veritati cohaerere, elapsis viginti circiter a suscepta cohabitatione diebus, uxorem dimisit. Tunc Margarita maternam domum primum reversa est, ac inde Bugellam perrexit ubi, ut ipsa fatetur, labente mense Iunio eiusdem anni in publico hospitio foetum enixa fuit.

Die 18 Novembris 1890 Franciscus, asserens se conditionaliter tantum sponsalitiam fidem Margaritae dixisse, ab Episcopo petebat, ut suum matrimonium nullum ex defectu consensus declararetur. Siquidem consensum a se praestitum sub conditione quod Margarita tunc ventrem non ferret, hac non purificata, irritum esse contendebat. Ut autem id innotesceret, Praesul ad tramites iuris tribunal constituit, coram quo deinde et coniuges et eorum septima manus, sub sacramenti sanctitate deposuerunt. Absoluto processu, eiusdem acta die 7 Ianuarii 1891 publicata fuere ac partes monitae

ut sua iura deducerent. Quae cum non possent aut vellent se defendere, acta transmissa fuerunt Sacrae Congregationi Concilii.

Disceptatio Synoptica

Votum theologi. In hac causa dubium dirimendum proponitur an constet de nullitate matrimonii, quod asseritur fuisse *conditionate* contractum inter Franciscum Spina, et Margaritam Figino, ambo ex oppido Arro Salussola Dioecesis Bugellensis.

Franciscus Spina amore captus erga Margaritam Figino eam sibi in uxorem delegit, et ideo praeviae habitae sunt feliciter inter parentes tractationes. Sed cum in oppido fama vulgasset, Margaritam, alterius operâ, in utero gerere, Franciscus a sponsione resilivit. Ast Margarita aegerrime repulsam perferens, lacrymis, et iureiurando obtestata est calumniam sibi fuisse impactam, et esse innocentem. Franciscus verbis, et lacrimis fidem habuit, et matrimonium cum ea rite celebravit in Ecclesia sub die 7 Februarii 1879. Verum prima nuptiarum nocte dans operam rei uxoriae expertus est Sponsam esse gravidam, quod et iterum cognovit. Ad certitudinem consequendam, collatis consiliis cum parentibus, Sponsae proposuit, ut se explorari patereretur a medico, vel obstetrice: sed illa pertinaciter recusavit. Unde Franciscus, post quindecim circiter dies cohabitationis, sponsam eiecit et ad matrem remisit. Margarita vero Bugellam se contulit, ibique in nosocomio, exeunte mense Iunio eiusdem anni 1889, foetum enixa est sicuti confessa est.

Siluit Franciscus ad finem usque anni 1890: tunc Episcopum adiit rogans, ut matrimonium declararet invalidum, affirmans se cum Margarita matrimonium contraxisse cum *conditione, sine qua non,* scilicet ut illa ventrem non gereret, modo non purificata conditione se liberum esse a data fide concludebat. Episcopus querelam excepit, et processus in eadem Curia confectus est, cuius acta transmissa fuerunt ad

hoc S. Tribunal. Non dubito quin Curia Bugellensis omnia rite compleverit, quae in eiusmodi iudiciis sunt praescripta.

Contractibus, in quibus duo, vel plures conveniunt, posse adiici conditiones, quibus purificatis, contractus transeunt in absolutos, et vicissim non purificatis cadunt in nullitatem, leges tum civiles, tum ecclesiasticae admittunt. Unde quando promissiones sunt conditionatae, et conditio ab una ex partibus non fuit adimpleta, altera ab omni vinculo liberatur.

Cum matrimonium verus sit contractus, ita in eo possunt adiici conditiones, sicuti in ceteris, hoc tamen discrimine, quod conditio debeat esse de praeterito, vel de praesenti, numquam vero de futuro; cum enim eius natura exigat perpetuam firmitatem, talis consensus, cui innititur Sacramentum, a conditione dependeret, et sic nutaret firmitas. His praenotatis, ad dubii propositi solutionem progrediamur.

Iudicium de valore, aut nullitate huius connubii deducendum erit ex conditione, scilicet an conditio de praesenti revera fuerit adiecta, et an conditio fuerit impleta « *Stat matrimonium, stante conditione, et ea non stante, non stat.* » Verba sunt D. Thomae Aquin.

In casu itaque nostro ut veritas elucescat certi esse debemus an revera Franciscus Spina in ducenda sibi in uxorem Margarita ita consensum suum alligaverit conditioni, ut numquam ducturus eam esset, si femina in utero gestaret.

Talem autem fuisse Francisci intentionem colligitur ex antecedentibus matrimonium: pervulgata enim fama in oppido de Margaritae graviditate, omnem ipse abrupit tractatum, nolens ducere Sponsam, antea corruptam; quae quidem retractatio satis nos docet, ipsum semper in animo habuisse virginem ducere, et non aliter cogitasse. Et quamvis ipsa sponsa lacrymis et iureiurando sinistram de se famam abstergere sategerit, et Franciscus ita deceptus, bona fide eam duxerit, tamen antea conditionem expressit: conditio vero, quae praecedit matrimonium, impedit absolutum consensum. Sed audiatur ipse actor in suo examine: in uxorem duxi Margaritam sub conditione eius integritatis; quam conditionem

eidem patefeci per matrem eiusdem: etenim constitueram eam non ducere si utero gravis esset. Ex his, aliisque eius dictis non obscure patet, Franciscum conditionate matrimonio consensisse. Quod si dicatur ex sola eius depositione id constare, praesto sunt testes non pauci, qui iudicialiter compulsi asserunt, Franciscum ante matrimonium tam ipsi sponsae, quam parentibus et amicis aperte denunciasse se *conditionate*, et *non aliter* Margaritam ducere.

Ast matrimonium postea rite celebravit: utique, sed illusus, ac deceptus a sponsae lacrymis et iuramento, consensum praestitit, qui quidem consensus falso et mendaci innitebatur supposito de sponsae innocentia. Consensus in matrimonio, docent theologi omnes, debet esse liber ab omni deceptione et dolo, et ideo consensus procedens ex errore et dolo nullum reddit contractum, etiamsi matrimonium fuerit consummatum.

Propterea non obest, quod Franciscus copulam semel, et iterum cum sponsa habuerit: semper enim defuit verus consensus, utpote pendens a veritate conditionis praemissae, et per experimentum novit se victimam proditionis fuisse. Nihilominus post primum experimentum, quo cognovit Margaritam in utero gerere *(essendomi accorto fin dalla prima volta, che la trattai che era inciuta)* abstinendum illi erat ab usu matrimonii: etenim quamvis conditiones quae sunt de praeterito vel de praesenti non suspendant assensum et matrimonium, suspendunt tamen usum, donec compertum fiat conditionem extare vel extitisse: in hoc quidem non erit laudandus, sed experimento certus factus est, conditionem ab se positam et expressam non extitisse. Quamobrem Franciscus abhorret ab omni reconciliatione cum Margarita, quae ipsum lacrymis et periurio decepit, et matrimonium simulavit: *fraus et dolus nemini debent suffragari.*

Itaque concludo: ex actoris examine, ex testium depositionibus et ex ipsius Margaritae confessione satis, ni fallor, iuridice et moraliter constat: 1. Matrimonium istud *conditionate* fuisse contractum; 2. pariter constat (physice quo-

que) ex una parte omnino conditionem defuisse : idcirco matrimonium inter Franciscum Spina, et Margaritam Figino nullitate laborare dicendum erit, et concludendum cum sententia Angelici Doctoris supra allata « *Stat matrimonium stante conditione, et ea non stante, non stat.* » Supp. Q. 47.

Votum Canonistae. Tralatitium in iure est, ait Consultor, consensum in matrimoniali contractu conditioni honestae et possibili de praeterito vel de praesenti alligari posse, ita ut matrimonium statim valeat vel nullum sit, prout conditio, quae apud partes adhuc incerta est, revera existit vel non. Pignatelli *t. IX Cons. 136 n. 5;* Schmalzgrueber *p. IV t. 5 n. 22;* Sanchez *l. 5 disp. 6. n. 1.* Patet autem hic conditionis vocabulum, late imo improprie usurpari, cum, iuxta *l. Institutio 1 ff. De cond. instit.*, « nulla sit conditio, quae in praeteritum confertur vel in praesens », sed omnino requiratur ut illius eventus in futurum contingens sit. Dato itaque in themate quod Franciscus non consenserit in Margaritam si uterum ferret, atque haec reapse eo temporis praegnantia laboraverit, nullum erit matrimonium, consensu deficiente. Relicta itaque Pitonii aliorumque doctrina tradentium conditionem in pactum deducendam esse in ipso matrimonii actu coram parocho et testibus, duo hic ab actore probanda esse censerem, videlicet 1. conditionem antea appositam a se fuisse, nec postea revocatam, et 2. eamdem minime purificatam extitisse.

Iamvero quod primum attinet, refert equidem Franciscus: sese firmiter constituisse eam in uxorem ducere quatenus expers esset imputati criminis, in casu contrario minime matrimonium inivisset; ita ut consensus viri subordinaretur innocentiae mulieris; ast haec ad matrimonii nullitatem evincendam profecto non sufficiunt. Num ille in animo habuerit pure et simpliciter, vel conditionate in matrimonium consentire scit Deus, qui intuetur renes et cor. Verum in foro externo requiritur, ut de conditionis expressa appositione constet: conditio enim mente retenta in contractibus nihil operatur ex *l. Cum in plures 60,* §. *locator horrei, ff. Locati.*

Ac propius ad rem docet Schmalzgrueber *Par. II tit. V* § 2 de huiusmodi conditionibus quod « ut adiectae dici possint, debent esse expressae ». Porro deposuit Franciscus: certiorem feci de hac conditione Margaritam per matrem meam... quando ipsa iureiurando aperuit propriam innocentiam, ego per matrem meam, easdem praemonui, me illam in uxorem ducere nolle, si iam praegnans esset: ac iudici plenius sciscitanti respondit: hanc eamdem meam sententiam patefeci meae, matri aliisque; ac ulterius: utique patefeci hanc opinionem eidem Margaritae per meam matrem. Attamen Margarita de his interrogata, retulit: nihil scio de re, seu de conditione de qua mihi quaestio fit; eius mater mihi dixit aliquid obmussitari de me; quod si verum esset, matrimonium perficere nollent. Et postea ego aliud non novi nisi quod iam innuit, mihi matrem retulisse. Ac instante iudice, quoad tempus et adstantes, declaravit id per matrem novisse paucos post dies a declaratione meae innocentiae, ac ante matrimonii celebrationem in domo sponsi, ubi nemo aderat. Et tandem vero addidit: ego nescio quid vir cogitaret, sed ab aliis didici, quod repetebat: si vere est in culpa, ego consulam. Ex quibus omnibus videretur Francisci matrem non conditionem *sine qua non* a filio matrimonio apponendam, sed tantum suam ac familiae oppositionem et repugnantiam uni Margaritae manifestasse, quae proinde fassa est se mentem sponsi penitus ignorare. Depositio igitur mulieris nedum viri confessionem non confirmat, sed imo in pluribus reiicit.

At ad testes septimae manus et primo ad Victoriam Spina, actoris matrem, progrediamur. Porro haec, licet teneat, Franciscum conditionate in matrimonium consensisse, de conditione tamen a se nomine filii Margaritae expressa omnino silet, ac tantum refert: filium meum verbis sponsae perturbatum fuisse, sed nihil dixisse coram Margarita: ego vero dixi Margaritae, cogita quid agis, nam inito etiam matrimonio, filius te dimitteret. Quando Margarita abiit, filius adiecit: certe Margarita est innocens, aliter id iureiurando non firmasset! Haec autem conditionem in pactum deducen-

dam haud evincunt, et demandatum matri a Francisco munus, eandem conditionem sponsae exprimendi prorsus excludunt.

Ceteri adducti testes, vel aiunt, se nihil scire, vel opinionem suam ita pandunt: credo quod Franciscus quum matrimonium iniret, id tantum faceret in hypothesi et sub conditione quod mulier iam non esset praegnans. In suspicionem non adducam eos qui hisce verbis, ut ita dicam, stereotypis utuntur, licet omnes consanguineitate vel affinitate Francisco iungantur, et quamvis mulier declaraverit: scivi tamen die decima septima a celebratione matrimonii Franciscum advocatum consuluisse ut me remitteret in domum meam. Verumtamen animadvertam praefatos testes de opinione loqui, eamque ex eo derivare quod sponsus aliquibus dixerit: nolle eam in uxorem ducere aut velle eam abiicere quatenus innocens non esset. Iamvero concedendum est, Franciscum haud Margaritam ducturum in uxorem si credidisset illam utero gravem extare, nec inficias ibo illum minas et propositum expressisse culpabilem uxorem dimittendi : at haec a consensu sub conditione in matrimonio praestando toto coelo differunt. Siquidem aliud est voluntatem aliquam in genere manifestare, aliud autem eam per modum conditionis adiicere, ita ut sub ea et non alias contractum celebrare voluerit.

Post haec, ad consensum conditionate in casu praestitum evincendum una restat Francisci depositio, quae utpote unica et in confitentis favorem emissa, tamquam nullius ponderis reiicienda videretur. Quae magis magisque elucent, si in mentem revocetur, S. C. C. semper rigorosas probationes exegisse, quoties de validitate matrimonii ob adiectam et non purificatam conditionem controverteretur, ceu videre est in *Ulixbonen. anni 1724*, in *Barchinonen. anni 1734* et praesertim in *Novarien. diei 24 Februarii 1720*, in qua inter cetera haec prostant: « Sola ergo difficultas stat in probationibus, cum conditio apposita in contractu matrimoniali quoad virginitatem Annae et abstinentiam a copula, quae fuisse dicitur in hisce coniugibus, eorum tantummodo dictis innitatur, quod non videtur esse sufficiens, iuxta De-

cretalem Caelestini III in *Cap. Super eo, tit. De eo quī cognovit etc.* » Unde arguere fas esset, quod si utriusque coniugis depositio ut sufficiens probatio adiectae conditionis haud putanda erat in citata *Novarien.*, quae proinde in favorem validitatis matrimonii fuit definita, a fortiori in themate concludendum, sola Francisci confessione et uxore contradicente matrimonium conditionatum minime probari.

Verum ut quaestio plenius evolvatur, perpendendae veniunt circumstantiae, quae matrimonium inter Franciscum et Margaritam vel praecesserunt vel comitatae vel subsequutae fuerunt. Ac in primis observandum est, quod licet forsitan praesumptio aliqua appositae conditionis exurgere possit ex eo quod Franciscus vix rumores de sponsae praegnantia audivit, animum resiliendi a sponsalibus manifestavit, nihilominus praesumptionem hanc minime sufficere ad iugale vinculum labefactandum, eamque praeterea cedere debere veritati. Sane tum ex actoris cum ex testium depositionibus satis erui videretur, Franciscum post Margaritae lacrymas et obtestationes omnem prorsus suspicionem de illius culpa deposuisse, ac proinde cum ea pure et simpliciter iniisse matrimonium. Quod idem Franciscus fassus est, et mandatum dedit Petro Pastorello ut iterum manum illius peteret; ne videretur eidem Margaritae iniuriam irrogare; sed huic mandatum significandi appositam conditionem non contulit. Praeterea etiam ceteri testes, qui opinantur consensum a Francisco sub conditione fuisse praestitum, illum plenam fidem dictis sponsae adhibuisse renunciant. Et quamvis actor modo asserat: numquam dubitasse de innocentia Margaritae, post illius obtestationes iuratas; attamen nunquam constituisse eam ducere in uxorem absque conditione; ratiocinatio illius paradoxum sapit, cum exclusio dubii quoad culpam sponsae, profecto et appositionem conditionis videatur excludere. Quae clarius insuper eruuntur ex eo quod tunc Franciscus nec de possibilitate ducendi mulierem utero gravem cogitaverit, exploratumque sit ex *l. 16* § *3. ff. de test. Int.* neminem velle aut voluisse id, de quo antea numquam cogitavit et in prae-

sens non cogitat. Iamvero percontanti iudici: tempore celebrationis matrimonii cum Margarita, perpendisti ne casum qui verificari poterat, nempe ducendi in uxorem mulierem iam utero gravem? Subdidit Franciscus; nihil cogitavi, quia tunc in verbo illius tranquillus eram. Profecto si aliquod dubium menti eius haesisset, pronum erat aliquantisper praestolari, cum praegnantia post breve tempus certe esset detegenda. Mihi videtur in antecessum securitatem acquirendam fuisse, animadvertit testis Baptista Sala, hancque esse plurium opinionem refert testis Clothildes Carta. Ceterum appositio conditionis nedum ex Francisci agendi ratione penitus excludi videtur, sed apertis verbis ex narratione testis Petri Cossa, quae ita se habet: dicebam Francisco; ego differrem matrimonium usque dum veritas exurgeret. Scio, prosequitur, quod Franciscus, dum audiret viciniae clamores repetebat se nolle credere Margaritam praegnantem, eamque quomodolibet velle ducere in uxorem. Unde facile inducar ut credam Franciscum a Margarita fuisse deceptum et ex errore in matrimonium consensisse, sed numquam admittam conditionatum matrimonium ex actis probari. Nec aliunde dici posset errorem accidentalem in themate vinculi firmitatem labefactare. Nam error qui in personam non cadit, ut v. gr. si dum putas te cum virgine et sana et nobili matrimonium contrahere, ducas scortum, leprosam, trivio natam etc. (S. Alphonsus *De matr. 1011, 1012*) non obest, quia publice interest non dissolvi matrimonia; nec tibi proderit quod erraveris dolo alterius contrahentis et dolus efficax fuerit: dolus enim solo iure civili contractum vitiat. D'Annibale *Summula theol. mor. lib. 3. tract. 6 n.444 (11, 12)*

De actu matrimonii nil est addendum, cum iudici scisciscitanti: Franciscus et testes reposuerint quod celebratio huius matrimonii nullam exhibuerit circumstantiam nota dignam. Hoc tantum animadverti potest, argumentum pro conditione ex omisso civili actu sumi non posse, eo quia, ut ceteros praeteream, ipsa Francisci mater fassa sit: his in locis esse consuetudinem producendi etiam per plures menses actus ci-

vilis celebrationis post religiosam caeremoniam. Actus civilis locum habere nequivit ob praecocem coniugum separationem.

Inito et consummato matrimonio, Franciscus mature praegnantiam uxoris cognovit, retinuitque tamen et rei uxoriae operam dedit usque dum, collatis cum parentibus consiliis auditoque iurisperito, post viginti circiter dies illam dimisit. Verumtamen nec vola nec verbum tunc de conditione apposita factum fuisse novimus; quin imo paterfamilias mulieri reluctanti minime conditionem non purificatam, ut pronum fuisset, obiecit, sed verba quae virum religiosum dedecent; tranquilla, ait, repete domum tuam, nam quum civilis actus nondum initus fuerit adhuc ambo liberi estis. De conditione vero nonnisi elapsis viginti et ultra mensibus a separatione, primum in Curia Episcopali fit sermo. Sed his missis, de matrimonii usu pauca dicenda sunt. Compertum est Francisco ipsa prima condormitionis nocte mulieris praegnantiam innotuisse; ait enim: quum usque a prima vice detegissem, Margaritam utero gravem, verba feci meis parentibus, qui eam subiicere volebant inspectioni medicae. Et quamvis addat, rem cum ea habui usque dum certitudinem de praegnantia consecutus sum, postea cessavi omnino : nihilominus ex omnibus satis dignoscitur, illum etiam post detectam uxoris graviditatem ipsi carnaliter adhaesisse. Quod ipsa Margarita deposuit. Scio equidem ea quae cum pluribus magnae notae doctoribus docet Schmalzgrueber *p. 2, tit. 5, num. 22,* scilicet matrimonium initum sub conditione de praesenti vel de praeterito non convalescere subsecuta carnali copula; ast commemoranda etiam videntur quae leguntur apud Sanchez *De matr. lib. 5. disp. 8. n. 25* – ibi – « hinc infertur, si pendente conditione... matrimonii initi coram parocho et testibus, contrahentes habeant copulam, praesumere Ecclesiam recessisse a conditione et perfici matrimonium per *cap. Per tuas, De cond. app.* Quod idem erit in foro interno, etiam post Tridentinum, si affectu maritali commixti sunt, quia iam servata sit forma Tridentini in priori contractu, et iudicandum erit ac si impleta esset conditio. » Porro in themate

ne praesumam Franciscum per usum matrimonii a conditione recessisse, putarem illum sua agendi ratione ostendere conditionem numquam fuisse appositam. Denique praetereundum non est conditionem si te virginem invenero —, et idcirco etiam hanc — si uterum non geris — habendam esse ut turpem et proinde velut non adiectam, quoties illius investigatio non per licitum modum, sed per concubitum intelligatur. Sanchez *lib. 5, disp. 16, n. 7;* Reinffenstuel *lib. 4, tit. 5, n. 38;* Pirhing etc. In casu vero Franciscus proposuit quidem Margaritae ut corporali inspectioni a medico peragendae se subiiceret, sed tantum postquam matrimonium pluries consummaverat. Ceterum si aliquod dubium in casu adhuc maneret, illud Francisco minime prodesset, cum scitum sit in dubiis pro matrimonii validitate esse iudicandum.

Post haec supervacaneum puto de conditionis purificatione loqui, sive quia ex dictis haud eruitur illam fuisse appositam, sive etiam eo quod mulier ipsa fassa sit se quinto ab initis nuptiis mense partum edidisse.

Concludam igitur, non constare de nullitate matrimonii inter Franciscum et Margaritam, ideoque propositae dubitandi formulae negativum responsum tribuendum esse.

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Iugale vinculum, quod ineunte anno 1889 die 7 februarii Franciscus Spina, in aetate annorum 23 constitutus, cum Margarita Figino 20 annos nata, contraxit, dissolvere pertentat, contendens se illam uxorem duxisse « *colla condizione che ella non fosse incinta* », quam conditionem evanuisse propalam est.

Lectissimi consultores, theologus et canonista inter se minime conveniunt: theologus enim absque ambagibus Francisco suffragatur, canonista vero strenue resistit, cui libenter subscribo: imo, cum ipse causam universam accurate et docte expendat, ne videar actum agere, paucis me expediam.

Et in primis EE. VV. oculis suppono factum eloquentissimum ab ipsamet Francisci matre enarratum: Filius meus ait mihi: certe Margarita innocens erit! aliter iureiu-

rando non asseruisset propriam innocentiam. Et re quidem vera post duos aut tres dies ne iniuriam faceret Margaritae, mandatum dedit Pastoretto, ut manum peteret Margaritae eiusdem. Hic mandatum implens dixit matri quod si Margarita non esset innocens, Franciscus eam ducere nolebat, et illico eam dimitteret etiam post matrimonium initum. Post hoc nil adiectum fuit.

Huiusmodi facto paulisper admisso otiosum prorsus est disputare de conditione per Francisci matrem Margaritae antea manifestatam, quia standum esset mandato Iosepho Pastoretto postea concredito. Iam vero Iosephum Pastoretto decantatam conditionem in mandatis haud habuisse vel ex eo liquet quod Franciscus de hoc alte sileat, et quod Iosephus Pastoretto ad examen adductus minime sit.

Quapropter impune dare possem, Franciscum animo intendisse Margaritam sibi matrimonio coniungere sub conditione quod ea utero non gestaret. Tralatitii iuris enim est conditionem mente retentam nihil operari. Sed, ut vera loquar, neque hoc admittere debeo. Nam Petrus Cossa iureiurando affirmat: quod Franciscus quando auscultaret murmurationes viciniae, respondebat sese nolle credere eamque ducere velle *quaelibet ipsa esset.*

Quibus praemonitis suppositum fuit diluendum

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 9 Septembris 1893 censuit respondere: *Negative.*

Ex quibus colliges: I. Certum esse consensum in contractu matrimoniali posse subordinari conditioni honestae et possibili, ita ut matrimonium revera valeat vel non, prouti conditio existit vel non existit.

II. Etsi relinqui possit opinio doctorum tradentium conditionem in pactum deducendam esse in ipso matrimoniali actu coram parocho et testibus, tamen, ut conditiones adie-

ctae dici possint, requiri in foro externo ut expressae sint, et constet de expressa conditionis appositione.

III. In themate retineri posse videtur, verum consensum sub conditione defuisse in viro, quamvis concedi posset, illum ducturam non esse in matrimonium mulierem si reputasset eam utero gravem.

IV. Aliud etenim esse aliquam voluntatem in genere manifestare, aliud autem eam adiicere per modum conditionis; ita ut sub hac et non alias quis contractum celebrari voluerit.

V. Ex S. Congregationis Concilii iurisprudentia deprehendi, rigorosas exigi probationes quando controvertitur de validitate matrimonii ob adiectam et non purificatam conditionem.

VI. Quum publice intersit non dissolvi matrimonia, hinc etiam error, non cadens in personam, nihil proderit illi qui dolo alterius contrahentis erraverit, nisi consensus expresse ligatus fuerit conditioni.

VII. Non deesse auctores qui tenent, si pendente conditione matrimonii initi coram parocho et testibus, contrahentes habeant copulam, praesumere Ecclesiam recessisse a conditione et perfici matrimonium.

VII. Conditionem *si te virginem invenero, si uterum non geris,* habendam esse uti turpem et proinde veluti non adiectam, quoties illius investigatio intelligatur per concubitum non per licitum modum.

OXOMEN.

DISTRIBUTIONUM CAPITULARIUM

Die 9 Septembris 1893.

Per summaria precum.

Compendium facti. Capitulum ecclesiae cathedralis Oxomensis (in Hispania) iam a mense Maii anno 1868 Sanctissimo Patri exponebat, dignitates, canonicos, ceterosque cle-

ricos chori servitio adscriptos, vacationum trimestralium tempore, vi articuli sexti constitutionum capitularium et antiquissimae consuetudinis, distributiones quotidianas percepisse ac si praesentes in choro adfuissent. Cum autem haec agendi ratio dispositioni S. Concilii Tridentini contradicere Episcopo tunc temporis videretur, ipse decrevit tertiam fructuum respectivae praebendae partem a capitularibus et beneficiatis dictae ecclesiae singulis diebus esse posthac amittendam, quibus vacationum causa quotannis a choro abessent; simulque praecepit ad Sedem Apostolicam recurrere pro sanatione impetranda eorum quae retroactis temporibus hac in re acta fuissent. « Hinc capitulum, mandato sui Praesulis obsequens ad Apostolicam Benignitatem confugit, suppliciter exorans, ut quatenus opus sit, eidem sanationem largiri dignetur pro fructibus seu distributionibus, quas tum capitulares, tum beneficiati huius sanctae ecclesiae tempore respectivarum vacationum perceperunt. Pro qua venia impetranda, animadvertebat, capitulum et ceteros huius cathedralis clericos chori servitio adscriptos, distributiones quotidianas respectivas vacationum diebus integras bona fide et absque conscientiae remorsu usque in praesens percepisse ob antiquissimam immemorabilem consuetudinem et textum Statuti sexti, » simulque humillime deprecabatur Apostolicam Benignitatem « indulgere seu permittere, ut praecitata praxis, iuxta huius ecclesiae statuta constanter servata, in posterum teneatur . . . . Si vero huic postremae supplicationi annuere Sanctitati Vestrae conveniens non videatur, dignetur saltem indultum largiri, ut capitulares et beneficiati huius cathedralis ecclesiae Oxomensis possint, sicut in aliis Hispaniae cathedralibus, respectivas distributiones quotidianas percipere quibusdam vacationum diebus, seu *recessit,* quorum numerus Sanctitati ac Benignitati Vestrae determinandus fiducialiter relinquunt. »

Preces Episcopo statim missae fuerunt ut, audito capitulo, suetam informationem et votum S. C. transmitteret; at ob varias vicissitudines politicas diu absque informatione

manserunt. Cum vero anno nuper elapso Vicarius Generalis, de mandato Episcopi infirmi atque absentis, scribere satageret: « Attenta bona fide, quacum canonici et beneficiati, ut ait capitulum, immemorabili consuetudini et capitulari statuto innixi, quotidianas distributiones, vacationum tempore respondentes, retinuerunt: attenta etiam difficultate ad illarum restitutionem faciendam, tam ex parte haeredum illorum, qui ex hac vita decesserunt, quam ex parte beneficiatorum ob exiguos reditus, quos percipiunt, et gravitatem annonae et habitationis in hac villa; mihi videtur dignum esse capitulum, ut ipsi sanationis gratia, quam petit, pro praeterito concedatur; et in posterum, dictis etiam attentis, attentaque aeris intemperie huius plagae satis frigidae, pariter mihi dignum videtur, ut illi ex benignitate Apostolica aliquod saltem vacationum tempus, seu dies bonos, ut vocant, concedatur, in quibus quotidianas distributiones non amittant. Attamen quas amittunt absentes, seu choro omnibus horis canonicis non assistentes, mihi videtur illas fabricae Ecclesiae, si indigeat, vel alio pio loco ad arbitrium Ordinarii iuxta mentem Concilii, applicari debere; exceptis, si forte quae ad beneficiatos pertinent, qui quidem ob exiguos reditus, quos ex suis beneficiis percipiunt, dispensatione Apostolica digni sunt ut choro praesentes lucrari possint quotidianas distributiones, quas amittunt alii beneficiati absentes. » Huiusmodi precibus die 4 Februarii 1893 rescriptum fuit: « *Attentis* etc. *pro gratia sanationis quoad praeteritum; quo vero ad futurum pro gratia percipiendi distributiones tantum durante medietate temporis vacationis arbitrio et conscientia Ordinarii per decennium.* »

Nuperrime vero cum iidem Capitulares preces, commendatas a Vicario capitulari, qui habet: « Vera sunt omnia exposita a capitulo, ideoque suas preces Sanctitati Vestrae humiliter commendamus », instantius iterasset ad gratiam non amittendi quotidianas distributiones toto recreationis tempore impetrandam, Eñorum Patrum iudicio res commissa fuit.

Disceptatio Synoptica

Praxis servanda videtur. Et in primis favore inolitae praxis lucrandi distributiones vacationis tempore a Tridentino permissae, observari posset, eam inniti articulo sexto Constitutionum capitularium approbato ab Episcopo tunc temporis, anno 1583, Sebastiano Perez, quo statuitur et ordinatur: « quod dignitates et canonici ecclesiae Cathedralis Oxomensis, coepta residentia, quae incipit a kalendis Ianuarii cuiuslibet anni, si per maiorem anni partem resederint, possint abesse per tres menses continuos aut interpolatos, in quibus tam in mensa communi, camera et distributionibus, quam anniversariis praesentes haheantur, ac si personaliter residerent, praeterquam in horis matutinis et anniversariis, quae personalem residentiam exigunt . . . . . Portionarii autem et capellani per duos menses poterunt abesse, suaque requie frui ut hactenus fuit semper observatum, lucrenturque horas canonicas, praeter matutinas et anniversaria iuxta ordinem Statuti de distributionibus quotidianis. »

Iamvero cum constitutiones capitulares legem pro capitulo edicere certum sit, et istae in themate indulserint, ut in tribus mensibus canonici « tam in mensa communi, camera et distributionibus, quam anniversariis praesentes habeantur, ac si personaliter residerent; » videtur non absque fundamento esse, quod absentes sibi vindicent ius ad distributiones quotidianas; vi enim Statuti ipsi inter praesentes recensendi sunt, et ideo ad lucrum quod inter praesentes dividi solet iure merito admittendi forent.

Statuti vero vis impugnari haud posse videretur; nam licet mentio expressa privilegii Pontificii minime inveniatur in Constitutione citata, nihilominus capituli ac Praesulis, tunc temporis, agendi ratio, nec non capitularium et Praesulum trium saeculorum approbatio privilegium aliquod a S. Sede indultum ostendere videntur.

Accedit consuetudo immemorabilis et nunquam interrupta, quae beneplaciti apostolici praesumptionem prae se fert, ut

tradit S. C. *in Anagnina Nominationis die 25 Ianuarii 1823.* Sane vero quod consuetudo haec sit immemorabilis clare patet ex ipsis verbis, quae in relato Statuto anni 1583 habentur: « ideo approbando consuetudinem, quae modo servatur »; et inferius: « Portionarii et capellani per duos menses poterunt abesse, suaque requie frui, et hactenus fuit semper observatum »; et quod nunquam interrupta fuerit fidem faciunt capitulares: « Statutum VI usque in praesentiarum observatum nemine sive ex praesulibus sive ex Capitularibus huius ecclesiae reclamante », quod aperte confirmat Gubernator ecclesiasticus in sua relatione ad S. C. C. « Ad me autem quod attinet dicam verum esse quod in precibus ait capitulum, tum circa dispositum in capitulari Statuto; tum circa tempus et approbationem istius.... tum etiam circa immemorabilem consuetudinem lucrandi seu non amittendi canonici et beneficiati, tempore vacationis, quotidianas distributiones. » Atqui nedum immemorialis, sed centenaria quoque consuetudo « etiam in actibus Ecclesiae praeiudicium divinique cultus decrementum inferentibus, plenam amplissimamque inducit cuiuscumque tituli melioris, ac proinde Apostolici etiam beneplaciti praesumptionem », ut post Urban. VIII *in constit. Romanus Pontifex* docet Barbosa *de pot. Ep. alleg. 25, n. 72;* Rota *in Romana Oblationum 25 Ianuarii 1725* § *5;* S. C. C. *in Avenionen. Capellaniae 16 Septembris 1780.*

Ulterius et magni momenti extant rationes ad praxis confirmationem a Capitularibus prolatae, quae totidem fere verbis EE. PP. referuntur. Scribunt enim: Ab anno 1851, in quo inita conventio est Apostolicam Sedem inter et Maiestatem Catholicam, in qua quidem statuta pensio fuit unicuique beneficiato a Gubernio persolvenda, pensionem hanc magna ex parte usque nunc decrevisse, adeo ut absque erroris formidine asseri possit, omnes pensiones in praelaudata Conventione stabilitas in tertia earum vel saltem quarta parte, temporum adiunctis bene perpensis, defecisse. Ad hoc adiiciatur, Gubernium eandem pensionem gravasse, atque in

dies gravare minime parva diminutione, in praesentiarum undecim pro centum, quin aliqua meliorationis spes affulgeat, imo potius iure ac merito praesumitur firmum Gubernii propositum esse illam diminutionem augere. Planum est beneficiatorum omnium reditus exiguos omnino atque impares esse censendos ad vitae necessitates, prout clericos decet, sublevandas. Illud praeterea notandum huiusmodi capitulum omnibus orbatum esse obventionibus. In hac siquidem ecclesia neque anniversaria, neque mensa capitularis, neque alia opera pia, neque distributiones manuales dictae, praeter consuetas, neque aliud omnino reperitur, quo beneficiatorum inopia sublevetur..... Insuper animadversione dignum est, Beatissime Pater, distributionum amissionem, durante medietate temporis vacationum, quam ex decreto S. C. C. beneficiati omnes subire tenentur, non parum, sed magna ex parte pensionem imminuere.... tertia nempe pars redituum quotidianorum. Demum in sexto allato Statuto, duae aliae recensentur causae, scilicet praeter immemorialem consuetudinem, residentia continua et assidua, nec non aëris intemperies.... Et reapse frequentes semper fuerunt et sunt febres tertianae ac alternae.... adeo ut saepe saepius Capitulares a Choro et oppido abesse cogantur infirmitatis causa. »

Praxis respuenda videtur. Ex altera vero parte animadvertendum est precibus capituli obstare aperte legem tridentinam *Sess. 21, cap. 3, et Sess. 24, cap. 12 reform.*, quae statuit: « Distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiunt; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, iuxta Bonifacii VIII decretum, quod incipit *Consuetudinem* », quod S. Synodus in usum revocat « non obstantibus statutis et consuetudinibus ».

Eapropter inutile omnino videtur in medium proferre articulum sextum constitutionum capitularium ab Episcopo approbatum. Scitum enim est inferiorem derogare non posse legi Superioris, et eiusmodi statuta expresse sublata fuisse a praedicta Trid. Synod. *Cap. 12 Sess. 24* § *Praeterea*. Ita Pignat. *Cons. 115, n. 3, tom. 9;* Reiff. *L. III, tit. 4,*

n. 175; et S. C. C. in Ipporegien. *Servitii chori 20 Martii 1830;* et in Ravennaten. *Distributionum 20 Septembris 1879;* etc.

Atque eâdem ratione inutilis apparet appellatio ad consuetudinem, quia in casu nostro S. Tridentina Synodus in *cit. cap.* dum statuit distributiones ab interessentibus lucrari debere, quamcumque contrariam consuetudinem reprobavit ac damnavit. Quae clausula quanti valeat, praesertim post Constitutionem *Principis Apost.* a Pio IV editam, ad infirmandas consuetudines, tum quae Statutis Tridentinis antevenerunt, tum quae subsecutae sunt, neminem profecto latet. Cfr. De Luca *De can. et cap. discept. 33, n. 3.* Hanc autem sententiam indubitanter amplectendam esse suadet constantissima S. C. C. praxis, quae iugiter tenuit absentes causâ vacationum a Concilio Tridentino permissarum amittere distributiones quotidianas, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, ut in Pisauren. *14 Iunii 1670;* in Civitaten. *Octobris 1587.* Unde in iure planum est consuetudinem de qua quaestio, ut corruptelam haberi, quae temporis decursu convalidari minime potest. In facto autem, seu in peculiari casu de quo agimus, qualis aestimanda sit, docet non suspecta Episcopi Oxomensis auctoritas, qui capitularibus praecepit: « ad Sedem Apostolicam esse recurrendum pro sanatione impetranda eorum, quae retroactis temporibus hac in re acta sunt ».

Inepte vero prorsus ad indultum apostolicum in themate confugeretur, quod esset concludenter, non vero per illationes probandum.

Praeterea in themate sufficientem necessitatis causam, si beneficiatos demas, forsan existere haud videretur. Re sane vera Gubernator ecclesiasticus in sua relatione scribit: « reditus praebendarum choralium, quos post novissimum Concordatum 1851 solvit Gubernium sequentes esse: quatuor millia et quingentas libellas *(pesetas)* per annum percipere debet decanus; tria millia et quingentas libellas singuli quatuor dignitates et quatuor canonici de officio dicti; tria millia

libellas reliqui canonici; et beneficiati tantum accipiunt singuli per annum mille et quingentas libellas; demptis tamen nunc ab ipso Gubernio ex omnibus reditus praebendarum undecim libellas pro unoquoque cento. »

Relate ad alteram Episcopi Oxomensis ordinationem, scilicet ut portio distributionum quae ab absentibus amittitur, non accrescat ceteris inservientibus, sed applicetur Ecclesiae, congruere videretur Tridentinae dispositioni *cap. 3, Sess. 22,* ubi de dignitatibus, personatibus et officiis statuitur, quod qui « servitium non impleverint, illius diei distributionem amittent, nec eius quoque modo dominium acquirant, sed fabricae Ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur. »

Et quamvis magis frequenter in capitulis contingat, ut portio distributionum ab absentibus amissa, praesentibus accrescat, imo dicatur, id commune ius constituere iuxta *cap. Consuetudinem* Bonifacii VIII, *et cap. 12 Sess. 24, et cap. 3 Sess. 21* Concilii Trid.; nihilominus vera distinctio est, quam Moneta *Tract. de distr. quotid. part. 1, quaest. 3 seqq.* cum aliis tradit, nimirum, quoties una sit mensa capitularis, aut sin minus una atque indivisa distributionum massa, ne capituli reditus decrescant, ius accrescendi obtinere: quod si distinctae sint praebendae, ut post Concordatum in cathedralibus Hispaniae ecclesiis esse videtur, et pro distributionibus e communi massa, ad uniuscuiusque sollicitudinem excitandam, regimen punctaturarum inductum sit, locum non esse iuri accrescendi, sed iuxta *cit. cap. 3 Sess. 22* mulctatitiam pecuniam a negligentibus amissam ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii cedere.

Quibus animadversis quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 9 Septembris 1893 censuit respondere: *Gaudeant impetratis.*

Ex quibus colliges. Posse beneficiatos Oxomenses frui privilegio percipiendi, uti praesentes, quamvis absentes, distributiones pro dimidio tempore vacationum tantum.

VARSAVIEN. seu LUBLINEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 15 Iulii 1893.

Sess. 24 cap. 1 de Reform.

Compendium facti. Die 5 Octobris 1889, in ecclesia Pilichoviensi Plocensis dioecesis, nuptias inibant Angela Gorecka 21 annum vix attingens et Valentinus Bialosuknia 38 annos natus. Infelicem at vero exitum huiusmodi nuptiae sortitae fuerunt. Quandoquidem Angela, quae patris precibus ac minis fracta videtur duxisse Valentinum, quem aversabatur, vix quatuor diebus cum illo commorata, paternam domum repetiit, quin, si ipsam audias, matrimonium fuerit consummatum.

Paucis elapsis mensibus, Angela Varsaviae tunc permanens, illam Curiam adiit, ut attenta delegatione Ordinarii Lublinensis, in qua dioecesi vir versabatur, inquisitionem institueret ad probandum suum matrimonium consummatum minime fuisse, ut deinde a matrimonio tantum rato dispensationem obtinere posset. Archiepiscopus primum sategit sponsos ad mutuam concordiam revocare; verum cum prudens eius consilium in irritum cessisset, muliere praesertim, et gravibus profecto de causis, repugnante, tunc iudicium institutum est.

Percontata est mulier et septima eius manus, vir quoque interrogatus; sed cum deinde in Curia sisti renuisset, contumax renuntiatus fuit. Testes mulieris causam separationis sponsorum exortis dissidiis assignarunt, eo quod illa nupserit invita, et inhonestam agendi rationem viri erga se perferre noluerit; omnes tamen religionem, pietatem ac veracitatem actricis commendant. Peracta subinde est corporalis mulieris inspectio per tres obstetrices, matrona adstante, adhibito balneo aquae tepentis, et exquisitum quoque fuit duorum medicorum votum; omnesque absque haesitantia de illius virginitate inconsummationeque matrimonii sententiam tulerunt.

Archiepiscopus deinde litteris diei 1 Iulii 1892 processus acta ad S. C. C. transmittens, animadvertebat ex iudiciali inquisitione demonstrari virginitatem illibatam Angelae, cumque iustae ac graves causae pro concedenda dispensatione non deessent, SSmum rogabat, ut hanc gratiam benigne impertiretur. Huic petitioni et illa explicita ipsius actricis accedit.

Disceptatio Synoptica.

Defensio mulieris. Actricis patronus praemittit duo ad dispensationem concedendam requiri, quod nempe constet matrimonium non fuisse consummatum, et iustas dispensandi causas adesse.

Primum pluribus argumentis ostendi posse contendit. Praeprimis affert Angelae depositionem testantis matrimonium consummatum numquam fuisse, licet pluries id pertentatum fuerit: « ego quantumvis invita atque maritum fastidiens, cum essem sola tamque vehementer inquietata, forsitan succubuissem copulae, sed maritus id perficere non potuit. » Huiusmodi vero confessionem mulieris, attenta eximia eiusdem probitate ac religione, plurimi faciendam esse tuetur. Virum autem in contradictionem incidere, dicit, quia praeter alia postquam fassus fuerat « matrimonium non consummavi », deinde ait: « Non sum omnino certus uxorem meam defloratam esse ». Praeterea cum iudicis mandatis contumax iugiter perstiterit, nullam fidem mereri posse sustinet.

Angelae testimonium e contra maximi habendum, etiam quia testes septimae manus, omni exceptione maiores, eam, una veluti echo, summis laudibus extollunt utpote mulierem probam et devotam, quae periurium nullimode patrare potuisset.

Sed opus haud esse, ait, in testium depositionibus immorari, cum in medium proferri possit physicum virginitatis argumentum, quod nullo prorsus pacto infirmari potest.

Porro tres obstetrices ac denuo medici sub iurisiurandi fide unanimiter actricis integritatem uti certissimam renun-

tiarunt. Sane obstetrix Szyszkowska, recensitis pluribus virginitatis signis, ait: « Omnes has notas deprehendi in Angela Bialosuknia pro certoque habeo, eam esse virginem. » Iosepha Dabrowicz testatur: « In superiori puncto expendi, me in Angela Bialosuknia reperisse omnes notas virginitatis persuasumque habeo, eam esse virginem intactam, opinionem vero hanc adstruo repertis in revisione corporis. Hymen actricis est ovalis, integer ac nullatenus violatus. » Quibus apprime consonat tertia obstetrix Bielinska referens: « Universalis aspectus corporis, status mammarum..... evincunt eam certo certius esse incorruptam. In Angela Bialosuknia reperi hymenem formâ ovali, integrum, oris liberis, nullas exhibentibus scissuras vel laesiones, cum ostiolo vix summitatem digiti auricularis transmittente. »

Iuratum ac indubium trium obstetricum iudicium de virginitate mulieris, medici gemino testimonio confirmarunt, altero in scriptis reddito, altero in iurato examine.

Sane medicus Wojcikiewicz, perpensis obstetricum relationibus, ait: « Actrix habilis est ad fungendum officio uxoris, copulam tamen, ut examen eius corporis evincit, non consummavit, servando virginitatem inviolatam, quam demonstrat accurate praesentia hymenis integri..... Sequitur Angelam Bialosuknia esse hucusque virginem. » Doctor autem Bondy scribit: « ex probatis unanimiter ab obstetricibus.. potissimum vero ex integritate hymenis nullatenus violati, parvo instructi ostio, concludendum est, Angelam Bialosuknia esse virginem nec matrimonio perfunctam. »

Idipsum doctores coram iudice obfirmant propositis quaestionibus respondendo. Sane medicus Wojcikiewicz recolens obstetrices, praeter alia virginitatis signa reperisse « hymenem integrum ac inviolatum », sub iurisiurandi fide fatetur: « actricem virginem hucusque manere, nec matrimonium consummasse statumque eiusmodi certum et omni dubio exemptum esse contendo ». Demum doctor Bondy testatur: « perpensis sententiis obstetricum, opinor actricem pollere integritate virginali seseque habilem ad rem coniugalem, opinionem

vero hanc adstruo praesentiâ hymenis intacti cum parvo ostio atque absentia quorumvis vitiorum organicorum in actrice. »

Itaque quinque in arte periti, subdit patronus, iudicium certum et absolutum ediderunt de mulieris virginitate, comparatione instituta inter mulierem virginem et defloratam, ac perpensis colore, conniventia et comparatione partium, ac praesertim hymenis integritate et absentia vestigiorum, quae profecto extitissent, si hymen aliqua in parte confractus fuisset. Cum autem huiusmodi quaestiones pendeant ex facto, quod a peritis in arte cognoscitur, idcirco, observat, S. C. C. prudentissime praescribere, hoc probationis medium, praemisso iuramento aliisque cautelis, adhibendum fore. Ubi vero haec executioni demandata fuerint, uti factum est in themate, sponte consequi ait, peritis in arte tuto fidem adhibendam. Ideoque, concludit, ex iurato testimonio quinque peritorum, absque ullo dubio tenendum actricem integerrima virginitate adhuc donari, et proinde matrimonium non fuisse consummatum.

Ad alterum caput gradum faciens animadvertit, praeter ordinarias causas aliam peculiarem in casu verificari, gravissimum nempe dubium coactionis mulieri illatae.

Metum ac vim adhibitam reapse fuisse, imprimis probari contendit actricis testimonio aientis: « Coactionem hanc reputo gravem, quippe quae adeo fregerit meam libertatem, ut ad nuptias irem plane invita ac mei ipsius impos. Immediate ante nuptias aiebam patri – sponsum a me non redamari, mihique esse ingratum, imo prorsus odiosum –; pater tamen preces meas sprevit, sponsoque nubere imperiose iussit adiecitque: – Veneno inficis meam senectutem atque etiam in tumulo quietem meam perturbas –. Biduo ante nuptias volui me in lectum recipere, ut hoc modo differrem terminum connubii, ac deinceps memet a coniugio penitus extricarem. Parentes tamen non permiserunt id quod confirmabant citati modo testes. »

Mulieris depositionem, quae certo suo pondere minime carere tuetur orator, confirmant plures alii testes. Sane pa-

ter ait: « Ipse cogebam filiam ad nubendum Valentino Bialosuknia. Usus sum ad hunc finem persuasionibus, minis, denegatione benedictionis paternae, si alii nubere intendit. » Luszczewski deponit: « Actrix nupsit marito invita, id quod colligo ex eius voto alteri cuidam nubendi; quare me quoque rogaverat, ut intercederem patri, quatenus ei permitteret huic alteri nubere. » Lucina Kosinska Sophiae germana testatur: « Tribus ante nuptias diebus soror fuit apud me (eram iam coniugata), atque lacrimabunda obsecrabat ut adirem parentes atque persuaderem, ne ipsam ad nubendum cogerent. » Quibus concinere, dicit, actricis matrem, Vladislaum Podczaski, Adamum et Antonium Kosinski.

Hisce de illa coactione depositionibus adductis, adnotat, nihili faciendam denegationem viri, qui nec unum testem produxit, et contumax a iudice declaratus fuit.

Quod si huiusmodi coactio nequit adduci in hoc actorum statu ad matrimonii nullitatem petendam, ostensa tamen matrimonii inconsummatione, uti causa gravissima pro dispensatione impertienda retinenda est.

Sed nec aliae causae iustae ac graves desunt. Sane ex illa coactione secutam esse dicit tantam mulieris aversionem erga virum, ut nulla prorsus spes affulgeat pacis inter illos conciliandae. Id nedum fatetur actrix, sed ipsemet Archiepiscopus, qui illius petitionem commendans addit: « quod coniuges mutuum foveant fastidium atque tantam aversionem, ut cohabitationi inter eos restituendae nullus omnino sit locus. » Quam animorum discordiam, uti iustam causam ad dispensandum, retinendam fore tradunt Ursaia, *discept. 21, n. 76 et 77, tom. 3;* Fagnanus in *cap. Quia circa 6 De consan. et affin. n. 7;* Corrad. in *Praxi dispens. lib. 8, cap. 7, n. 3,* aliique plures, quam DD. sententiam S. C. C. praxi confirmari dicit.

Alia accedit gravis dispensationis causa, ex periculo incontinentiae. Actrix enim in florenti aetate adhuc versatur, et vir certe non est provectus. Huiusmodi causam mulier adducit in supplici libello, et etiam Archiepiscopus dispen-

sationem petit, quia « coniuges in ea sunt aetate, ut utrinque immineat incontinentiae periculum ». Hanc etiam causam uti iustam retinendam communiter docent, Sanchez *De matrim. lib. 12 disput. 15 n. 19;* Fagnanus in *cap. Verum n. 11 de convers. coniug.;* Ursaia *tom. 3, part. 2, n. 92,* ac demum S. C. C. talem semper habuit.

Cum itaque neque de inconsummatione matrimonii, neque de gravium causarum existentia pro dispensatione impertienda dubitari possit, petitam gratiam tuto concedendam esse putat.

Animadversiones defensoris vinculi. Totis e contra viribus contendit Sacramenti vindex, non liquere neque de matrimonii inconsummatione, neque de iustis dispensandi causis. Primum quod attinet, utriusque coniugis confessionem initio reiicit, quia iuxta Sanchez *De matrim. lib. 2, disput. 45, n. 33:* « Confessio ea, cum sitin confitentium favorem, nil probat. » Iamvero, observat defensor, nedum comitissa verum etiam comes in praesenti causa adversus matrimonium pugnat.

Praeterea, matrimonii defensor autumat, haud viro persuasum esse matrimonium inconsummatum mansisse.

Ait enim: « Copulam coniugalem conatus sum exercere cum uxore aliquot vicibus. Bis dumtaxat introduxi veretrum in corpus uxoris . . . . Matrimonium non consummavi, quia cum penem altius introducere vellem moraque perpusilla superesset ad effundendum semen, uxor plorabat atque per Dei misericordiam detestabatur, ne copulam consummarem. Ego misertus, destiti ab implendo debito. Non sum omnino certus uxorem meam defloratam esse, quia introducendo membrum meum in muliebria eius, nullam sensi resistentiam... hinc declaro actionem uxoris de impetranda dispensatione mihi esse ambiguam. »

Angelae autem profitenti matrimonium inconsummatum fuisse, fidem denegat vindex matrimonii, non modo quia adiuncta excogitat, quae in rerum natura existere in probatis haud sunt, sed etiam quia cum viri confessione mirabiliter pugnant. « Matrimonium, inquit actrix, consummatum non

est. Causam opinor esse, quod maritus, quantum intelligere possum, non valuerit rem peragere.... forsitan succubuissem copulae, sed maritus id perficere non potuit. »

Ceterum absque scrupulis Angelam veritati contraire, iuxta vinculi adsertorem, exploratissimum est. Nam, recolit, in libello ad Ordinarium Lublinensem dato ipsa affirmat : « Matrimonium meum benedictum fuit die 5 Octobris 1889... Altero die exii cum matre ex habitaculo mariti, nec amplius idem repetivi »; dum contra notorium est sponsos convixisse sin minus quatuor dies, quod apparere censet et ex iurata Adami Kosinski depositione, nec non Valentini aientis « Sub eodem tecto cum uxore vixi in Philichowo per triduum, Varsaviae autem in diversorio *Hotel* Krakouvski biduum ». Hinc, prosequitur defensor, et ipsa Angela coram Archiepiscopo Varsaviensi profiteri adacta fuit : « Vix quatuor diebus cum eodem (Valentino) commorata, eumdem dereliqui, quin matrimonium consummaretur ».

Neque septimae manus testimonium maioris ponderis esse vinculi defensor putat; etenim ne unus quidem testis ex latere viri excussus est, contra S. C. C. praeceptum datum in Instructione *diei 22 Augusti 1840*, – ibi – « Procedendum erit ad examen septimae manus, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam textus » *in cap. Litterae vestrae de frigid. et malef.*

Quibus praemissis, contendit hoc ex astutia artibusque Angelae evenisse. Etenim cum probe sciret Lublini non Varsaviae commorari testes, qui septimam manum ex latere Valentini conflare poterant, nec sine magno inducentis dispendio eos Varsaviae ad examen adduci posse, proindeque Valentinum, ut sumptibus parceret, eos minime adducturum fuisse, expoposcit ut inquisitio non Lublini, sed Varsaviae fieret non obstante domicilio mariti in Lublinensi dioecesi. Re sane vera, subdit patronus, Valentinus, qui iura sua proculcata vidit per delegationem inquisitionis conficiendae ab Administratore dioecesis Lublinensis, ipso inaudito, ad iudicem Varsaviae factam, testes inducere recusavit.

Specimen insuper in actricis corpore ab obstetricibus peractum haud commovet vinculi defensorem. Unus enim ex duobus medicis, qui obstetrices recognitionem corporis peracturas instruxerunt et subinde de relatis ab ostetricibus iudicarunt, est Eduardus Bondy, qui contra canonum censuram etiam ante iudicii incohationem corpus Angelae perlustraverat. Sane Angela professa est : « Sum hucusque virgo intacta. Assertionem meam adstruo opinionibus medicorum Bondy et Ciszkiewicz, qui me de visu et tactu inspexerunt. »

Insuper integritatem hymenis non esse potissimum virginitatis argumentum probat assertor validitatis cum verbis Devergie *Medicina legale vol. 1, cap. 4.*

Pariter compertum esse dicit, eam hymenis formam compluribus mulieribus inesse, ut intacto manente, nedum consummare matrimonium, verum etiam prolem concipere queant.

At in praesenti causa, concludit defensor, obstetrices et medici uno ore renuntiant hymenem Angelae inesse hymeni mulierum, quae absque ulla eiusdem laceratione prolem conceperunt, imo vixerunt etiam corporis quaestu, haud absimilem. Sane, pergit, obstetrix Leocadia Szysykowska retulit : « Hymen actrici est rotundus, roseus, crassiculus, non resistens » ; Anna Bielinska : « Hymen, quamvis aliquantulum subcrassus, modica tamen est resistentia ». Medicus Eduardus Bondy : « Cernitur hymen satis crassus, non resistens », quod et Iosepha Dabrowicz, et Felix Wojcihiewicz confirmarunt. Postremo, commemorat, Valentinum fassum esse : « Non sum omnino certus uxorem meam defloratam esse, quia introducendo membrum meum in muliebria eius, nullam sensi resistentiam. »

Alterum deinde suae orationis caput aggrediens defensor, monet in primis quod in themate dispensari nequit sine gravissimis causis, et adducit testimonium Leurenii *De for. eccl. lib. 4, q. 277*, qui tradit, iustam requiri causam, nedum ad liceitatem, sed etiam ad validitatem dispensationis. Quo posito sustinet metum, quo iuxta adversum patronum actrix matrimonium contraxisset, in probatis haud esse.

Re sane vera Angela testatur: « Biduo ante nuptias dixi sponso, me nullo erga eum ferri affectu rogareque ut mihi renuntiaret. Bialosuknia excepit hoc per modum ioci. »

Item Valentinus idem factum enarrat hisce verbis: « Pridie nuptiarum uxor dixerat mihi: Re maturius perpensa, video te minus a me amari, quam quod conveniat uxori: – Ad haec ego respondi: Delibera, adhuc superest tempus: Mox prodiit ad me dixitque: Haec ego minime ex sententia animi dixeram, sed dumtaxat ut perspicerem num me amares. – Tribus diebus post nuptias dixerat mihi, se nupsisse mihi coactam a parentibus, nec ullo erga me affectu teneri. Facta quae evincerent uxorem ad nubendum mihi fuisse coactam, nulla unquam deprehendi. Quod si quidem observassem, vel fando percepissem, nullo profecto pacto eam uxorem duxissem. »

Tandem matrimonii defensor monet, Valentinum non modo metum exclusisse, sed etiam veram causam ob quam Angela viro valedixit, designasse hisce verbis: « in mea sententia uxor me dereliquit ideo, quod parentes intellexerunt spem suam de mea opulentia deceptam esse. »

Valentino autem prae Angela fidem esse adiiciendam, putat, vel ex eo quod Angela, data opera, praepedivit ne septima manu ex latere viri innotesceret an et quatenus ille fidem mereatur.

Hisce itaque hinc inde perpensis, propositum fuit sequens dirimendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die 15 Iulii 1893, censuit respondere: *Affirmative.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

GOANA. Dubia varia.

Illmus et Rmus Dñus Antonius Sebastianus Valente hodiernus Patriarcha Indiarum Orientalium atque Archiepiscopus Goanus Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia, pro opportuna solutione subiecit, nimirum:

Dubium I. An stantes, aut genuflexi esse debeant Canonici initio Missae privatae Episcopi et ad benedictionem, cum eidem Missae assistunt? Insuper in dicta assistentia an uti possint insignibus canonicalibus, an tantum superpelliceo, vel etiam rochetto, si eius privilegio fruantur?

Dubium II. Potestne tolerari quod in Officio Feriae IV, V, et VI Maioris Hebdomadae cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* fiat simul cum sono organi aut aliorum instrumentorum, et quod perdurante expositione Sanctissimi Sacramenti, concinantur versiculi (mottetti) pariter cum sono organi aut aliorum instrumentorum musicalium, sive horis vespertinis Feriae V, sive de mane Feriae VI eiusdem Maioris Hebdomadae?

Dubium III. In cantu Evangelii Passionis D. N. I. C. per Maiorem Hebdomadam potestne admitti:

a) usus trium pluteorum sive legivorum et totidem librorum?

b) quod cantores habeant faciem conversam ad Celebrantem?

c) quod unus cantorum sit in ambone et alii duo in separato quoque altari?

d) cum celebrans defectu ministrorum debeat esse unus ex cantoribus Evangelii Passionis, debetne se collocare a cornu Evangelii, an vero a cornu Epistolae?

Dubium IV. In aliquibus Goanae Archidioeceseos Ecclesiis celebratur festum Transitus Beatae Mariae Virginis a die 13 ad diem 14 Augusti, per processionem qua defertur imago ipsius Deiparae in feretro deposita ac si demortua iaceret, ibique relinquitur usque ad primas Vesperas diei Assumptionis, tunc

imago erecta sistitur ac si viva esset. Licet ne huiusmodi usus cum hisce ritibus tolerare?

Dubium V. Potestne tolerari ut velo seu pallio contegatur imago D. N. I. C. in processione Feriae VI Maioris Hebdomadae quod generatim in Goana Archidioecesi locum obtinet, quemadmodum etiam in processione super memorata Transitus B. M. V. fieri solet?

Dubium VI. Prohibendus ne erit usus contegendi ramis et floribus tumulos, qui eriguntur in Ecclesiis occasione funeralium?

Dubium VII. In Seminario Racholensi quotannis celebratur cum magno pompae apparatu dies, qua fit initium scholarum. Quaeritur utrum huiusmodi solemnitas praebeat sufficiens motivum celebrandi, uti fit, Missam votivam solemnem de Spiritu Sancto? Et quatenus affirmative, poterit ne Ordinarius indulgere veniam, ut in perpetuum haec Missa celebretur?

Dubium VIII. Quum Ecclesia praefati Seminarii Titularem habeat S. Ignatium de Loyola, debet ne eiusdem Sancti nomen commemorari in oratione *A cunctis* in Missis quae celebrantur in Oratorio interiori Seminarii, loco nominis Sancti Patroni loci?

Dubium IX. Potestne Ordinarius locorum transferre propter quodvis etiam leve motivum festivitates quoad solemnitatem extrinsecam, et permittere quod in die proprio Festi solummodo Missa diei cantetur absque alia pompa in eadem Ecclesia, ubi celebranda erit festivitas in aliam diem translata?

Dubium X. Debet ne aboleri, an servari potest communis praxis existens in Archidioecesi Goana, quamvis ea sit contraria praescripto Ritualis, quod nempe in mandandis sepulturae clericis vel pueris, Parochus, loco praecedendi, sequatur feretrum, saltem quando hoc defertur a clericis?

Dubium XI. Utrum Episcopo adsistente in throno Missae celebratae ab aliquo qui habeat dignitatem in Capitulo, possit hic sedere ad hymnum *Gloria* et ad *Credo* contra thronum Episcopi in sella instructa brachiis et fulcimento pro humeris?

Dubium XII. Utrum Canonicis Missam celebrantibus solemnioribus diebus, cum vel sine adsistentia Episcopi, liceat uti alba ornata fimbriis seu reticulo a cingulo deorsum?

Dubium XIII. Utrum quando Ordinarius committit administrationem alicuius Parochialis Ecclesiae Sacerdoti Regulari, debeat hic sequi in celebratione Missae Kalendarium Dioecesa-

num an proprium Ordinis; et quatenus affirmative pro Kalendario proprio Ordinis, utrum Sacerdotes saeculares in eadem Ecclesia celebrantes debeant Dioecesanum Kalendarium sequi, etiamsi id importet differentiam quoad colorem paramentorum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Stare debent tantum ad benedictionem, et adhibeant solummodo rochettum cum superpelliceo.

Ad II. Negative quoad Lamentationes, Responsoria et Psalmum *Miserere* nec non ad reliquas liturgicas partes: in versiculis autem coram Sanctissimo Sacramento tolerari posse, attenta antiqua consuetudine.

Ad III. Affirmative ad 1. partem: Negative ad 2 et 3: ad 4 Affirmative ad primam quaestionem, et detur Decretum in Tridentina 14 Martii 1836 ad 4: Negative ad secundam.

Ad IV, V, VI. Tolerari posse.

Ad VII. Ad primam partem decernendum ab Episcopo: ad 2 Negative.

Ad VIII. In Oratorio privato Seminarii Racholensis, in oratione *A cunctis* exprimendum est nomen Sancti Titularis Ecclesiae eiusdem Seminarii.

Ad IX. Negative.

Ad X. Servetur Rituale Romanum Tit. 6, c. 3. n. 1.

Ad XI. Obstant Decreta.

Ad XII. Tolerari posse.

Ad XIII. Ad 1. partem detur Decretum in Tuden. 23 Maii 1846 ad 5: ad 2. partem, Dilata.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 16 Iunii 1893. (1)

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Vincentius Nussi *S. R. C. Secretario*

Ioannes Can. Ponzi *Subst.*

(1) TUDEN. *V. Dubium.* Regulares utpote electi a suis Coenobiis in tota Hispania, et hanc ob causam tamquam parochi vel Vicarii variis Ecclesiis praefecti, pro officio recitando, Missaque celebranda, an possint vel debeant recitare officium, et Missam celebrare iuxta Kalendarium Dioecesis, in qua Ecclesiis deserviunt, vel iuxta Regulare Kalendarium Ordinis, ad quem per professionem religiosam pertineat? Ad V. Teneri in casu ad officium Ordinis, sed in diebus festis Missam pro populo celebrandam ut in Kalendario Dioecesis.

MEDIOLANEN. Dubium quoad Cappellanos ritus ambrosiani.

De mandato Rmi Dni Archiepiscopi Mediolanen. hodiernus ipsius Pro-Vicarius Generalis in Spiritualibus S. R. C. sequens dubium pro opportuna declaratione humillime subiecit: nimirum:

An Sacerdotes Ritus Ambrosiani, Cappellani iurispatronatus Ducalis Familiae de Vicecomitibus ad minores Cappellas in Monialium Visitationis publica urbana ecclesia a S. Sophia nuncupata ritus romani, celebrantes iuxta Ambrosiani kalendarii praescriptum, proprio colore, praecipuis tantum quibusdam pro ipsis Monialibus solemnioribus festis exceptis, uti possint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarium Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Affirmative, ac detur Decretum in una Mediolanen. diei 16 decembris 1828, dummodo diebus solemnioribus se conforment quoad colorem et Missam kalendario Ecclesiae, in qua Sacrum faciunt.* — Atque ita rescripsit, die 23 iunii 1892.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

URBIS EIUSQUE DISTRICTUS. Indulgetur facultas recolendi festum s. Familiae Dominica III post Epiphaniam eumque transferendi etc.

Quo cultus erga Sanctam Familiam Iesu, Mariae et Ioseph in Alma Urbe eiusque Districtu maiora in dies capiat incrementa, praesertim, quum Sanctissimus Dominus Noster Leo Pp. XIII vehementer optet, ut christianae familiae per Consociationem ab ipsa Sancta Familia nuncupatam, huic arctiori pietatis vinculo devinciantur; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanensis et Eiusdem Sanctissimi Domini Nostri in Urbe Vicarius, Sanctitatem suam humillime deprecatus est, ut a Clero universo tam Saeculari quam Regulari Urbis eiusque Districtus Festum S. Familiae Nazarenae Dominica III post Epiphaniam sub ritu Duplicis maioris quotannis recoli valeat, cum Officio ac Missa nuperrime approbatis:

facta potestate idem festum transferendi in primam subsequentem diem liberam iuxta rubricam, quoties enuntiata Dominica impedita occurrerit. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, Emi Oratoris precibus benigne annuit; servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 21 Iulii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. E. *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Vincentio Nussi *S. R. C. Secretario*
Ioannes Can. Ponzi *Subst.*

DUBIUM de modo celebrandi nativitatem alicuius sancti vel beati.

Die 19 Decembris 1893.

Postremis hisce temporibus mos invalescere coepit ut centenaria commemoratio diei natalis aliquorum Caelitum persolemni pompa recoleretur. Hinc a Sacra Rituum Congregatione petitum fuit declarari: Utrum temporalis nativitas alicuius sancti vel Beati, excepta illa Deiparae Virginis nec non S. Ioannis Baptistae, celebrari possit liturgico ritu vel alio sacrae solemnitatis modo?

Huiusmodi Dubium quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, a me infrascripto Cardinale Praefecto propositum fuerit, Emi et Rmi Patres ita rescribere censuerunt:

Negative, etiamsi celebratio fieret die obitus vel alio quocumque die memoriae eiusdem Sancti vel Beati adsignato. Die 19 Decembris 1893.

Facta autem de his Smo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis approbavit, eamque per praesens Decretum evulgari mandavit ut ab omnibus et ubivis religiosissime servetur. Die 21 iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Vincentius Nussi S. R. C. Secretarius.

NAMURCEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Iuliae Billiart Fundatricis Congregationis Sororum beatae Mariae Virginis.

Quum die 9 Iunii vertentis anni Sanctissimus Dñus Noster Leo Papa XIII iam benigne indulserit, ut de fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praefatae Ven. Servae Dei Iuliae Billiart agi possit in Congregatione Ordinaria absque interventu et voto Consultorum; instante Rmo Dño Raphaele Maria Virili, Antistite Urbano, et huiusce Causae Postulatore, ego infrascriptus Cardinalis Sacrae ipsi Congregationi Praefectus, eiusdem Causae Ponens, sequens Dubium discutiendum proposui in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, scilicet: *An constet de validitate et relevantia Processus, Apostolica auctoritate Namurcensi in urbe constructi super fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere Ven. Servae Dei, in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, atque audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: Affirmative seu Constare. Die 19 Decembris 1893. Quibus per me ipsum infrascriptum Cardinalem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habuit et confirmavit die 21 iisdem mense et anno.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

NULLIUS seu CAVEN. Decretum Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servis Dei Alferio, Leoni, Petro et Constabili abbatibus Ordinis sancti Benedicti, sanctis nuncupatis.

Cavensi Tyrrenorum Coenobio, quod Alferius Abbas condiderat, quodque caelesti ex visu Trinitati Augustae nuncupaverat, praeclarum decus addiderunt, cum ipso Alferio, Leo, Petrus et

Constabilis, qui ei in munere successores fuerunt. Hi nempe mundi illecebris honoribusque despectis, paterna relicta domo, unique Deo sese addicere peroptantes, monachorum vitam amplexi sunt. Horum virtutibus, litterarum laude atque in negotiis obeundis dexteritate adeo Monasterium ipsum auctum est, ut de ipsis merito illud dici possit: *Iustos deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illis regnum Dei, et dedit illis scientiam sanctorum; honestavit illos in laboribus, et complevit labores illorum* (Sap. 10). Quin et Benedictinus Ordo universus, de sacra et civili re iam optime meritus, eorum opera novo decore illustratus est. Porro singularis sanctimoniae fama, quam Famuli Dei dum viverent adepti fuerant, ab ipsorum obitu sic longe lateque diffusa est, ut inde a saeculo duodecimo ad nostra usque tempora non intermissa viguerit. Ecclesiasticus vero publicus cultus, qui ipsis quatuor omnibus ante Urbanianas leges adhiberi coeptus fuerat, idem, ut indubia testantur documenta ac plura etiam Romanorum Pontificum diplomata, ad hanc aetatem perseveravit. De Petro autem seorsim peculiare illud in promptu est, Clero Dioecesis Policastrensis concessum a Sede Apostolica iam fuisse ut memoria ipsius quotannis sub ritu duplici secundae classis Officio Missaque propriis recoleretur. Quibus permotus Rmus D. Michael Morcaldi hodiernus Caventium Abbas ordinaria sua auctoritate inquisitionem instituit, ac sententiam super immemorabili cultu eisdem Dei Famulis praestito pronunciavit. Deinde actis ad Sacram Rituum Congregationem transmissis, cultus eiusdem approbationem pro quatuor collectim ipsis Dei servis ab Apostolica Sede expostulavit. Quocirca a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, huius Causae Relatore, in ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis sequens Dubium discutiendum propositum fuit. *An constet de cultu ab immemorabili tempore eisdem Dei Famulis praestito, seu de casu excepto a Decretis f. r. Urbani Papae VIII, in casu et ad effectum de quo agitur?* Porro Emi ac Rmi Patres, Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus rite perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt. *Quoad Petrum, iam provisum, quoad ceteros affirmative. Die 19 Decembris 1893.*

Facta postmodum de his per me ipsum infrascriptum Cardinalem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione,

Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, et confirmavit die 21 iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Vincentio Nussi *Secretario*
Ioannes Ponzi *Substitutus.*

EX SECRETARIA BREVIUM

Nuperrimae Constitutiones Benedictinorum.

Die 12 Iunii 1893.

Summum semper Nos tenuit studium Ordinis inclyti S. Benedicti, qui vitae sanctimonia omnisque humanitatis cultu maximis Ecclesiae et rei publicae temporibus utrique eximio fuit praesidio et ornamento. Quare haud omisimus pro re nata plura huius studii et manantis ex eo sollicitudinis argumenta praebere; certa enim fiducia nitimur praesentes huius Ordinis alumnos, aemulos industriae maiorum suorum in utraque quam diximus laude, effecturos ut perinde ille floreat atque ea floruit aetate, qua summum attigit solidae gloriae fastigium, *et extendat palmites suos usque ad mare* (1). Eo spectantibus Nobis adfuit tempestive operamque contulit adiutricem dilectus Filius Noster Ioseph Benedictus S. R. E. Cardinalis Dusmet, qui desideriis Nostris religiose obsequutus nuper, arcessentibus nobis, ad Urbem venit, ut primum poneret lapidem Collegii S. Anselmi in Aventino monte extruendi, et conventui praeesset. Abbatum virorumque delegatorum a variis Benedictinorum, quos atratos vocant, familiis. Cuius conventus indicendi ea ratio fuerat ut collatis consiliis de iis rebus ageretur quae ad communes pertinerent universi Ordinis rationes et utilitates, praesertim vero ut fraterna fieret consociatio, quasi icto foedere, quae Familias omnes quibus idem Ordo constat, nexu suavi caritatis mutuae contineret.

(1) Psalm. LXXIX, 12.

Quum praedicti Abbates ac delegati pluries congressi in aedibus ad S. Callisti de rebus propositis considerate et graviter deliberassent, nonnulla de quibus inter eos convenerat scita et placita conscripsere ad commune commodum Ordinis universi. Haec diligenter retulit Nobis idem dilectus Filius Noster Ioseph Benedictus Cardinalis Dusmet, quum Nos adiisset postridie kalendas Maias, hoc anno, postulans ut ea, si placuissent, a Nobis confirmarentur.

Igitur quaesita inspectaque sententia quorumdam S. R. E. Cardinalium, quibus nominatim recognoscendae oblatae scriptionis curam demandavimus, postulationi aequissimae censuimus annuendum. Nostraque auctoritate Apostolica probare et confirmare statuimus scita et placita praedictorum Abbatum et Delegatorum ita conceptis verbis expressa:

« I. Omnes Congregationes Benedictinorum, quos nigros vocant, veram fraternam Confoederationem ineunt, quae tamen Confoederatio nullam Congregationem alteri subiicit.

» Ut autem Confoederatio haec unitatem aliquam habeat, firmis manentibus omnium Benedictinorum, quos diximus, Congregationibus; earumque Constitutionibus vel declarationibus; propriisque unicuique earum Archiabbate, vel Abbate generali, Abbate Praeside, nec non et Procuratore generali ac Visitatoribus servatis; item firmis manentibus iuribus atque privilegiis uniuscuiusque monasterii. Abbas Primas omnium Congregationum creabitur, qui Romae degat pro negotiis totius Ordinis bonum directe respicientibus.

» 2. Abbas Primas assumatur ex universo corpore Congregationum, nullo facto nationum discrimine, nullâque servata eorumdem Congregationum distinctione sed sola virtutis, idoneitatis et meritorum contemplatione.

» 3. Qui modo quo praemittitur, Abbas Primas constitutus fuerit cum attributis a Sanctissimo Domino Nostro ipsi benigne concedendis, erit insimul Abbas Collegii S. Anselmi de Urbe cum ordinaria iurisdictione, ibique manebit. Ipsum autem Collegium non censeatur pertinere alicui ex dictis Congregationibus, familiam habeat ex omnibus Congregationibus conflatam, quam ipse Primas constituere curabit, audito Rectore Collegii. Omnes vero superiores uniuscuiusque Congregationis morem gerant Primati ad formandam praedictam familiam Collegii, excepto casu specialis necessitatis.

» 4. Primatis Congregationum Benedictinorum et Abbatis S. Anselmi officium per duodennium duret; ideoque duodecimo quoque anno Presides omnium Congregationum, et quoad eius fieri poterit, etiam omnes Abbates regiminis convenient Romam pro novo Primate eligendo, vel pro eodem ad aliud duodennium confirmando, nec non pro negotiis prout supra, nisi eidem Primati videbitur pro gravissima aliqua causa infra duodennium convocare Praesides et Abbates praedictos.

» Quod si vero Primas infra duodennium e vita migraverit (aut alias officium eius de iure et de facto vacare contigerit), regimen Collegii S. Anselmi pro tempore vacationis penes Rectorem eiusdem Collegii erit, qui tamen, nulla mora interiecta, post obitum Primatis, de mandato Summi Pontificis, convocet omnes Congregationum praesides et Abbates prout supra dictum fuit, ad electionem infra sex menses habendam.

» Valide autem is tantum censetur electus Primas et Abbas S. Anselmi, cui duae tertiae partes votorum[1] in electione suffragaverint. Hac autem prima vice Abbas S. Anselmi et Primas is sit quem Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. Protector ac Patronus noster benignissimus, ad huius officii onus assumere dignabitur.

» 5. Rector Collegii S. Anselmi, de voluntate et consensu Abbatis, gubernationem et disciplinam eiusdem Collegii tenens probe noverit, ea omnia quae relationes Collegii cum singulis Congregationibus respiciunt, ad Abbatem S. Anselmi velut Primatem omnium Congregationum spectare. Teneatur vero Rector eidem Abbati omnimodam praestare operam ad idem Collegium fovendum, praesertim ad Professores eligendos, ad rationem studiorum necessitudinibus singularum Congregationum, quoad eius fieri poterit, accommodatam, instituendam, neque rem quamcumque novam alicuius momenti circa vivendi modum, disciplinam monasticam aut studia introducat absque consensu Abbatis S. Anselmi. »

Haec itaque scita, statuta, decreta Familiarum Benedictinorum atratorum universa et singula, uti supra scripta sunt, omni ex parte probamus et confirmamus auctoritate Nostra Apostolica, eaque vim legis obtinere iubemus, quam praedictae familiae omnes perpetuo servare teneantur, non obstantibus constitutionibus, decretis, privilegiis, consuetudine ceterisque contrariis quibuscumque, licet speciali mentione dignis, quibus ad effe-

ctum praesentium perinde derogatum volumus ac si tenor eorum de verbo ad verbum huc esset insertus.

Praeterea cum iuxta statuta et decreta praedicta quae confirmavimus, confoederationi Familiarum Benedictinorum atratorum praeficiendus sit Abbas Primas, qui simul futurus sit Abbas Collegii S. Anselmi de Urbe, hac prima vice, motu proprio et auctoritate nostra, Primatem, adeoque Abbatem S. Anselmi eligimus et constituimus dilectum Filium Hildebrandum Hemptinne Abbatem Maredsoliensem e Congregatione Beuronensi, cuius officium a Nobis collatum tamdiu sit duraturum, quamdiu Nobis et Nostris in hac Sancta Sede successoribus placuerit.

Ceterum per Congregationem nostram negotiis Episcoporum et Regularium praepositam, seorsum definientur enucleate peculiares quae sint partes muneris Abbatis Primatis, quaeque singularia eius iura et officia erga Ordinem universum, ut ea servetur familiarum omnium coniunctio ad quam eius intendit institutio.

Interim quum simul vetus sapientia doceat res etiam tenues, nedum grandiores, concordia crescere, et divinis celebretur eloquiis *concordia fratrum, utpote probata coram Deo et hominibus* (1) haud immerito fore confidimus ut haec coniunctio partium omnium Ordinis meritissimi non modo ad eius decus et amplitudinem conferat, sed etiam fructuum quos afferet ubertate commodis Ecclesiae et totius humanae societatis, aspirante Deo, benevertat.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII Iulii anno MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri decimo sexto.

ALOISIUS CARD. SERAFINI.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

CUNEENSIS Dubia quoad admissionem Christifidelium Tertiis ordinibus nonnullorum ordinum.

Sacerdos Ioannes M. Silvestro dioecesis Cuneensis huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi exponit se, tertio iam Ordini saeculari S. Francisci Assisiensis adscriptum, cooptari

(1) Eccli. XXV. 1. 2.

etiam voluisse inter sodales tertiarios Servorum B. Mariae V., immo petiit, eamque obtinuit, facultatem admittendi Christifideles in eumdem tertium Ordinem Servorum B. M. V., antequam ab hac S. Congregatione ederetur Decretum d. sub die 31 Ianuarii huius decurrentis anni. Verum quum sub die 21 Iunii nuper elapsi, haec eadem S. Congregatio decretum supramemoratum vim habere retroactivam edixerit, simulque certum sit ideo Oratori collatam fuisse facultatem cooptandi fideles in tertium Ordinem Servorum B. M. V., eo quod huius tertii Ordinis sodalis evaserat, hinc sequentium dubiorum solutionem ab hac S. Congregatione humiliter expostulat:

I. An legitime admiserit Christifideles in praefatum tertium Ordinem Servorum, eorumque professiones valide exceperit ante promulgationem Decreti d. d. 21 Iunii 1893?

Et quatenus negative:

II. An actus supradicti sint renovandi per sacerdotem legitima fretum potestate, vel potius sanandi.

S. Congregatio propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative* ante promulgationem Decreti: *Negative* post promulgationem, nisi Orator expresse renunciaverit se velle pertinere ad tertium Ordinem Franciscalem, et elegerit, prouti ipsi datur, permanere inter sodales tertiarios Servorum B. M. V.

Ad II. Provisum in I.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 1 Septembris 1893.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO *Praef.*

L. ✠ S.

† Alexander Archiep. Nicopolit. *Secret.*

Concessio generalis Indulgentiae Centum dierum pro Orationibus uti in supplici libello.

Bmo Padre

Il Padre Bernardo da Fivizzano exprovinciale Cappuccino di Toscana, prostrato al bacio del S. Piede, supplica umilmen-

Beatissime Pater

Pater Bernardus a *Fivizzano* exprovincialis Cappuccinorum Etruriae, ad sacros pedes humiliter provolutus postulat, ut ad-

te la S. V. a degnarsi di annettere un' Indulgenza a quanto appresso, con poterla anche applicare in suffragio delle anime del Purgatorio.

I. *Alla giaculatoria:* Dulcissime Iesu, da mihi fidei, spei et caritatis augmentum, cor contritum et humiliatum.

II. *All'inno* del P. S. Francesco, che si recita nei primi Vesperi della Festa, ad aumento di devozione al S. Patriarca, del tenore seguente:

nectere dignetur Indulgentiam, applicabilem etiam animabus in Purgatorio detentis, sequentibus precibus.

I. *Iaculatoriae* – Dulcissime Iesu, da mihi fidei, spei et caritatis augmentum, cor contritum et humiliatum.

II. *Hymno* S. Francisci, qui recitatur in primis Vesperis festi in augmentum devotionis erga S. Patriarcham:

O Divi Amoris victima,
Quino cruenta vulnere,
Francisce, qui vivam crucis
Christi refers imaginem.

In caritatis fervidis
Flammis adustus, sanguinem
Christo daturus, barbara
Ter cogitasti littora.

Voti sed impos, non vivis
Languere flammas desides:
Et excitas coelestia,
Flagrans amore, incendia.

In prole vivens efferas
Pervadis oras: algida,
Gelu soluto, ut ferveant
Ardore sancto pectora.

Sic pertimendis lividum
Armis Avernum conteris:
Virtutis et firmum latus
Templo labenti subiicis.

Adsis, Pater, precantibus,
Ignemque, late quo tua
Exarsit ingens caritas,
Accende nostris mentibus.

Sit laus Patri et Filio
Sit inclyto Paraclito,
Qui nos Parentis optimi
Det aemulari spiritum. Amen.

Che della grazia ecc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone Papa XIII sibi specialiter tributis, benigne concessit Indulgentiam *centum dierum,* semel in die lucrandam ab universis Christifidelibus pro devota recita-

tione tum supramemoratae precis iaculatoriae in honorem Sanctissimi Cordis Iesu, tum etiam Hymni in honorem S. Francisci Assisiensis. Quam Indulgentiam eadem S. C. declaravit fore applicabilem animabus igne Purgatorii detentis. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 13 Septembris 1893.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO Praefectus.

L. ✠ S.

† A. Archiep. Nicopolitan. *Secretarius*

S. IACOBI DE CHILE quoad Sacramentalem confessionem pro lucrandis Indulgentiis plenariis, quae *toties quoties* in die conceduntur, vel in forma aut ad instar Iubilaei.

Hildephonsus Saavedra Canonicus Poenitent. Ecclesiae Metropolitanae S. Iacobi de Chile huic S. C. Indulgentiarum humiliter sequentia dubia diluenda proponit:

Quum in una Veronensi sub die 12 Martii 1855 propositum fuerit dubium sequens: Utrum privilegium Clementis XIII quod qui solent confiteri semel saltem in hebdomada, possint lucrari Indulgentias Plenarias infra hebdomadam occurrentes cum sola Communione, quamvis in Brevi Apostolico Confessio praescripta sit, valeat et extendatur etiam pro lucranda Indulgentia vulgo *Portiuncula* die 2 augusti, et S. C. responsum dederit « Affirmative »; quaeritur:

I. Num haec responsio sit retinenda uti regula generalis etiam pro aliis Indulgentiis *toties quoties* in eadem die lucrandis?

Item, quum in praefata Veronensi fuerit propositum aliud dubium, nimirum « Utrum confessio hebdomadalis valeat etiam pro lucranda Indulgentia in forma Iubilaei » et S. C. responderit: *Negative,* quaeritur:

II. Num sub nomine Indulgentiae in forma vel ad instar *Iubilaei* quoad effectum confessionis sint intelligendae illae tantum Indulgentiae, prout docent Iuris Canonici Doctores, quae universo Orbi Catholico a RR. PP. concedi solent ob aliquem specialem eventum, puta Creationis ipsius Romani Pontificis;

aut uti tales sint retinendae etiam illae, quae *toties quoties* in eadem die acquiri possunt, ut illa adnexa diei 2. Augusti de Portiuncula nuncupata, et alia nuper concessa in festo B. M. V. de Monte Carmelo?

III. An, attenta inopia Confessariorum, Christifideles qui in hac Archidioecesi degunt, et non habitualiter qualibet, sed una vel altera hebdomada ad Confessionem accedere solent, poteruntne lucrari Indulgentias, quae per illam hebdomadam in qua confitentur decurrunt, iis exceptis quae proprie Iubilaei appellantur, vel ad instar Iubilaei conceduntur?

Et S. C. die 5 Decembris 1893 relatis dubiis respondit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Attenta hodierna praxi *Affirmative* quoad 1^{am} partem, *Negative* quoad 2^{am}.

Ad III. *Negative,* absque Indulto, et ad mentem; et mens est: Oratori communicetur id quod alias decrevit haec S. C. sub die 12 Iunii 1822 in una Urbis et Orbis, et sub die 28 Septembris 1838 ad 1^{um} in una Asurensi, et sub die 15 Decembris 1841 ad I^{um} et II^{um} in una Mechliniensi.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die et anno ut supra.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO Praefectus.

L. ✠ S.

† Alexander Archiep. Nicop. *Secretarius.*

APPENDIX IV.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 17 Novembris 1835 — Ep. Quebecen.
Dubia varia quoad matrimonium catholicorum et protestantium.

2. Quaeritur : Utrum matrimonium partis catholicae et partis protestantis, utriusque natu minoris, invitis parentibus unius ex partibus contractum coram magistratu vel ministro protestante et duobus testibus, validum censeri debeat necne.

3. Estne validum matrimonium a duobus protestantibus absque ullo teste contractum ?

4. Matrimonium partis catholicae et partis haereticae contractum inter utramque partem, nullo adstante teste, validumne censeri debet?

5. Matrimonium duorum catholicorum inter se solos contractum absque ullo teste, vel coram duobus testibus in loco ubi non possunt recurrere ad ministerium alicuius sacerdotis approbati, estne validum?

6. Cum pars una catholica et pars altera haeretica desponsantur coram magistratu, et uno tantum teste, vel coram ministro protestanti, et uno itidem teste, potestne magistratus vel minister ut alter testis censeri? Et matrimonium istud estne validum?

7. Matrimonium duorum catholicorum inter se, adstantibus duobus testibus, contractum coram parocho invito et reluctante, estne validum ?

8. Cum catholicus se simulat protestantem aut apostatam, eo consilio ut matrimonium ineat cum muliere catholica coram ministro protestante et duobus testibus, eiusmodi matrimonium estne validum?

9. Duo catholici dioecesis Quebecensis nonnihil impedimenti obesse animadvertentes ne matrimonium contrahant, in fraudem legis ad illud ineundum coram magistratu pergunt ad Foederatae Americae Septentrionalis ditiones, quibus in regionibus facta numquam est tridentini decreti *Tametsi* promulgatio. Ratumne habendum est matrimonium huiusmodi ?

R. ... Ad 2. Affirmative pro Canadae regionibus ad quas extensa est Benedictina declaratio. Iam enim supra monuimus neque aetatem minorem, neque parentum dissensum dirimere matrimonium, quod nec de catholicis solum, sed de ipsis etiam protestantibus volumus intellectum, cum haeretici quoque sacris Ecclesiae legibus teneantur, nec, in iis praesertim quae attinent ad Sacramenta, saeculares leges Ecclesiae sanctionibus ullo possint esse detrimento. Deficientia tandem parochi in casu expresso nonnisi clandestinitatem parit, quae in illis locis in quibus vim habet Benedictina declaratio haud irritat matrimonia haereticorum. Cum vero, ut idem fert Benedictus XIV in Opere de Syn. Dioec., in matrimoniis mixtis pars libera et immunis a lege, eamdem immunitatem cum altera parte communicare censeatur, sequitur profecto clandestinitatem non obstare mixtis matrimoniis in Canadae regionibus contractis.

Ad 3. Est validum pro Canadae regionibus : inibi enim viget Benedictina declaratio, quae valida declarat ea matrimonia quae clandestine ab haereticis contrahuntur.

Ad 4. Validum pro Canadae regionibus ob saepius laudatam Benedictinam declarationem ad ea loca extensam. Hoc patet ex dictis in solutione ad dubium 2. Praestat vero hic pro maiori claritate verba referre eiusdem Benedicti XIV. Lib. 6. Cap. 6 de Syn. Dioeces. sic exarata : « Cum coniugum alter, cum ratione loci in quo habitat, tum » ratione societatis in qua vivit, exemptus sit a Tridentinae Synodi lege, » exemptio, qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet propter » individuitatem contractus, vi cuius exemptio, quae uni ex partibus » competit, ad alteram secundum etiam civiles leges extenditur eidem- » que communicatur ». Quae verba, ut videre est, tam sunt clara et aperta ut nullum relinquant dubitationi locum super validitate istiusmodi matrimonii.

Ad 5. Primum matrimonium est validum pro iis dioecesis Quebecensis incolis qui missionariis tantum utuntur. Sacra enim C. de Prop. Fide anno 1820 decrevit: « Pro incolis dioecesis Quebecensis, qui missio- » nariis tantum et donec utuntur, non esse locum Decreto Concilii Tri- » dentini *Tametsi,* nullo habito respectu maioris vel minoris distantiae; » et missionarii curent referre matrimonia celebrata in eorum regestu » Ordinario respectivo tradendo : » quibus ex verbis patet incolas praedictos matrimonia inire posse, nec parocho nec testibus ullis, quum utraque obligatio ex eodem proveniat Tridentino Decreto *Tametsi*, cui locum non esse declaravit praelaudata Congregatio. Secus vero de iis incolis affirmandum est, qui in locis habitant ubi sunt paroeciae con-

stitutae; illi enim nullo modo a lege Tridentini Decreti immunes haberi possunt; ut proinde ipsorum matrimonia irrita fiant si nullo teste praesente contrahantur. Secundum matrimonium de quo in dubio fit mentio, validum quoque habendum est: Sacra enim Congregatio Concilii die 30 Martii anno 1669 declaravit, quod sicubi catholicus parochus aliusve sacerdos *vel omnino non adsit vel illius adeundi libera potestas non sit,* matrimonia etiam nullo adstante contracta valida censeantur dummodo coram duobus testibus contrahantur. Pius etiam VI huic inhaerens declarationi rata habuit matrimonia in Galliis tempore revolutionis contracta, cum ecclesiae legitimis pastoribus destituebantur.

Ad 6. Matrimonium est validum pro partibus Canadae ob declarationem inibi extensam. Repetendum hic est quod iam satis superque monuimus matrimonia huiusmodi valida semper esse, etiam si nullo adstante teste contrahantur. Superfluum itaque videtur percontari utrum magistratus aut minister haereticus velut alter testis possit existimari. Cur tanta de altero teste sollicitudo, cum in casu de quo agitur, ex collato indulto, nullius testis praesentia ad matrimonii validitatem exigatur?

Leges autem saeculares, si quae in Canadae regione vigent, matrimonia clandestina rescindentes, coram Ecclesia vi nulla pollere, meritoque explodendas esse iam monuisse in responsione ad dubium 1. Diligenter itaque commonendi sunt qui in Canadae regionibus matrimonia praedicta sic contrahunt, se in foro conscientiae saecularibus illis legibus non teneri, ideoque coram Deo coniunctos esse, ut nulla possint hominum potestate divelli.

Ad 7. Validum. Sic decrevit S. Congregatio Concilii anno 1581 respondens 3 quaesito Episcopi Gienn. sic expresso « Si invitus et compulsus per vim adsit sacerdos dum contrahitur matrimonium, utrum tale matrimonium subsistat? Responsum fuit: subsistere ».

Ad 8. Negative: cum enim alter coniugum haeresim simulat aut apostasiam, non ideo catholicam fidem ex animo deserit. Quocirca cum ambo coniuges sint reapse catholici, clandestinitatis impedimento tenentur. Quod si coniugum alter non haec simularet solum, sed vere animo a catholica fide deficeret, ad haereticam transiens pravitatem, tunc profecto mixtum exurgeret matrimonium, quod ratum habendum esse ex superius dictis manifeste apparet.

Ad 9. Ratum, si coniuges transferant etiam domicilium: irritum, si primum domicilium retineant. Lubet hic resolutiones a S. Concilii C. tribus dubiis datas afferre, ex quibus patet apertissime quaenam sit Ecclesiae mens circa hos similesve casus. Quaesitum itaque fuit « 1. An

» incolae tam masculi quam foeminae loci, in quo Concilium Triden-
» tinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum
» in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem do-
» micilium, valide possent in isto loco matrimonium sine parocho et
» testibus contrahere. 2. Quid si eo praedicti incolae tam masculi quam
» foeminae solo animo sine parocho et testibus contrahendi se trans-
» ferant, habitationem non mutantes? 3. Quid si transferant habita-
» tionem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant? »
S. Congregatio respondit ad 1 et 2 : non esse legitimum matrimonium inter se sic transferentes et transeuntes cum fraude ; ad 3 : si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum.

S. C. S. Officii 6 Maii 1886. — De mense ad quasi domicilium requisito.

Concilio Baltimoren. *(Plenario III)* postulante, supplicandum SSmo ut decernere dignetur in Statibus Americae Confoederatis se transferentes e loco, ubi viget Caput *Tametsi,* in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis et status sui libertatem, uti iuris est, comprobaverint, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem. In audientia 12 Maii 1886 SSmus approbavit.

S. C. S. Officii 26 Novembr. 1835 — Dubium quoad parochum in matrimoniis mixtis.

Se nei matrimonii misti il sacerdote debba anche astenersi dal pronunziare le parole: *Ego vos coniungo in matrimonium.* An Parochus in matrimoniis mixtis abstineri debeat a prolatione verborum - *ego vos coniungo in matrimonium.*

R. Parochus assistens matrimonio mixtae religionis se abstineat.

Ex Litt. S. C. S. Officii 23 Augusti 1877. — Dubium quoad admissionem partis poenitentis ad sacramenta recipienda in matrimoniis cum haereticis.

Dubium: Utrum in contractis matrimoniis (cum haereticis) pastores animarum partem poenitentem, dummodo seclusum sit scandalum, tuta conscientia ad receptionem Sacramentorum admittere valeant.

R. Quoad matrimonia valida, ad Sacramenta percipienda posse admitti sine praevia renovatione consensus, sed ab iisdem percipiendis arcendos, donec vera dederint resipiscentiae signa, et promiserint se curaturos totis viribus tam conversionem partis haereticae, quam educationem in religione catholica prolis universae natae et forsan nasciturae; et tandem donec obtinuerint absolutionem a censuris incursis una cum poenitentiis salutaribus, casu quo contraxerint coram ministro haeretico.

Quoad vero matrimonia invalida, cum sit nullum eorum matrimonium vitio clandestinitatis, non esse admittendos ad receptionem Sacramentorum nisi prius promiserint post impetratam dispensationem super impedimento mixtae religionis, se fideliter exequuturos eas omnes conditiones, quae exiguntur in praefata dispensatione, et dein nisi consensum renovaverint coram catholico parocho et duobus testibus, et tandem nisi obtinuerint prius absolutionem a censuris incursis una cum poenitentiis salutaribus, casu quo matrimonium attentaverint coram ministro acatholico.

S. C. S. Officii 17 Novembris 1835. — Ep. Quebecen.
Dubium de matrimonio contracto a minoribus, invitis parentibus.

Quaeritur sitne validum matrimonium a duobus catholicis natu minoribus secundum formas ab Ecclesia praescriptas contractum, sed tamen invitis parentibus.

R. Affirmative; nec enim dissensus parentum aut aetas minor inter impedimenta matrimonium dirimentia ullo possunt modo nostris hisce temporibus recenseri. Leges caesareas et iussa Principum huic adversa sententiae non moramur; illa namque aut de civilibus tantum effectibus sunt intelligenda, sicut de edicto Henrici III Regis Christianissimi a Ludovico XIII confirmato sentiunt praestantes viri Loretus in parisiensi senatu Consiliarius, Hubertus Episcopus Vabriensis, Cabassutius, Gerbasius, Natalis Alexander aliique; aut, quum id statuant quod limites praetergreditur saecularis potestatis, sunt omnino reiicienda. Circa ea quae ad rationem pertinent Sacramentorum non Principibus saecularibus, sed soli Ecclesiae plena est definiendi potestas. Ea vero non solum in cap. *Licet* et in cap. *Tua, De sponsa duorum,* eiusmodi matrimonia rata habuit et declaravit, verum et Tridenti in Spiritu Sancto legitime congregata eos anathemate percussit qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et

parentes ea rata vel irrita facere posse. Nullus igitur dubio reliquus locus est super validitate praedicti matrimonii.

S. C. S. Officii 20 Septembris 1854. — Vic. Ap. Yun-nan. Dubium de matrimonio inito cum uxore fratris maioris defuncto.

In istis missionibus saepe evenit ut minor fratris sui maioris defuncti uxorem ducat, et postea convertatur. Difficillime separari possunt propter prolem iam susceptam vel periculum ne avertantur a fide. Ipsorum matrimonium invalidum esse videtur utpote omnino a lege civili prohibitum, etiam sub poena mortis. Verum post baptismum ad convalidandum eorum matrimonium satisne est ut tantummodo suum renovent consensum?

R. Praevia dispensatione disparitatis cultus et primi affinitatis gradus per facultates quibus missionarii gaudent, consensum esse renovandum. Quod si superventura mala deprehendantur, relinquendos in bona fide.

S. C. S. Officii 12 Decembris 1748. — De prole legitimanda.

Cum in facultate dicatur *prolem susceptam legitimam declarandi* (1) an dispensator Episcopus vel Vicarius generalis in dispensatione sua addere possit et declarare legitimam prolem susceptam et suscipiendam.

R. Affirmative.

S. C. S. Officii 17 Septembris 1890. — Archiep. Compostell. Dubium quoad dispensationem super impedimentis.

Utrum vi decretorum diei 20 Februarii 1888 et 1 Martii 1889 valeant Ordinarii per se vel per parochos dispensare super impedimentis publicis iuris ecclesiastici, exceptis presbyteratu, et affinitate in via recta, omnes in articulo mortis constitutos, licet matrimonium civile, quod vocant, non celebraverint, nec vivant in concubinatu.

R. Negative.

(1) In Formula III facultatum sub n. 3 conceditur facultas: «Dispensandi in 3 et 4 simplici, et mixto tantum nedum cum pauperibus sed etiam cum divitibus in contrahendis et in contractis; cum haereticis vero conversis etiam in 2 simplici, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus *prolem susceptam declarandi legitimam*».

S. C. S. Officii 12 Decembris 1748.
Dubium quoad dispensationem in gradu remotiori.

An matrimonium contractum praevia dispensatione super gradu remotiori, proximiori reticito, sit validum, non obtentis prius litteris declaratoriis iuxta Constitut. S. Pii V (1).

R. Sanctitas Sua docuit huiusmodi matrimonia esse quidem valida, sed illicita, dummodo dispensationes non attingant primum gradum, adeoque donec literae declaratoriae, seu ut vocant *perinde valere*, expediantur, coniuges separari debere. Et ita in posterum rescribi mandavit, non obstante contrario decreto huius S. Congregationis emanato sub die 13 Novembris 1732.

S. C. S. Officii 23 Aprilis 1890.
Dubia quoad facultatem dispensandi super impedimentis etc.

Vicarius Generalis N.... sequentium dubiorum solutionem perhumiliter expostulat, nempe: — Litteris S. Officii datis die 20 Februarii anno 1888 concessa est locorum Ordinariis facultas dispensandi, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente. Decreto vero lato fer. IV die 9 Ianuarii 1889 declaratum est, Ordinarios quibus

(1) S. Pius V. in Constit. *Sanctissimus* 20 Aug. 1566: «statuit et ordinavit quod de cetero in quibuscumque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis aut contrahendis inter viros et mulieres, invicem diversis prohibitis consanguinitatis et affinitatis, aut mixtis, ex communi seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoquomodo non attingant, cum in eo Sanctitas Sua, et pro tempore existente Romano Pontifice aut Sede Apostolica impetrari vel alias concedi contigerit, ac literis commissionibusque desuper, etiam locorum ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis, iuxta Gregorii et Clementis praedecessoris huiusmodi constitutiones, quas, quoad hoc, innovavit et inviolabiliter observari mandavit; dispensationesque seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas literas et processus habitos per easdem dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus et per omnia suffragari, perinde ac in literis seu utroque gradu specialis et expressa mentio facta fuisset».

memorata facultas praecitatis litteris diei 20 Februarii 1888 data fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi, et periculum sit in mora. Iam igitur quaeritur: (1)

1. Utrum S. Congregatio, per verba *super impedimentis quantumvis publicis*, confirmare intenderit communem theologorum, et praesertim S. Alphonsi sententiam, quae habet, posse Episcopos in casibus urgentis necessitatis dispensare super impedimentis occultis, eamque facultatem veluti ordinariam probabiliter delegare etiam generaliter, ita ut mens Congregationis fuerit significare, Episcopos a fortiori ab impedimentis occultis in praedictis adiunctis dispensare posse.

2. Utrum in gravissimo mortis periculo coadiutores parochi, quando ob ingentem parochiarum illius dioecesis amplitudinem ad eum recurrere non possunt, nomine parochi ab impedimentis publicis dispensare valeant.

3. Utrum in decreto diei 9 Ianuarii 1889 nomine *parochorum* veniant etiam vicarii temporales, qui post obitum parochorum vel in eorum absentia sufficiuntur.

R. Ad 1. Ex vi decreti, affirmative pro mortis articulo.

Ad 2. et 3. Detur responsum hac eadem feria datum R. P. D. Abbati SSmae Trinitatis Caven., quod est sequens scilicet: — « Propositis a R. P. D. Abbate supra laudato sequentibus dubiis: I. *An sub nomine parochorum in subdelegatione facultatis, de qua in precibus, intelligendi sint etiam vice-parochi vel oeconomi-curati ad nutum amovibiles, in quibus paroeciis parochi stricte sumpti ac veri nominis non sunt creati?* — *Et quatenus negative:* — II. *Utrum saltem in dioecesibus, in quibus, sicut et in Abbatia* Nullius *SSmae Trinitatis Caven. ex privilegio vel ex antiquissima ac immemorabili consuetudine, nonnullae sunt paroeciae, quarum curati tamquam vicarii Abbatis sunt instituti sub nomine* oeconomi *vel* archipresbyteri curati, *ad nutum amovibiles, praedicta facultas ad hos quoque possit extendi* ». — Emi DD. Cardd. in rebus fidei et morum Inquisitores Generales praedicta die ac feria rescribi mandarunt: — Ad I. Comprehendi omnes qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et capellanis. — Ad II. Provisum in praecedenti.

(1) Litterae de quibus supra sermo est relatae fuerunt vol. XX, 543; decretum relatum fuit vol. XXI, 696. Recole etiam vol. XXII, 640.

S. C. S. Officii 23 Aprilis 1890. — Utrum nomine parochorum veniant Missionarii.

Utrum voce *parochorum* quibus Ordinarii possunt subdelegare facultatem dispensandi in casibus extremae necessitatis super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo, ex Indulto Supremae Congregationis 1 Martii 1889, intelligi possint et debeant *missionarii* curam animarum habentes, quamvis *parochi* stricte dici non valeant.

R. Affirmative pro iis missionariis qui parochialibus funguntur muneribus.

S. C. S. Officii 1 Iulii 1891. — Dubium quoad verba aegrotos etc.

Ep. Vicensis ad pedes Sanctitatis V. provolutus sequens reverenter exponit dubium: Ex litteris istius S. R. et U. Inquisit. diei 20 Febr. 1888 Sanctitas Tua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant « aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente ». Iam vero super intelligentia verborum *aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos* non leve exortum est inter quosdam dissidium. Sunt enim qui asserunt locum dispensationi tantum esse quum impedimentum afficiat directe aegrotum, non vero quum aegrotus sit solutus, et impedimentum tantum directe afficiat bene valentem. Dum alii e contra facultatem dispensandi Ordinariis concedi putant quamvis aegrotus non habeat in se impedimentum, sed hoc directe tantum existat in bene valente. Unde quum civiliter sint coniuncti, aut alias in concubinatu vivant, ex. gr. puella soluta et diaconus, illaque aegrotante, hic valens sit, possetne Ordinarius cum his dispensare? Vel si monialis aegrotans in concubinatu viveret cum diacono bene valente, essetne locus dispensationi, quum diaconus non sit in gravissimo mortis periculo constitutus?

R. Ordinarios locorum, vi decreti diei 20 Februarii 1888 in utroque casu allato dispensare posse, et in utroque pariter S. Congregationem S. Officii de impertita dispensatione certiorem reddere, ac ea interim curare debere quae in eodem decreto praescribuntur. — Sanctissimus approbavit.

S. C. S. Officii 26 Septembris 1754. — Dubia circa dispensationem impedimentorum.

Circa quinque dubia proposita ab Archiepiscopo Turonensi in Gallia, et a S. C. de Propaganda Fide ad S. Officium remissa tenoris videlicet:

1. Henricus Maria de Fleury Archiepiscopus Turonensis in Gallia nullam dispensationem circa impedimenta matrimonium dirimentia concedere potest, nisi ex speciali Sedis Apostolicae indulto, quo ipsi potestas data est dispensandi cum pàuperibus tantum; quaerit an cum iis solis pauperibus dispensare valeat, qui adeo miserabiles existunt, ut labore manuum, et industria tantum vivant.

2. Ex hypothesi, quod cum iis dumtaxat pauperibus dispensare possit, quaeritur an dispensationes huiusmodi ipsis concedere queat pro causis dumtaxat infamantibus, seu inhonestis, etiamsi alii plures Episcopi iisdem circumstantiis easdem dispensationes pro causa qualibet honesta largiantur. Ratio dubitandi, quod Summus ipse Pontifex, a quo specialem hanc facultatem obtinent, nonnisi pro causa inhonesta cum talibus pauperibus ordinario saltem dispensat.

3. Si praefatus Archiepiscopus dispensare valeat pro causa etiam honesta, potestne dispensare pro iis dumtaxat causis honestis pro quibus ipsa dispensat Apostolica Sedes, an pro aliis quoque similibus? Sic exempli causa Summus Pontifex super impedimento consanguinitatis, seu affinitatis, dispensat cum puella quae alii viro propter angustiam loci, vel ob defectum dotis nubere non posset; possetne etiam dictus Archiepiscopus super eodem affinitatis, aut cognationis, sive carnalis sive spiritualis impedimento dispensare cum puella, quae alii viro nonnisi difficulter nubere queat sive ob causas memoratas, sive quia gibbosa est, clauda, vel alias deformis, sive etiam quia aliquis ex ipsius consanguineis in 1, 2 et 3 aut 4 gradu publica infamia per sententiam iudicis notatus fuisset, aut capitali poena damnatus?

4. Debetne Archiepiscopus ab iis quibuscum dispensat pro causa sive turpi, sive honesta exigere non solum easdem causas, sed easdem etiam circumstantias, aut conditiones, quas in similium dispensationum largitione Summus Pontifex exigere solet?

5. Pontificio indulto, quod dictus Archiepiscopus obtinuit, datur ipsi facultas dispensandi in 3 et 4 consanguinitatis vel affinitatis gradu simplici et mixto; potestne vi huius facultatis dispensare in secundo gradu ad tertium?

R. Placuit SSmo D. N., auditis Consultorum et Cardinalium suffragiis, ad quintum dubium rescribere: *Negative;* ad quatuor vero priora *iubere, ut significaretur quomodo Sedes ipsa Apostolica se gerere soleat*

in dispensando cum pauperibus circa impedimenta matrimonium dirimentia. Tuum enim erit, ut ipse SS̃mus D. N. addidit, his iisdem uti regulis, quum delegatus a delegantis moribus et consuetudine, vel tantisper recedere, nec possit, nec debeat. Deinde subiunxit: Sedi Apostolicae ab antiquissimo tempore in more esse non dispensandi in forma pauperum circa tertium et quartum simplicem consanguinitatis, vel affinitatis gradum, nisi vera concurrat paupertas, et aliqua ex causis inferius recensendis.

Vere autem pauperes non utique alii existimantur, quam qui adeo miserabiles sunt, ut labore manuum, et industria tantum vivant; quo fit ut dispensatio in forma pauperum non aliter a Sede Apostolica concedatur quam si de paupertate dispensandorum constet ex proprii Episcopi attestatione, et ea quidem quae exarata est iuxta Decretum Urbani VIII quod nimirum *oratores ita pauperes et miserabiles existant, ut ex suis laboribus et industria tantum vivant.*

Quia tamen illi etiam ita pauperes merito dici possunt, qui aliqua possident bona, hinc non denegatur a S. Sede dispensatio in forma pauperum, etiamsi oratores bona in capitali possideant valoris scutorum 300 monetae romanae, si ipsi citra montes degunt; vel, si ultra montes, valoris ducatorum auri de Camera 300 summam attingentium scutorum 525 dictae monetae. Quod si bona habent ad quantitatem usque scutorum, vel respective ducatorum mille auri de Camera, dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna, quae vulgo dicitur *componenda,* scutorum quatuor pro quolibet centenario; quam SS̃mus memorat et vult vel erogandam esse in subsidium pauperum, vel ipsis dispensandis eleemosynae titulo remittendam, si nihilominus eorum conditione inspecta pauperes esse videantur. Amplius vero possidentibus dispensatio in forma pauperum non conceditur, sed sub altera forma *Ex honestis* quae tamen in facultatibus concessis minime comprehenditur.

Ad causas vero, quod pertinet, ob quas huiusmodi dispensatio in forma pauperum a Sede Apostolica conceditur hae sunt quae sequuntur:

1. Scilicet *ob copulam* sequutam inter matrimonium contrahere volentes.

2. *Ob infamiam,* videlicet quia vir et mulier insimul conversati sunt, carnali tamen copula inter eos minime subsequuta; et nihilominus orta est suspicio, licet falsa, quod se carnaliter cognoverint.

3. *Pro muliere viginti quatuor annorum* et ultra, quae hactenus virum paris conditionis cui nubere posset non invenit.

4. *Ob angustiam loci, seu locorum,* quia nempe vir et mulier in

loco, in quo orti sunt seu in locis, in quibus ipsi orti sunt, etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum angustiam, virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat.

5. *Pro indotata:* ex quo mulier indotata existat, nec habeat rationem unde dotari possit, et vir illam sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem secundum dictae mulieris qualitatem competenter ex integro dotare intendat: apponitur tamen decreto: *Et postquam dicta mulier competenter ex integro dotata fuit, ut praefertur.*

6. *Ob inimicitias:* explicatur haec causa sequentibus verbis: quod cum inter viri et mulieris parentes, consanguineos, vel affines, graves inimicitiae ortae iam sint, et ad praesens vigeant, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter ipsos contrahendi provenientes, et ante illius tractatum exortae; et certum sit, quod si vir, et mulier praefati invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiae hniusmodi omnino componerentur; pro illis igitur componendis ac pro bono pacis cupiunt invicem matrimonialiter copulari.

7. *Pro confirmatione pacis:* Causa haec ita explicatur: quod cum inter virum, et mulierem, nec non eorum parentes, consanguineos vel affines, graves inimicitiae viguerint, aliunde tamen quam ex causa matrimonii inter virum et mulierem praefatos contrahendi provenientes et ante illius tractatum exortae, et licet pax de recenti inita fuerit; nihilominus pro illius confirmatione cupiunt matrimonialiter copulari.

8. *Ob lites:* quia nempe cum inter virum et mulierem, seu eorum parentes graves lites super rebus magni momenti ortae iam sint, et ad praesens vigeant, aliunde tamen quam ex causa matrimonii inter ipsos contrahendi provenientes, ante illius tractatum exortae, et certum sit, quod si vir et mulier praefati invicem copularentur, lites huiusmodi omnino componerentur, pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis cupiunt etc. Hac tamen expressa conditione: *et facta prius litium huiusmodi hinc inde cessione, seu illarum compositione.*

9. *Ob haeresim:* Quod ipsi qui orthodoxae fidei cultores vere existunt, et sub obedientia S. R. E. vivunt, et vivere et mori intendunt, et in illis partibus, in quibus multi adsunt haeretici, non possint singulorum animos explorare, et qui catholicam religionem vere profitentur internoscere, ac propterea ne contingat eos cum haereticis matrimonium contrahere, cupiunt etc., addita tamen clausula: *Et dummodo vir et mulier praefati orthodoxae fidei cultores vere existant, et sub obedientia S. R. E. vivant, vivereque et mori intendant.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NICOTEREN. ET TROPIEN.

DUBII SUPER ORATORIO EPISCOPI

Die 16 Decembris 1893.

Per Summaria Precum.

Labente mense Septembri currentis anni, Episcopus Nicoterensis et Tropiensis insequens dubium pro solutione obtinenda S. C. C. humiliter subiiciebat:

« *An Episcopus, dum extra suam dioecesim degit, tempore a sacris Canonibus concesso, sive in domo propriae familiae, sive in extranea domo, vel in publico contubernio gaudeat, quoad Missam, iisdem iuribus, quibus in Oratorio sui Episcopii, ita ut quilibet sacerdos celebrare queat et christifideles praecepto de audiendo sacro diebus festis satisfaciant.* »

Disceptatio Synoptica

Recolendum in primis videtur indultum fuisse Episcopis ex *Cap. XII De Privilegiis in VI,* « ut altare possint habere viaticum et in eo celebrare ac facere celebrare ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina. » Huic autem privilegio neque per disposita a S. Synodo Tridentina *Sess. XXII decr. de observ. et evit. in celebr. Mis.,* neque per decretum a Paulo V anno 1615 latum deregatum esse, monet cl. Monacelli *Form. leg. pract. parte 2, pag. 38, Edit. Rom. 1844,* qui praeterea haec addit: « Imo habet Oratorium illud privilegium oratorii publici: nam interessentes, etiamsi extranei sint, quando Episcopi inibi celebrant, tam in dioecesi, quam extra, satisfaciunt praecepto ecclesiae de audienda missa diebus festis, ut respondit *Sac. Cong. Conc. 22 Sept. 1640 in Nullius lib. 16 Decr. p. 421, et praecedenter 17 Augusti 1630 provinciae Lombardiae lib. 14*

Decr. pag. 318; in Matheranen. 6 Augusti 1616, lib. 37, pag. 147; etiamsi sit Episcopus titularis, *ead. Congregat. in Valentina 1616,* quia, ut inquit divus Hieronymus scribens Evagrio, « ubicumque fuerit Episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotii »; verum est tamen, quod hoc privilegio uti non possunt extra domum propriae habitationis, ut ad tollendos abusus declaravit *ead. Sac. Congregatio 15 Decembris 1703,* quod decretum typis impressum et publicatum SS. D. N. Clemens XI approbavit. Attamen Emus D'Annibale *Summ. Theol. Mor. part. 3, l. 1, tract. 1, n. 3 (11)* postquam docuerit oratoria Episcoporum etiam sede vacua, aut Praesule absente, tamquam publica esse habenda, haec observat: « Verum Episcopos hic accipere debemus non titulares in partibus *(Gattic. XVII 15, Gardell. n. 4547):* domus autem, non quas utcumque habitant, ut puta in agro rusticandi causa, sed aedes in quibus sive in ipsa urbe episcopali, sive extra habitualiter resident: » atque idcirco addit *(16)* praecepto missae audiendae diebus festis, in oratoriis Episcoporum titularium fideles haud satisfacere.

Sed missis Doctorum auctoritatibus, quae plures adhuc allegari possent quin tamen quaestionis decisio inde efflueret, referendae potius videntur S. C. C. resolutiones, prout ex libris Decretorum diligenter evolutis, transcriptae fuerunt. Ac in primis, ut praeteream *Matheranen. 6 Augusti 1616,* et *Valentinam 30 Maii* eiusdem anni, quae nullimode ad rem faciunt, occurrit declaratio edita die 17 Augusti 1630, qua S. C. respondit Praesulibus provinciae ecclesiasticae Mediolanensis: « Episcopos oratores quocumque tempore uti posse *cap. fin. de priv. in VI.* » Praeterea die 22 Septembris 1640 cum proposita fuissent dubia: « 1. An ex Decreto S. C. Tridentini *De obs. et vit. etc.,* ex decreto s. m. Pauli V. *De privatis oratoriis,* sit in aliquo derogatum privilegio Episcopis concesso in *Cap. fin. de priv. in VI.* – 2. An interessentes, etiam si extranei, quando Episcopus celebrat seu

celebrare facit in huiusmodi privatis oratoriis, tam in Dioecesi, quam extra satisfaciant praecepto Ecclesiae de audienda missa: » S. C. rescribendum censuit: « Ad I. *Privilegio Episcoporum ut supra concesso in cap. fin. de priv. in VI non fuisse derogatum a S. C. Tridentini, nec a decreto s. m. Pauli V super oratoriis privatis.* Ad II. *Omnes interessentes satisfacere praecepto missae diebus festis.* » Rem tamen conficit Decretum a S. C. C. latum die 15 Decembris 1703 et dein s. m. Clementis XIV approbatione roboratum. In eo enim EE. PP. animadvertebant, plures abusus hac in re, operâ nonnullorum Episcoporum, praesertim in regno Neapolitano et in ipsa Neapolis civitate, irrepsisse; « siquidem nonnulli Episcopi etiam in aliena dioecesi et extra domum propriae habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum aut plures ex suis cappellanis vivificam Christi hostiam immolare etc. » Quibus abusibus occurrere volentes expresse declaraverunt: « Episcopis et his maioribus Praelatis, etiamsi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore iuris, neque alio quocumque titulo ullo modo licere extra domum propriae habitationis in domibus laicis, etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in alia, etiamsi dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare seu celebrari facere etc. »

Tandem commemoranda etiam videntur, quae leguntur apud Gardellini *Decret. Aut. C. SS. RR. v. 3, pag. 108 et seq. edit. tertiae,* quae licet circa Episcopos mere titulares versentur, nihilominus et Episcopi extra dioecesim degentibus aliquomodo possunt aptari: – ibi – « Quum non una eademque sit auctorum omnino sententia de privilegiis, quibus Episcopi titulares praesertim gaudent relate ad missae celebrationem, dum in propria vel aliena Dioecesi peragantur, ad quascumque eliminandi dubitationes, sequentia dubia in ordinario conventu Sac. Rit. diei 22 Augusti 1818 Emis et Rmis Patribus enucleanda proposita sunt, nimirum: « 1.° Se un Vescovo titolare possa, senza uno speciale Rescritto eri-

gere l'altare ovunque egli voglia, ancorchè nella casa di sua abitazione esista già una cappella per uso de' suoi parenti? 2.° Se possa, oltre la sua messa, far celebrare altre messe? 3.° Se detta messa o messe valgano in adempimento del precetto anche ai suoi parenti seco abitanti ed alle persone non solo addette al suo servizio, ancorchè non necessarie nell'atto della messa, ma anche di servizio di detti suoi parenti seco abitanti? 4.° Se possa celebrare e far celebrare nei giorni soliti eccettuarsi nell'Apostolico indulto? 5.° Se nel caso che i suoi parenti, i quali già godono dell'Oratorio privato, avessero fatto celebrare la messa, possa il Vescovo farne celebrare un'altra oltre la sua? » S. RR. C. respondendum censuit: Ad I. *Affirmative*. Verum consulendum SSmo pro extensione privilegii, videlicet quod Episcopi, in casibus a iure permissis, hospitantes domi vel parentum vel extraneorum, qui gaudent Indulto oratorii, possint et valeant in eodem celebrare vel celebrare facere, loco et vice arae portatilis, quod tantum extra propriam dioecesim indulget Bonifacius VIII *Cap. Quod. Episcopi de priv. in* 6.°, servata in reliquis forma decreti Clementis XI, iuxta tamen posteriores declarationes s. m. Innocentii XIII et Conc. Rom. sub Benedicto XIII *cap. 15, num. 3*. Ad II. *Negative*. Verum consulendum SSmo pro extensione privilegiorum quoad unicam missam, quam, propria celebrata, Episcopi solent audire. Ad III. *Affirmative* quoad familiares dumtaxat, eidem Episcopo actu necessarios, negative quoad reliquos. Ad IV. *Affirmative*. Ad V. Iam provisum in primo et secundo. Facta autem relatione (die 25 Augusti 1818), Sanctitas Sua approbavit, et extensionem privilegii, ut in responsione ad primum et secundum ex propositis dubiis indulsit, contrariis non obstantibus. »

Quibus enucleatis, quaesitum fuit quid esset dubio proposito respondendum.

Resolutio Sacra C. Concilii re cognita sub die 16 Decembris 1893 sensuit respondere: *Detur Decretum S. Rituum Congregationis diei 22 Augusti 1818*.

En dictum decretum in commodum lectorum.

Dubia de Episcopis titularibus. Quum non una eademque sit auctorum omnino sententia de privilegiis, quibus Episcopi titulares praesertim gaudent relate ad missae celebrationem, dum in propria vel aliena Dioecesi peragrantur; ad quascumque eliminandas dubitationes, sequentia dubia in ordinario conventu Sac. Rit. diei 22 Augusti labentis Eñis et Rñis Patribus enucleanda proposita sunt nimirum:

I. An Episcopus titularis possit, absque speciali rescripto, erigere altare, quocumque is pergat, quamvis in domo suae habitationis existat oratorium pro commodo eius parentum.

II. An possit, praeter suam missam, celebrare facere alias Missas.

III. An praedicta missa, aut missae valeant pro satisfactione praecepti etiam pro illius coniunctis, secum morantibus, et pro personis eius famulatui addictis, quamvis non necessariis actu missae, aut addictis famulatui eius coniunctorum secum morantium.

IV. An celebrare aut celebrare facere valeat diebus de more exceptis in Apostolico Indulto.

V. An casu, quo eius parentes, qui iam privilegio Oratorii privati fruantur, celebrare missam fecissent, valeat Episcopus celebrare facere aliam missam, praeter suam.

Sacra eadem Rituum Congr., audito prius altero ex caeremoniarum Apostolicarum Magistris, qui suam scripto sententiam pandidit, typisque evulgavit, referente Eño et Revño Domino Cardinali Matthaeio, loco Em. et Rñi Domini Cardinalis Iulii Mariae de Somalia Praefecti, et Ponentis absentis, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.* Verum Consulendum Sanctissimo pro extensione privilegii, videlicet, quod Episcopi in casibus a iure permissis, hospitantes domi vel Parentum, vel Extraneorum, qui gaudent Indulto Oratorii domestici, possint, et valeant in eodem celebrare vel celebrare facere loco et vice Arae portatilis, quam tantum extra propriam Dioecesim in-

dulget Bonifacius VIII cap. *Quoniam Episcopi, De Privilegiis* in 6, servata in reliquis forma Decreti s. m. Clementis XI, iuxta tamen posteriores declarationes s. m. Innocentii XIII, et Concilii Romani sub Benedicto XIII, cap. 15, num. 3.

Ad II. *Negative;* verum consulendum Sanctissimo pro extensione Privilegiorum quoad unicam Missam quam, propria celebrata, Episcopi solent audire.

Ad III. *Affirmative* quoad familiares dumtaxat eidem Episcopo actu necessarios; *Negative* quoad reliquos.

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. Iam provisum in primo atque secundo. Die 22 Augusti 1818.

Facta autem relatione de praemissis SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. M., Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit, confirmavit, et extensionem Privilegii ut in responsione ad primum et secundum ex propositis dubiis indulsit, contrariis non obstantibus. Die 25 eiusdem mensis et anni.

CONGREGATIONIS PASSIONIS D. N. I. C.

DUBII QUOAD MISSARUM CELEBRATIONEM.

Die 16 Decembris 1893.

Sess. 22 Decr. De observ. et evit. etc.

Compendium facti. R. P. Ioannes a Iesu, Congregationis SS. Crucis et Passionis Domini Nostri I. C. Procurator Generalis mense Septembris, proxime elapsi, proposuit relate ad Missarum celebrationem, duo dubia in calce relata.

Disceptatio Synoptica.

Votum Consultoris. Urbanus VIII, ut Missarum onera diligenter atque fideliter adimplerentur, huic S. C. C. potestatem concessit decreta edendi, quae revera prodierunt, ut inconveniens quod iuste lamentabatur, propulsaret. Finem sanctissimum haud obtinuisse constat, eo quia humana malitia, effugia facillime invenit, quibus a lege lata implenda exemptionem procurat. Id autem evenisse scimus, cum Innocentius XII novam Constitutionem promulgare coactus fuerit, quae incipit *Nuper*, data an. 1697, qua renovans Urbani VIII decreta, novo firmavit robore, quibus alia adiecit, ut faciliori modo finem optatissimum obtineret. In qua Constitutione, plura dicuntur, quae ad Episcopos pertinent, Ecclesiarumque Rectores, eosque ad onus satisfaciendum impellunt: Regularibus autem stricte praecipitur, ut de celebratione peracta Missarum, in Capitulis Provincialibus attestatio sit exhibenda ab omnibus sacerdotibus Conventus vel Monasterii *subscripta atque iurata*. Quod si haec attestatio desit, *quicunque superiores locales, ... vocem activam seu passivam in memoratis capitulis, seu congregationibus omnino habere non valeant*. Porro attestationem hanc *ex oblivione* fuisse omissam asseritur in postulato huic S. Congregat. proposito: quae omissio novo dubio aperit viam. Nam eo ipso quo ad suffragium ferendum fuit admissus, qui illam atte-

stationem omisit, oritur dubium, an Capitulum provinciale celebratum extra Italiam et insulas adiacentes validum sit an invalidum.

RESOLUTIO PRIMA

Constitutio *Nuper* non solum afficit Italiam et insulas adiacentes, sed etiam alias regiones.

Ut clariori quo possum modo procedam, praemitto Constitutionem Innocentianam duas comprehendere partes: alteram quae Missarum celebrationem exacte atque fideliter implendam esse imponit: alteram, quae motivum attingit causamque revelat, cur satisfactio illa aut non impletur, aut aliquando plus aequo differtur. Inculcat primam, et poenas minatur transgressoribus huius strictissimae obligationis: removet secundam, prohibens conventuum erectionem, qui saltem duodecim religiosos commode alere nequeant; et quoad iam erectos, numerus debet esse proportionatus redditibus monasterii. Et quidem si de hac secunda parte agatur, certo certius Decretum Urbani VIII, ab Innocentio XII confirmatum, ad exteras nationes extenditur, ceu declaravit ipsa Congregatio Concilii in R. ad ultimum dubium. Sed an etiam prima quae agit de celebratione Missarum, eamque omni modo inculcat, etiam poenas adiiciens, ut negligentes excitet ad hoc onus implendum, heic perscrutari debemus, quia huic puncto tota vis dubii innititur.

Iamvero, nemo ibit inficias Constitutionem Apostolicam ad omnes omnino nationes extendi, quando universaliter loquitur, nec ullum in eadem verbum occurrit, quod restrictionem insinuet, nosque ad arguendum inducat ad Italiam Insulasque adiacentes unice coarctari. Ut enim hos limites admittamus, in ipsa constitutione desiderantur notati atque expressi: alias quonam modo arguimus Pontificis intentionem, qua unum locum prae alio voluit coarctare, cum verba restrictiva non sint, et ab ea potestate promantur, quae nullum agnoscit limitem, et ad omnia loca extenditur? Hoc autem constat etiam ex consuetudine Apostolicae Sedis, qua

ut dubium omne removeat, loca specialia adnotare consuescit, quae obligare intendit, ut alia ab obligatione imposita, loco determinato, tacite eximat. Ipsa Decreta Urbani VIII ab Innocentio XII renovata exemplum evidentissimum exhibent. In iis enim praescribitur quot religiosi Conventum vel Monasterium debeant habitare: quae praescriptio prius afficiebat tantum Italiam et Insulas adiacentes, quae postea ex nova declaratione, ad exteras nationes fuit extensa. Ast nova haec declaratio necessaria non erat, si in decreto prius edito universalis locutio occurreret, non restrictiva. Nulla ergo restrictio, nullaque coarctatio est agnoscenda in Constitutionibus Apostolicis, nisi expressa sit: et consequenter quaevis Constitutio universaliter lata praesumitur, et omnes omnino adstringit, quoties restrictio illa non legitur, sed desideratur. Porro ut legenti fit palam, nulla expressio occurrit, nullumque legitur verbum in Constitutione Innocentiana de celebratione Missarum, quae Italiam Insulasque adiacentes tantummodo afficere velit, alias vero nationes eximere. Hoc in loco valet illud adagium, *legislator quod voluit expressit, quod noluit non expressit.* Si voluisset, profecto verbum restrictivum occurreret, quod ita non est. Quid ergo? Si universaliter loquitur, omnes voluit obligare, nullum eximere.

Argumento allato sequens adiicere liceat, quod alicuius roboris esse mihi videtur. Decretum Urbani VIII *Cum saepe* et Constitutio *Nuper* illud decretum renovans, novoque robore firmans, *tantae gravitatis sunt, ut in hac materia Episcoporum oculis obversari continuo debeant: nihil enim in illis occurrit, quod leve sit, et veluti inutile praeteriri possit.* (Lucidi De Visit. SS. L. 1. p. pag. 394). Etenim ordinantur ad removendum incommodum, quod gravissimum esse nemo negare potest, et duo decreta verbis apertissimis confitentur. Neque enim duo Pontifices decreta edidissent de celebratione Missarum, poenas gravissimas comminando in eos qui huic oneri satisfacere negligunt, si de levi re ageretur. Porro incommodum ad quod eliminandum uterque Pontifex adlaboravit, afficiebatne, unam Italiam et Insulas

adiacentes? ita ut exterae nationes forent et considerarentur huius defectus immunes? Atqui non puto a veritate alienum asserere inconveniens quod uterque Pontifex lamentabatur, penes omnes nationes uno aut alio modo fuisse invectum. Ideoque si quis vellet Constitutionem Innocentianam uni Italiae Insulisque adiacentibus fuisse arctatam, consequens inevitabile esset, Pontificem non prospexisse satisfactioni huius obligationis, ea sedulitate, diligentia, amplitudine respondentibus incommodo sat propagato. Interim satisfactio illa, Pontificis maxime cordi erat, eamque in sua Constitutione severe considerat. Cur enim tanto calore, tantaque vi satisfactionem inculcavisset, renovans Praedecessoris sui Decreta, si malo deplorato viam reliquisset apertam ut perseveraret, et quidem cum scandalo populi christiani? Ne ergo frustra adlaboravisse affirmemus, ad memoriam revocans adeo strictam obligationem dubio procul sapientissimus Pontifex ad defectum efficaciter dissipandum, ubique inductum ac praevalentem, Constitutionem *Nuper* promulgare curavit, quae proinde non obligat solum Italiam, et Insulas adiacentes, verum etiam alias nationes. Defectus, quem Innocentius in sua Constitutione deplorat, diu perseveravit, et decreta duorum Pontificum non fuisse executioni mandata, coniicio ex schemate consultoribus theologis Concilii Vaticani proposito, cuius praeambulum est: « Etsi felicis recordationis Urbanus VIII et Innocentius XII. . . . . plura Decreta de celebratione Missarum religiose curanda ediderint, tamen lamentari cogimur, optima ab iisdem suscepta consilia, ad speratum exitum generatim haud fuisse perducta, atque idcirco pia Missarum onera. . . . . non ea qua par est fide ac diligentia ubique adimpleri. » Et in adnotationibus legitur « quia tamen quae in iisdem Decretis salubriter sancita fuerunt non ubique locorum diligenter servantur, inde necessitas conciliare edendi Decretum, quod huic malo aptum, et quoad eius fieri possit, remedium afferatur. » Decreta utriusque Pontificis considerantur hic ut obligatoria ubique locorum. In schemate autem nullum invenitur verbum, quod indicet citata decreta in lo-

cis particularibus obligationem inducere, et non ubique extendi. Immo nullum legitur verbum de extensione concedenda utrique Constitutioni, ideo quia utraque ubique promulgata censetur, et universaliter obligans. Quod si necessarium et opportunum visum est promovere conciliare Decretum, id non est adscribendum legi iam latae, sed ubique locorum non promulgatae, et minime obliganti, sed ut eiusdem legis vis obligationem inducens, modo splendidiore elucesceret, nec ullus amplius esset tergiversandi locus, et legem obligantem eludendi tergiversationibus consuetis.

Haec generatim probant Constitutionem Innocentianam ubique locorum fuisse extensam. Propius nunc accedens ad propositum dubium, consideranda est relate ad Congregationem, quae huic dubio occasionem praebuit. Bullam Innocentianam a Congregatione piissima ubique locorum observari non dubito, prout observatur in omnibus Provinciis etiam extra Italiam ab aliis Ordinibus religiosis. Uniformitas enim Ordini religioso maxime convenit: quam uniformitatem ab ea quae observantissima est, et legum S. Sedis fidelissima custos, esse neglectam, asserere non possum. Si ab aliis Ordinibus religiosis Bulla Innocentiana diligenter executioni mandatur, ab hoc laudabili more nefas est Congregationem observantissimam iudicare alienam. Idque insuper non animo effingo, sed ex facto desumo, scilicet ex dubio a Rmo Procuratore Generali proposito, quod insinuat consuetudinem inibi introductam, et Bullam Innocentianam fideliter observatam, quod promulgationi etiam non factae aequivalet.

At dicet aliquis, haec praxis vim ne legis habebit? Seu melius ipsamet Constitutio considerabitur ut promulgata? Dubio procul. Neque id mirum esse debet, aut redolet aliquid novi, quoties, consuetudo inducta, est iuxta legem, seu legi conformis. Tunc enim consuetudo applicat legem, et quisque facili negotio concedit, vim legis habere, ac si in loco ubi observatur, lex fuisset extensa. Norunt omnes caput *Tametsi* obligationem inducere, ubi promulgatum est tempore statuto a Tridentino Concilio; veruntamen si aliquo

in loco ex consuetudine observatur, habebitur ut promulgatum, ceu frequentissime Congregatio Concilii determinavit atque sancivit. Quid ergo prohibet, quominus dispositio illa in casu proposito verificetur, eo magis quia Concilium tot adiuncta optavit ut caput *Tametsi* obligationem induceret, quae pro aliis legibus non sunt necessaria? Unde aut Constitutio Innocentiana inter leges est recensita quae Congregationem piissimam moderantur, aut saltem fuit semper practice observata.

RESOLUTIO SECUNDA

Capitulum Provinciale ob suffragium latum ab eo qui privabatur voce activa et passiva non *absolute* sed ex adiunctis decernendum est validum vel invalidum.

Si Constitutio Innocentiana etiam nationes exteras afficit, videndum nunc est, an Capitulum Provinciale, cui interfuit vocalis quidam, qui attestationem de peracta celebratione Missarum exhibere omisit, licet ex oblivione, validum fuerit, vel invalidum. Et quidem Constitutio laudata privat voce activa et passiva omnes, dictam attestationem non exhibentes, et puto, quovis modo haec omissio evenerit; sive ex oblivione, sive ex mala fide, seu malitiose. In ea enim legitur: *quicunque superiores locales. . . . . vocem activam seu passivam in memoratis capitulis, seu congregationibus omnino habere non valeant.* Privantur itaque *primo,* ipso iure, utraque voce, et inhabiles declarantur ita ut nec ferre suffragium, nec eligi possunt. Vox enim *omnino* eamdem habet significationem, ac alia *ipso iure, ipso facto absque ulla declaratione. Lex enim poenarum protinus inflictiva quae solet exprimi et declarari per has particulas eo ipso.... modo aequipollenti exprimitur per adverbia, omnino, penitus, statim.* (Donati Laynensis Rerum Reg. praxis resolutoria Tract. I. qu. 33, num. 4). Privantur itaque utraque voce apertissimis verbis, neque ullus remanet effugii locus.

Neque *secundo* ab hac privatione excusat oblivio, tum quia exceptio haec in Constitutione non legitur, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: tum quia

agitur hic de inhabilitate et privatione contracta ob conditionem executioni nullo modo mandatam, et inhabilitas atque privatio singulari modo suum sortitur effectum, seu melius ut habeat locum, sat est si requisita conditio desideretur. Quae si etiam sine culpa omittitur, privatio contrahitur quemadmodum irregularitatem verificari decernitur nullo occurrente delicto, nullaque culpa ex parte subiecti, quando simplex et unus defectus occurrit. Consequenter in proposito dubio, vocalis ille ad suffragium ferendum inhabilis erat, quia quovis modo evenerit illa omissio, sive ex dolo, sive ex oblivione, certum est conditionem non fuisse impletam, et ex hoc defectu etiam inculpabili, ille privabatur voce activa atque passiva.

Neque *tertio* ab hac privatione utriusque vocis eximebatur, eo quod omissa fuerit declaratoria sententia, cum nemine reclamante, aut contradicente, ad Provincialis electionem suffragium dederit, ac si habilis esset. Quamvis enim Doctores magna contentione decertent, an necessaria sit sententia criminis declaratoria, quorum alii essentialiter requisitam affirmant, alii negant, simplex distinctio utramque sententiam veram et falsam declarat sub diverso respectu. Alia enim est privatio iuris iam acquisiti, alia inhabilitas simplex. Prima ius adimit iam acquisitum atque possessum, secunda removet ab exercitio iuris. Unde melioris notae doctores edicunt ordinarie loquendo, legem quae poenam ipso iure, ipso facto infligit, suum sortiri effectum, statim ac sententia criminis declaratoria manifestatur, quia nemo licet reus sit, tenetur poenam sibi infligere quamvis levissimam. Excipitur tamen *nisi eiusmodi lex consistat in privatione ita ut faciat aliquem inhabilem*. Ita Leurenius p. I, q. 389, num. 3. Sententia ergo declaratoria aut criminis aut omissionis necessaria omnino est et essentialiter requisita cum agitur de privatione iuris iam acquisiti, non de simplici inhabilitate. Idque fidenter affirmo ratione principii iam positi, quia ad inhabilitatem contrahendam non occurrit incommodum, quod ab omnibus reprobatur tamquam absurdum, et iuri

naturae repugnans, scilicet reum ad poenam sibimet infligendam impelli, sed sat est aut positio actus, aut conditionis omissio.

Cum autem privatio vocis activae et passivae diversa omnino ratione procedat, variaque sit inhabilitas quae inde oritur, evenit ut exercitium vocis activae, ab eo peractum, qui inhabilis est, non vulneret totum actum, nec in omni casu invalidum reddat, quod alias validum esse potest, ut mox affirmabimus: e contra dicendum est de eo, qui voce passiva laborat, et ad dignitatem consequendam ipso iure inhabilis declaratur. Qui enim omnino inhabilis est inhabilitate passiva, nunquam eligi potest, quemadmodum materia quae declaratur inepta, apta fieri nequit.

Ex his facili negotio deciditur, an illud capitulum Provinciale validum fuerit an invalidum. Distinctio heic facienda est. Aut ille qui voce activa et passiva privabatur, electus est Provincialis, aut solummodo suffragium dedit, et ad alium eligendum concurrit. Si primum ex principiis supra notatis electio invalida omnino erit, sicut invalidi declarandi sunt omnes actus ex illa electione prodeuntes. Electio quidem ex defectu attestationis, quae a Bulla Innocentiana requiritur, ceteri actus, quia vitium primae electionis refunditur in minores: Pitoni Disc. XCIV, num. 27. Si secundum, idest si non fuit electus, sed suffragio ad alterius electionem concurrit, tunc utor prudenti animadversione Pitonii discept. CV, n. 49. *Electio tunc cassanda erit propter incertitudinem, an vocalis illegitimus suffragatus fuerit electo per maiorem partem, vel potius alteri per minorem electo, non vero si fuisset electus ex numero sufficienti vocalium habilium.* Id autem etiamsi suffragia secreto deposita fuerint, certo constare potest, ut ibidem adnotat Pitonius. Si enim quis fuit electus cum uno superfluo supra maiorem partem ex. gr. ex viginti vocalibus duodecim suffragia reportavit, uno dempto adhuc fuisset electus sat patet, quia suffragium supra maiorem partem esset superabundans. Contra est si vocales legitimi non essent sufficientes ad electionem, et vota dis-

persa dubium inveherent, an electus illud votum supra medietatem obtinuerit ab uno ex legitimis suffragatoribus, an ab inhabili. In primo casu inhabilitas unius totum actum invalidare non potest, quia utile per inutile non vitiatur. In secundo casu suffragium illud de cuius legitimitate dubitatur, totam maculat votationem, redditque nullam, quae proinde aut renovanda est, aut a legitima auctoritate sananda.

Ita respondendum censeo dubium proponenti de validitate capituli Provincialis.

Quibus animadversis proposita fuerunt enodanda

Dubia

I. *An Decreta super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi etc. emanata a S. Congregatione S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, et inserta ab Innocentio PP. XII in sua Constitutione diei 23 Dec. an 1697 quae incipit « Nuper » obligent, cum poenis in iisdem Decretis contentis, non solum in Italia, et insulis adiacentibus, sed etiam in aliis regionibus in casu* (1).

(1) En ex dicta Constit. id quod ad rem facit:

I. Ac primo districte prohibet atque interdicit ne episcopi in diocesana synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

II. Deinde, ubi pro pluribus missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua et exigua, sive ab uno, sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus ac locis piis quibuscumque, tam secularibus quam regularibus, sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat et praecipit, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent, et ad restitutionem tenentur.

III. Id vero, ut deinde observetur exactius, sacra Congregatio eâdem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis ac locis piis saecularibus quam regularibus cuiuscumque ordinis, Congregationis et instituti, quancumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum vel anniversario-

II. *An haberi debeat legitime celebratum Capitulum Provinciale extra Italiam, cui interfuit cum voce activa et passiva, quidam Superior localis, qui ob meram oblivionem, prout ipse ait, secum non detulerat attestationem ab omnibus Sacerdotibus sui Recessus subscriptam, et iuratam de Missarum onerum integra satisfactione in casu* (1).

Resolutio. Sacra C. Concilii re cognita sub die 16 Decembris 1893 censuit respondere:

Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Pro gratia sanationis ad cautelam*.

Ex quibus colliges: Ubique obligare decreta super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi seu reducendi etc. emanata a S. C. Concilii, et inserta ab Innocentio XII in sua Constitutione *Nuper*.

rum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

IV. Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

(1) Curent propterea praefati superiores regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte etiam per inquisitionem animadvertere; et insuper teneantur omnes et singuli superiores locales in provincialibus capitulis seu congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii seu cuiuscumque domus regularis subscriptam et iuratam, quod omnibus et singulis tum perpetuis, tum manualibus missarum oneribus seu obligationibus, ad limites et tenorem praesentium decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam huiusmodi residuali implemento missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adiecta et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis capitulis seu congregationibus omnino habere non valeant.

BARCINONEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 6 Maii et 16 Decembris 1893.

Sess. 21 c. 5 De reform. matr.

Compendium facti. Emmanuel Dorda y Olivella, Barcinonensis origine, anno 1881 studiis operam navans, a quatuor et amplius annis Graciae morabatur in domo Rosendi de Puiguriguer y Par. Huic postremo erat filia Carmela nomine, cuius amore ita exarsit adolescens, ut ex indebito contubernio illegitimos tres ex ea procreaverit filios, quorum duo mares patri praemortui sunt, femina vero adhuc superest.

Emmanuel interim in gravem morbum incidit, et parochum paroeciae suae, Iosephum Gatell advocari oportuit, ut aegro sacramenta administraret. Hic infirmum paratissimum ad sacramenta suscipienda et matrimonium contrahendum, ut bonae famae honorique Carmelae et filiae consuleret, invenit. At ob instantissimum mortis periculum, quum tempus deesset ad consuetas formalitates adimplendas et testium declarationes scriptas accipiendas, parochus animadvertens contrahentes omnia requisita necessaria ad matrimonium contrahendum habere et utrumque ad suam paroeciam pertinere; mulierem insuper frui paterno consensu, pro sponso autem haberi non posse, cum eius pater iam mortuus esset et mater abesset; certior factus, praesertim a sponsae patre, contrahentes nullo consanguinitatis gradu ligatos esse, coram testibus matrimonium celebravit. Administratis postea morienti poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis sacramentis parochus sine mora processit ad descriptionem actus, mittendi ad auctoritatem pro approbatione. Sed admiratus ob paritatem cognomenti paterni contrahentis, et materni ex avo paterno sponsae, coactus est denuo requirere num consanguinitas inter contrahentes existeret, sed semper ei responsum est, non esse consanguineos in gradu quo nuptiae prohibitae sunt.

Parochus Gatell institit dicens, matrimonium nullum fore si inter sponsos extaret consanguinitas, dum ad nullitatem vitandam, poterat illico Vicarius generalis pro dispensatione rogari. Tunc exhibita est ei arbor genealogica familiae Puiguriguer, ac ex eius inspectione et ex enarrationibus, quae tunc ei, pro documentorum defectu circa familiam viri contrahentis relatae sunt, parocho arguendum fuit avum paternum sponsi et avum sponsae consobrinos extitisse, proindeque contrahentes esse consanguineos in quarto gradu in linea aequali.

Sine mora parochus cum sponsae patre ad Vicarium generalem pro dispensatione recurrit, eâque obtenta, iterum ad infirmum convolavit, ut matrimonium convalidare posset, at eum invenit viribus ita destitutum, et morti proximum, ut ne verbum quidem ad consensum renovandum proferre posset. Tunc prosequitur Parochus, pluries expertus sum eum appellare in sui agonis lethargo, ut intelligeret necessitatem promendi consensum; et si obtinere valui ut patiens interdum oculos ad me converteret, ita ut argui posset rem intellexisse, haud mihi satisfecisse tamen censui. Studui etiam ut comprehenderet satis esse si manus sponsae porrigeret, quatenus loqui nequiret. Tunc meus coadiutor voce elatiori appellavit; sed nil aliud elicuit quam suspirium; ex quo forsan colligi poterat taliter consensum praebuisse, aut tantum motum convulsum emisisse, partum gravissimi status aegrotantis, qui post tres aut quatuor horas obiit diem supremum.

Praeterea post Emmanuelis mortem, novis inquisitionibus peractis, enituit illius avum, fratrem fuisse proaviae Carmelae, ac idcirco impedimentum esse quidem quartum consanguinitatis gradum, sed in linea inaequali.

Vicarius generalis Barcinonensis, interrogatus utrum in concedenda parocho Gatell dispensatione, intentionem habuisset eam concedendi pro quarto gradu exclusive, et quaenam sit eius intentio generatim in dispensando in iis adiunctis, respondit: sese intellexisse dispensare super quarto consanguinitatis gradu, et non aliter.

Mater defuncti, quae semper, eo vivente, matrimonio obstiterat illudque impedierat, etiam post eius mortem non acquievit, et die duodecima Iulii eiusdem anni 1881 in curiae episcopalis Barcinonensis tribunali iudicium intentavit pro invaliditate matrimonii contracti in articulo mortis Emmanuelem Dorda inter et Carmelam Puiguriguer.

Huius igitur quaestionis discussio instituta in Curia Barcinonensi, rite interrogatis partibus ac pluribus in utramque partem testibus auditis, definita fuit die 21 Iunii 1883 quae nullum declaravit praedictum matrimonium. Ab hac sententia Carmela vinculique defensor provocarunt ad tribunal metropolitanum Tarraconense, quod die 24 Decembris 1885 simpliciter sententiam appellatam confirmavit.

Delata causa in tertia instantia ad tribunal Nuntiaturae Apostolicae Matritensis, exhibitis, uti mos est, actibus Rotae, auditores primi *turni* die 27 Iunii 1887 sententias curiarum Barcinonae et Tarraconae revocarunt, et matrimonium validum decreverunt. Haec sententia in secundo *turno* denuo fuit confirmata, et nova appellatione interposita, *turnus* quinque auditorum die 7 Iulii 1891 duas Rotae sententias approbavit, et suam sententiam executoriam decrevit. Hae tres Rotae sententiae emissae sunt unanimi consensu, praeter ultimam, in qua unus tantum e quinque auditoribus dissensit, quamvis iam in decisione primi *turni* pro matrimonii validitate vovisset.

Rosa Olivella non se subiecit, sed habito adversus has sententias recursu ad Sacram Congr. scriptum fuit die 4 Novembris 1891 pro informatione et voto Apostolico Nuntio, qui retulit sese censere recursum admittendum non fuisse.

Disceptatio Synoptica.

Pro invaliditate matrimonii. Qui actricis iura tuenda suscepit, in principio suae orationis ad examen revocat quaestionem de contrahentium bona fide a postrema matritensi sententia duplici ex causa ultro admissa, videlicet 1. attenta

morientis dispositione sese Deo reconciliandi, et 2. ratione habita responsionum Carmelae eiusque parentum existentiam canonici impedimenti, quod tunc facile dispensari poterat, denegantium. Porro his indirecte reponi posse ait Divinae Sapientiae oraculo : « adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea – Qualis vita finis ita, » quum anteacta Emmanuelis vita et agendi ratio pro animi recta dispositione haud deponat. Ast data etiam poenitentia, non exinde tamen fluere censet suipsius conditionem et consanguinitatis gradum Emanuelem ignorasse.

Directam praeterea responsionem suppeditari adnotat a testium dictis, quae ignorantiam consanguinitatis et praetensam bonam fidem proin excludunt.

Quibus attentis testium declarationibus, vel ipsam bonae fidei speciem exulare contendit.

Neque haec satis. Memorat enim orator ipsam Carmelam interrogatam respondisse : sibi notum esse Dordam ligari remota coniunctione cum suo patre; quod et ipse firmavit. Iamvero huiusmodi responsiones studiose et ad propriae malitiae excusationem expiscandam datae patrono videntur. Siquidem ratiocinatur : cum constet neminem ex interesse habentibus ignorasse unquam, aliquo consanguinitatis gradu contrahentes inter se fuisse coniunctos, nec admitti potest gradum ipsum consanguinitatis eorum mentem effugisse, utpote quia non de indoctis agitur personis, sed de civibus, queis nullum deficiebat scientiae medium relatae saltem ad eorum consanguinitatem.

Ad secundam orationis suae partem deinde accedens patronus, observat duplicem sibi quaestionem offerri, videlicet 1. an Episcopus seu eius Vicarius generalis rite subdelegatus potestate polleat, datis peculiaribus circumstantiis, dispensandi ab impedimento quarti tantum gradus, vel potius dispensare etiam valide possit ab impedimento tertii cum quarto gradu consanguinitatis, et 2. an dispensatio de qua agitur revera in casu a Vicario generali fuerit concessa. Quoad primam, quae iuris controversia est, brevitatis ergo hoc tan-

tum animadvertit exceptiones stricte et rigorose interpretandas esse, ideoque facultatem dispensandi a quarto ad superiorem gradum (quod legis tum verbo tum sensui adiiceret profecto obsisteretque), cum damno alterius extendi non posse.

Relate vero ad quaestionem facti, denegat dispensationem fuisse concessam, idque ex ipsa parochi enarratione aperte deduci contendit.

Ex ea enim manifeste erumpere animadvertit, parochum pro contrahentibus petiisse dispensationem non tertii cum quarto, sed quarti tantum consanguinitatis gradus, et Vicarium generalem ab hoc tantum impedimento dispensasse.

Inepte vero censet a sententia Rotae Matritensis teneri dispensationem a quarti gradus impedimento, secumferre dispensationem gradus immediate praecedentis. Nam quod ius spectat, ait patronus, sententiam huiusmodi absonam admodum a veritate et absurdam esse, secus enim ex. gr. dispensatio consobrinis data, et pro contrahendo matrimonio inter patruum et neptem valere retinenda esset : quod cum iure pugnat profecto. Insuper, subdit, hanc quaestionem otiosam esse, cum res exsclusive sit facti, quod ex Vicarii generalis verbis unice deprehendi debet.

Demum graviorem causae punctum attingens tuetur matrimonium in themate nullum fuisse ex defectu consensus. Etiam hic iuris quaestionem praetereundam autumat, cum scitissimum sit contractum sine consensu nullimode existere posse. Recolit tamen consensum ad matrimonium contrahendum manifestari oportere per verba de praesenti, quod quidem si de muto agatur vel de infirmo, fieri poterit scriptis, signis vel etiam nutu, dummodo tamen omnis ambiguitatis suspicio exulet. Si enim aliquod dubium legitime suboriri possit, contrahentis voluntas praesumpta utique forsan dici posset, non autem manifesta. Et quoniam manifestatio consensus in matrimonio de substantia est, neque illum per praesumptiones aut per iudicia supplere licet, sequitur manifestationem consensus etiam per signa aut per nutus fa-

ctam univoce et non aequivoce voluntatem contrahendi clare, certe et explanate significare debere.

Hisce praemissis, magni momenti fuisse adnotat in re tam gravi, super consensus manifestationem ita inquirere, ut de manifestata voluntate praestitoque consensu tuto iudicaretur. At parochus facta enarrans, ceu superius relatum fuit, de manifestatione consensus ex parte Emmanuelis et ipse haeret anceps.

Haec vero cum ita sint, contendit orator, duplici ex capite nullitatem matrimonii evinci: altero scilicet quia manifestatio voluntatis modo certo, affirmativo, non dubio et non aequivoco amplius non emersit, altero autem quia morientis voluntas in extremo suo agone certantis et iam morte correpturi libera libereque et scienter determinata esse non potuit. Ad primum quod spectat, censet frustra ex praecedenti consensu suspirium illud, de quo superius est sermo, pro nova manifestatione consensus esse retinendum. Etenim cum consanguinitatis impedimentum ignoratum non fuerit ab Emmanuele, qui hoc haud obstante absque ulla petita venia, matrimonium inivit, cumque parochus in petenda dispensatione inaudito contrahente omnia proprio marte egerit, inferendum patronus contendit Emmanuelem Dorda nunquam voluisse cum Carmela de Puiguriguer matrimonium valide consentire. Suspirium igitur potius denotasse putat turbatam conscientiam, nullamque, attentis circumstantiis, praesumptionem consensus inducere. Quapropter, concludit: quoniam voluntas praesumpta non est amplius manifesta, manifestatio autem consensus explicite et non aequivoce coram parocho et duobus testibus facta de essentia est, restat quod ex defectu manifestationis consensus, matrimonium, de quo agitur absolute nullum iudicandum sit.

Demum quoad secundum censet patronus, Emmanuelem in extremis constitutum in iis adiunctis versari, ut sponte ac scienter voluntatem suam pandere minime potuisset. Et ideo retinendum videtur quod si aliquod consensus signum a moriente fuerit emissum, illud haud tale fuisse quod validum redderet matrimonium.

Pro validitate matrimonii. Verum contra haec in primis, observari posset, bonam fidem, quasi dirimens de quo agitur impedimentum ignorassent, nedum in contrahentibus, sed et in Carmelae parentibus admitti debere. Nullus enim profecto competentior testis de hac Emmanuelis bona fide quam parochus Gatell, qui morientis confessionem recepit, eique sacramenta administravit, in medium proferri potest. Eo vel magis quod Emmanuel ad matrimonium contrahendum minime a Carmelae parentibus adigebatur, sed tantum aequissimis parochi suasionibus, qui illum Deo reconciliari cupiebat. Ceterum cum in themate non de rudibus personis agatur, ut Rosae patronus monebat, haud facile admittendum videretur, illos ignorasse, matrimonium inter consanguineos absque dispensatione initum nullitate laborare, proindeque Emmanuelem ad parochum decipiendum cum animae suae damno, in extremo agone constitutum impedimenti existentiam reticuisse. Quam hypothesim haud profecto veritati consonam reddit anteacta Emmanuelis vivendi ratio, ita ut illi aptari possit adagium « qualis vita, finis ita ». Etenim qui venit in mundum, ut salvetur mundus per ipsum, quique a cruce pendens paradisum latroni adpromisit, optime potuit cor Emmanuelis in extremo puncto ad se convertere, ac revera convertisse ex parochi narratione tenendum est.

Ac revera intelligi nequit, quomodo Carmela, cui maxime intererat honori suo consulere, et filiae ab Emmanuele susceptae legitimitatis iura et haereditatem acquirere, sciens matrimonium nullum contraxerit, seseque ita futuris quaestionibus, quas, attenta Rosae indole, optime praevidere poterat, libens occurrerit.

His accedunt plurium testium depositiones, quae rem omnino conficere videntur. Ex his vero pauca tantum delibare sufficiat. Praeter ea quae Carmela eiusque parentes professi sunt, asserentes se quidem in gradu valde remoto contrahentium avos consanguinitate ligari cognovisse, at putasse consanguinitatem in gradu, nuptias prohibente, non amplius existere, adest quatuor testium coram iudice emissa decla-

ratio, quae ignorantiam impedimenti ex parte Emmanuelis, Carmelae et eius parentum tamquam certam habendam esse renuntiat.

Relate ad alterum controversiae punctum, videlicet, in casu necessariam dispensationem ad valide contrahendum reapse intercessisse, ante omnia commemorare praestat, communem Doctorum sententiam esse quod possit manifestari ad dispensationem obtinendam remotior consanguinitatus gradus, reticendo propinquiorem. Sanchez *l. 8, d. 24, n. 28;* Pont. *l. 8, o. 17, n. 26;* S. Alphonsus *Theol. Moral. l. 6, n. 1136;* idque inferunt ex *Motu proprio* S. Pii V « *Sanctissimus* » *diei 26 Augusti 1566,* ubi dictum fuit quod dispensatio sine gradus propinquioris mentione obtenta, nempe si sponsi sint coniuncti in quarto et tertio gradu, de subreptionis vel obreptionis vitio notari non possit, obtentis tamen postea litteris declaratoriis super propinquiori. — ibi — « Quae literae declaratoriae ideo fiunt non quia propinquior gradus obstet matrimonio... sed ad tollenda scandala plebis, iura ignorantis, quae putat non esse validam dispensationem factam super solo gradu remotiori, imo credit magis necessariam esse super propinquiori, cum iuxta illius credulitatem maiorem propinquitatem videatur inducere ». Hinc contra auctores quosdam qui nisi declaratoriae literae intercederent, matrimonium in hisce casibus initum nullum fuisse tuebantur, declaravit Benedictus XIV Constitutione: « *Etsi pastoralis, 30 Septembris 1755,* matrimonium esse quidem illicitum, ast non invalidum, modo propinquitas non sit primi gradus consanguinitatis vel affinitatis, in quo se dispensare nolle S. Pius V protestatus est. Unde et S. C. matrimonium initum inter principem Saphiebam et Constantiam Radzivil, praevia Summi Pontificis dispensatione super quarto consanguinitatis gradu non esse nullum tenuit, licet contrahentes tertio et quarto gradu inter se essent coniuncti, in Luceorien. *Nullitatis matrimonii, 28 Martii 1722.*

Nequid aliquid facessere videretur quod Vicarii generalis intentio fuerit dispensandi tantum a quarto consanguinitatis

gradu ; nam praeterquamquod post hucusque relata obiectio supervacanea apparere posset, dicendum esset, delegatum menti delegantis et praxi in Romana Ecclesia vigenti se conformare plene voluisse. Ceterum non probata existentia malae fidei in Emmanuele, prosequitur Rota, habetur matrimonium putativum quod veri matrimonii effectus in foro externo obtinet.

Tandem contra eos qui matrimonium de quo agimus ob consensus defectum nullum proclamant, recolendum in primis est id quod parochus Gattel die 15 Martii 1881 Vicario generali scribebat, scilicet : quod si aliquod dubium supersit mihi quoad expressiones secundi matrimonii, quoad primum, quando nempe infirmus pleno utebatur usu suae mentis facultatum, nullam in eo notavi vacillationem sive quum consensum praeberet, sive cum agerem cum eo solo, ut meum ministerium implerem. Porro cum dubia minime fuerit expressio consensus, cum prima vice parochus morientem interrogavit, non modo ex praesumptione forsan arguere fas esset et secunda vice Emmanuelem in matrimonium consensisse, sed etiam omnes illius actus, idest ictus oculorum, motus manuum et suspiria, tamquam verae et sufficientes expressiones consensus habendae viderentur.

Ast dato etiam quod attenta morbi gravitate Emmanuel libere et scienter voluntatem aliquam secunda vice pandere non potuisset, haud exinde sequi matrimonii nullitatem, forsan cum aliquo sensu veritatis, affirmandum esset. Cum enim moriens impedimenti existentiam ignoraret, validitas matrimonii non incongrue defendi posset eorum sententia, quam Gury probabilem tenet, iuxta quam pars ignorans impedimentum haud necessario debet consensum renovare ad validam matrimonii redintegrationem. Gury *Comp. Theol. Mor. tom. II De Matrim. n. 896.* — ibi — « Ratio est quia prior consensus, licet effectu suo caruerit ob impedimentum a iure positivo appositum, tamen de iure naturae fuit validus, cum fuit praestitus erga personam de iure naturae habilem ad contrahendum: ergo sublato impedimento sufficit prior consensus, qui virtualiter in effectum perseverat. »

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Antequam obiecta adversus praesentis matrimonii valorem expendam, haud abs re erit advertere, matrimonium quodcunque in quaestionibus, valorem eius concernentibus, triplici sub respectu, seu triplici veluti in stadio considerari posse : videlicet, matrimonium in *fieri*, matrimonium in *facto*, matrimonium morte alterutrius vel utriusque coniugis *finitum*. Argumenta enim ad eius valorem decernendum necessaria in tribus hisce matrimonii stadiis imparia sunt : maiora nempe requiruntur quando agitur de matrimonio *contrahendo*, minora, quando disputatur de matrimonio *contracto*, minima, quando res est de matrimonio, morte unius vel amborum coniugum *dissoluto*.

Enimvero quando dubitare contingit an matrimonium aliquod, quod est in *fieri*, valide in *factum* traduci queat, is, qui negotium dirimere debet, in una librae lance ponit sanctitatem sacramenti, bonum publicum, bonum prolis, quibus omnibus irritae nuptiae adversantur ; in altera vero hoc unum habet, *speratum* bonum duorum hominum. Hinc, obvenientibus huiusmodi casibus, quatenus valor extra omnem dubitationis aleam poni nequeat, matrimonium minime admittitur. Siquidem per ora omnium volitat adagium — *in dubio tutior pars est eligenda*.

Econtra quando disceptatur de matrimonio iam contracto, privatum coniugum, matrimonium impugnantium, bonum cedat oportet sanctitati sacramenti, bono publico et bono susceptae prolis, quae omnia ex matrimonii cassatione detrimentum persentiunt. « Hinc infertur, ad rem Sanchez *De matrim. lib. 1, disput. 18, n. 7* opinionem singularem alicuius doctoris matrimonium sustinentis, praeferri plurium sententiae illud impugnantium, nisi textui aperto innitantur. » Rationem vero tradit Innocentius III *in cap. 47 De testib. et attest.* « Tolerabilius est enim, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime, contra statuta Domini separare. »

Quando vero in controversiam adducitur matrimonium,

morte utriusque vel alterutrius coniugis solutum, non solum singularis opinio alicuius doctoris, matrimonium sustinentis, sat superque est, sed etiam leves atque coniecturales probationes ad proclamandum matrimonii valorem sufficiunt. In huiuscemodi enim quaestionibus, ut oppido patet, non iam de matrimonio in se, sed de matrimonii consectariis agitur; res est, prouti nostro in casu, de coniuge superstite, quae, cum viro PER QUATUOR ANNOS omnia praestiterit quae uxoris sunt, uxoris honores et iura sibi vindicat ; res est de puella, quae, iure naturae inspecto, eo ipso quod ab Emmanuele Dorda originem ducit, ius habet ad eius nomen, honores omniaque fortunae bona, paucis : « *est haeres suus* ». Uxori et filiae Emmanuelis resistit mater, Rosa, quae filii opibus inhians, eundem iura naturae impie proculcasse praetendit et locum esse clamat successioni LUCTUOSAE. Unde sacra Rota in *decis. 668 n. 21, part. 19, tom. 2 recent.* et alibi passim docet: « Cum de matrimonii veritate et validitate incidenter agitur ad solum effectum *legitimitatis prolis et successionis* LEVIORES SUFFICIUNT PROBATIONES. »

Tametsi argumenta, quibus veritas et validitas matrimonii Carmelam inter et Emmanuelem die 11 martii 1881 initi demonstratur, non ad leviorum, sed ad ineluctabilium probationum genus spectant. Profecto parochus nupturientium proprius, Ildephonsus Gätell fidem de hoc facit.

Oleum et operam perdit Emmanuelis mater, Rosa Olivella, dum parochi testimonium infirmare pertentat, asserens Carmelam et Emmanuelem non celebrare matrimonium, at comoediam agere animo intendisse. Si Rosam audias, Emmanuel, Carmela et Carmelae parentes probe noscebant praesenti matrimonio obstare consanguinitatis in tertio et quarto lineae collateralis gradu impedimentum.

Praeprimis Rosa filium suum Emmanuelem in mala fide fuisse praetendit, quia ille in supplici libello magistratui porrecto D. Rosendum Puriguriguer nuncupavit « *suo parente* ». Ast appellare quempiam « *suo parente* » non idem est ac agnoscere propinquitatem intra quartum gradum :

longe remotiores etiam inter propinquos, praesertim cum auxilio atque favore egemus, recensere in more habemus.

Reque vera, si Emmanuel novisset impedimentum, mater eius, Rosa Olivella illud ignorare minime potuisset.

In oculos insilit sollicita cura, qua Rosa Olivella, quippe quae nil magis abhorrebat, quam nuptias filii cum Carmela de Puiguriguer, Emmanueli matrem urgenti, ut sibi permitteret Carmelam uxorem ducere, dirimens consanguinitatis impedimentum obiecisset, si ipsa vel levissimam hac de re suspicionem haberet.

Ad ea gradiendum est, quae Rosa Olivella obiicit ut ostendat malam fidem nedum filii Emmanuelis verum etiam nurus, Carmelae, eiusque parentum. Quem in finem quinque testes inducit, qui iisdem prorsus verbis respondent unusquisque.

Itane licet rationem suae reddere attestationis, seu suae *scientiae* proferre CAUSAM, quam testes edere debent, ut ea quae ipsi in iudicio renuntiant, in pretio haberi possint? Praeterea, testes istos flocci facio potissimum quia sero nimis producti sunt. Ad rem Lauren. *for. ecclesiast. lib. 2, q. 663, num. 1:* — ibi — « Communis et utroque iure recepta regula est, rite publicatis attestationibus non licere in eadem vel alia instantia producere denuo eosdem vel alios testes. Ratio est tum timor SUBORNATIONIS, tum etiam, quia per publicationem attestationum fit renuntiatio ulteriori testium productioni, vel expresse (prout ea peracto examine ad iudicis interrogationem fieri solet) vel saltem implicite, tacite consentiendo in publicationem testium. Intelligenda tamen dicta regula ita ut procedat, si publicatis attestationibus pars didicerit attestata, hoc est cognoverit ea per se vel per procuratorem suum. » Nemo profecto inficiabitur Rosam *per se vel procuratorem suum didicisse attestata,* cum iam tum octo intercessissent disputationum anni et quatuor prodierint sententiae.

Operae iam pretium est audire quatuor testes tempore utili rite a iudice excussos, qui omnes uno ore responderunt, Dordam novisse suam cognationem cum Carmela tantum in gradu remotissimo.

Huc accedit quod testibus hisce per aquam et ignem probatis concinit Ildephonsus Gatell, parochus nupturientium proprius, qui Emmanuelem, Carmelam eius parentes aliosque de re instructos eo temporis scrupulosissime de consanguinitatis impedimento excussit atque scrutatus est.

Sed quid absurdius quam malam fidem in praesenti casu excogitari potest? Neminem enim latet studium impensum quo nedum nupturientes, verum etiam Carmelae parentes hoc matrimonium per annos praestolati sunt: nemo illos adeo bardos existimat, ut putaverint se matrimonio irrito voti compotes futuros. Nam parochus ipse notat, facilis erat, ad vitandam matrimonii nullitatem, recursus ad Curiam pro dispensatione.

Quid iniquius quam suspicari, Emmanueli, eomet actu, quo dissolutione corporis sentiebat ad districtissimum Dei iudicium rapi, animum fuisse matrimonii simulatione decipiendi omnes uxorem, ac filiam in extremam egestatem et ignominiam per summam iniuriam coniiciendi?

His in facto positis, obiter notandum est, nihil magis in iure praedicatum esse quam quod liberi quantumvis ex damnato coitu nati, ceu ab iis, inter quos matrimonium consistere non potest, procreati sint, non spurii, neque incestuosi, sed simpliciter naturales quoad ius successionis censeantur, si uterque vel alteruter parentum ignoraverit dirimens inter ipsos existens matrimonii impedimentum. Ad rem sacra Rota *decis. 325, num. 7, part. 12 recent.* « Secundum fundamentum (quod filii sint incestuosi) cessat ex quo non probatur scientia Dianae antecedentis concubitus comitis Alexandri Mariae cum Dominica *sorore* antequam ipsa ex eo filios conciperet, *ignorantia enim excusat ab incestu, et filii inde progeniti* NATURALES TANTUMMODO, NON AUTEM INCESTUOSI, NEC SPURII REPUTANTUR ». Eadem Rota in *decis. 376, n. 5. part. 16 recent.* recolit: « Placuit DD. responsio antecedentis *decisionis sub* §. *secundum,* ut nempe non probata illius concubitus (viri cum sorore mulieris) scientia in matre, NON COMMITTATUR INCESTUS AD HOC UT FILII INSUCCESSIBILES NA-

SCANTUR ». Prosequens autem eadem Rota *n. 11 et 12 dictae decis.* « Reddit rationem, quare unius bona fides sufficiat, quia scilicet ignorantis interest prolem non solum respectu alterius *successibilem* esse, et amplius quod si versamur in dubio, an adfuerit scientia vel ignorantia impedimenti, IGNORANTIA PRAESUMITUR: imo si in ipso actu quo filius nascitur, dubitaretur de impedimento, adhuc talis dubitatio non obesset, utpote quae tum temporis ipsimet ignorantiae aequivaleret ».

Si ignorantia incestus facit, ut filii ex damnato coitu orti non incestuosi, sed naturales censeantur, eodem prorsus modo matrimonium irritum et invalidum legitimos facit liberos non minus quam matrimonium verum, si ambo vel alter coniugum in bona fide versetur. Redeat eadem Rota *cit. decis. 367, num. 9, 10 et 18:* « Recte arguit a matrimonio ad concubinatum, ut quemadmodum filii ex matrimonio quantumvis nullo, oriuntur LEGITIMI, si uterque vel alter parentum sit in bona fide, *cap. Pervenit 11 et cap. Ex tempore, qui filii sint legitimi,* ita filii ex concubinatu, quantumvis incestuoso suscepti, NATURALES sint et non spurii, si alter ex parentibus *cum scientia non concubuerit.* Idem operatur matrimonium putativum ac matrimonium verum ».

Sed supervacaneum est his immorari, quia matrimonium, de quo agimus, validum firmumque omnino est: uno enim eodemque ferme actu celebratum est matrimonium, compertum est impedimentum et ope dispensationis relaxatum. Rosa autem Olivella non meliori omine, ac bonam Carmelae et Emmanuelis fidem inficiata est, modo valorem dispensationis et matrimonii aggreditur. Paucis singulas obiectiones sive adversus dispensationis sive adversus matrimonii valorem ex adverso allatas perstringendae sunt.

Praeprimis dispensationem irritam Rosa censet, quia vicario generali expositus est quartus tantum consanguinitatis gradus, dum Carmela et Emmanuel ligabantur tertio et quarto consanguinitatis gradu. At Rosam iugulat Pontifex s. Pius V, qui constitutione — *Sanctissimus* — die 20 martii 1566

edita, ius antiquum restaurans, « Statuit et ordinavit quod de cetero in quibuscumque dispensationibus, quos pro matrimoniis contractis aut contrahendis inter viros et mulieres invicem diversis prohibitis consanguinitatis, aut affinitatis, aut mixtis ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicunque illi sint, dummodo primum quoquo modo non attingant gradibus coniunctos.... *gradus remotior attendatur,* TRAHATQUE SECUM PROPINQUIOREM, AC OB ID SUFFICIET REMOTIOREM TANTUM GRADUM EXPRIMERE ». Quemcunque autem Benedictus XIV in constitutione — *Etsi Pastoralis* — dubitationis praetextum abstulit.

Postremo Rosa Olivella praetendit dispensationem effectu caruisse, quia consensum Emmanuel minime renovavit. Verum haec obiectio claudicat in facto et erronea est in iure. Nam Emmanuel post dispensationem obtentam excitatus ad consensum in matrimonium denuo exprimendum, id praestitit meliori quo potuit modo: scilicet teste parocho emisit *suspirium:* teste vice-parocho edidit *suspirium* altius ordinariis, quae in extremo suae valetudinis statu emittere solebat. Iam vero si suspiria ordinaria ascribuntur morbo, extraordinarium ascribendum est causae extraordinariae, quae non alia fuit quam excitatio ad exprimendum consensum. Nec effugit nos versari in casu, in quo non requiruntur probationes undequaque concludentes, sed LEVIORES sufficiunt.

At quaenam esse poterat in praesenti casu novi consensus necessitas? A casu enim exulant omnino causae ob quas auctores novum ad matrimonium revalidandum consensum requirere solent. *Prima* profecto causa est scientia impedimenti, matrimonium dirimentis, a coniugibus, tempore connubii contracti, habita. Vix enim intelligi potest quomodo in matrimonium vere consentiat qui probe noscit illud irritum esse. At e contra optime consentire potest qui, licet per errorem, putat nullum dirimens matrimonii intercedere impedimentum. Et ille consensus est iure naturae validus ac perfectus, quia cadit in materiam iure naturae habilem. Hinc remoto obice, idest impedimento, per dispensationem

sublato, primitivus ille consensus, si adhuc in utroque coniuge perseveret, seu revocatus minime sit, producit effectum suum, quod, existente obice, manebat in suspenso. Iam vero nostro in casu bonam coniugum fidem fuse demonstravimus.

Altera causa in periculo consistit, ne medio illo inter celebrationem matrimonii et impedimenti relaxationem tempore ambo vel alteruter coniugum mutato consilio consensum revocaverit. Si enim consensus abscedat dum suspensus manet effectus, remoto subinde obice, matrimonium sine novo consensu firmitatem minime nanciscitur, quia primitivus consensus iam operari nequit, quippe qui iam evanuit; non datur autem effectus sine causa. Ast nostro in casu uno ferme eodemque momento temporis matrimonii celebratio et impedimenti relaxatio contigerunt ceu Parochus enarravit. Nec fas est suspicari mutationem consensus in Carmela, quia illa nil antiquius habebat quam matrimonium in forma iuris validum perficere; et teste parocho, praesens aderat, dum ille Emmanuelem ad reiterandum consensum excitabat, non in Emmanuele, uti pluries testatus est Parochus.

Tertia demum causa, qua auctores adducuntur, ut novum consensum necessarium proclament, est quia novus consensus in casibus, de quibus illi agunt, citra ullum incommodum praestari potest et novi consensus omissio causare potest gravissima mala. Agunt enim de coniugibus ambobus viventibus qui omissa consensus renovatione, quatenus ea necessaria foret in concubinatu perseverarent; de coniugibus, qui nedum possunt, verum etiam volunt consensum renovare. Nam auctores omnes a quacunque novi consensus quaestione supersedendum docent quando praevideatur alterutrum coniugum habita impedimenti notitia a matrimonio recessurum. Versa vice in praesenti controversia, ex proclamata novi consensus necessitate, consequerentur ignominia aliaque gravissima damna Carmelae eiusque filiae, quibus legis naturalis auctor honores atque iura uxoris et filiae respective ascribit. Nec irritum decerni potest matrimonium, quin in hominem pessimum omnium traducatur Emmanuel, quippe qui primiti-

vorum naturae iurium impius aspernator, Carmelam et Elviram in irreparabilium malorum cumulum coniecisset. Hac sane de causa sacra Rota in controversiis huiusmodi, quando scilicet agitur de coniugio, morte alterutrius coniugis soluto, validum illud perpetuo conclamat, etsi in revalidatione novus consensus minime intercesserit, ceu prostat in *Decis. 455 part. 1, et in decis. 687, part. 2 recent.*, atque in millenis aliis.

Ex disputatis, ad inscriptum dubium « *An sententia Rotae Matritensis diei 7 Iulii 1891 sit confirmanda vel infirmanda in casu* », descendit pleno velut alveo responsum: « *Sententiam esse* CONFIRMANDAM ».

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Rotae Matritensis diei 7 Iulii 1891, sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 16 Decembris 1893, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Etsi illicitum, validum tamen esse matrimonium, in quo obtenta sit dispensatio super gradu remotiori absque mentione gradus propinquioris; dummodo propinquitas non sit primi gradus consanguinitatis vel affinitatis, et dummodo absit vitium obreptionis et subreptionis seu mala fides.

II. Partem ignorantem impedimentum necessario renovare consensum non debere, ad validam matrimonii redintegrationem, ex sententia Theologorum; quia etsi prior consensus effectu suo caruerit ob impedimentum iuris positivi, tamen validus fuit ex iure naturae, quia praestitus fuit erga personam de iure naturae habilem; et ideo, sublato impedimento, satis est prior consensus.

III. Quando agitur de matrimonio dissoluto unius vel amborum coniugum morte, sufficere ad evincendum eius va-

lorem, etiam coniecturales probationes; eo quod tunc agitur non de matrimonio in se, sed de consectariis matrimonii.

IV. In themate agi de matrimonii consectariis patet; agitur enim de protuendis iuribus et honore superstitis coniugis, et puellae quae, inspecto iure naturae, ius habet ad patris nomen, honores omniaque fortunae bona.

V. Filios quamvis ex damnato coitu susceptos appellari quoad ius successionis simpliciter naturales, minime vero spurios aut incestuosos, si uterque vel alteruter parentum ignoraverit existere inter ipsos impedimentum matrimonii dirimens.

VI. Ex matrimonio nullo filios natos a pari appellari posse legitimos, si alteruter vel uterque coniux fuerit in bona fide.

NOLANA

SOLUTIONIS

Die 9 Septembris 1893.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Nolanus Praesul S. C. C. litteris sequentis tenoris adibat: Per bullam *Pius et misericors* Benedicti XIII praecipitur praelevandam esse mediam annatam ex quolibet beneficio simplici, per apostolicam sedem non collato, et ex quolibet beneficio curato, quod superet 100 scuta. Canonicos Cathedralis et Collegiatae aliaque beneficia numquam rependisse mediam annatam. Quamvis adiuncta temporum haud suadeant eiusmodi onus reviviscere, tamen utile evaderet pro Cathedralis aedificatione.

Quibus positis, pro suae conscientiae tranquillitate quaerit: 1. An stante clausula sublata et decreto irritanti, onerandi sint novi beneficiati in genere de mediae annatae solutione, comprehensis illis qui eam non persolverunt ultimis hisce decem annis. 2. Utrum ex quo onera beneficii subtrahenda

sunt, subtrahi posset etiam successionis taxa et quidquid rependitur pro regio *Placet*. 3. An beneficia curata oneranda sint de mediae annatae solutione quatenus reditus eorumdem excedant 900 libellas.

Disceptatio Synoptica

Media annata solvenda videtur. Praestat in primis ipsa praelaudati Pontificis verba ad rem facientia referre. Porro ille exordium ducens ex eo quod iuxta Dei mandatum templa sint construenda, eoque quo decet nitore conservanda, sic prosequitur: « Decernimus, praecipimus et mandamus, per totam Italiam et Insulas adiacentes, ut in posterum provisi de canonicatibus et beneficiis, tam residentialibus non curatis, computatis etiam incertis, non excedentibus valorem annuum scutatorum centum monetae romanae, quam non residentialibus et simplicibus sitis extra ecclesias collegiatas, teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae cathedralis; provisi vero de canonicatibus et beneficiis tam residentialibus non curatis, computatis etiam incertis, non excedentibus valorem annuum scutatorum centum monetae praefatae, quam non residentialibus et simplicibus sitis in ecclesiis collegiatis, vel ad illas translatis, itidem teneantur solvere et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae collegiatae. Et haec quidem decernit Pontifex pro omnibus beneficiis « dummodo collationis, institutionis, et provisionis Sanctae Sedis minime existant ».

Iamvero cum relata Pontificis verba adeo sint clara, ut super inducta mediam annatam solvendi obligatione nullimode dubitari queat; et aliunde ex *Tit. de Constit.* satis superque certum sit Pontificias Constitutiones agendorum regulas esse debere: naturalis omnino ac legitima apparet Nolani Praesulis petitio, maxime cum inferius in eadem Benedicti XIII Constitutione legatur « super praemissis omnibus.... archiepiscoporum, episcoporum, et praelatorum inferiorum, atque etiam Capitulorum conscientiam peculiariter et districte oneramus ».

Quae quidem rigidiora verba, ac per consequens sacrorum Antistitum vel Capitulorum obligatio quoad praedicti oneris observantiam invigilandi, apprime ex nobilissima iustificantur causa, ob quam praefatus Pontifex antedictae mediae annatae solutionem imposuit: ut scilicet per huiusmodi solutiones certi ac necessarii habeantur reditus, quibus manutentioni, conservationi, atque reparationi ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum provideri possit. Quod certe consentaneum est sacris canonibus, qui, prouti quisque probe noscit, modis omnibus providere non omiserunt, ne domus Dei propter temporum iniuriam collabi, in peius ruere, minusque decenter retineri contingeret.

Huiusmodi mediae annatae solutio erga cathedralem vel collegiatam ecclesiam adimplenda ad instar est illius, quae, statutis casibus, solvitur Papae in favorem et in subsidium Apostolicae Sedis, nec non ad instar quarumdam aliarum pensionum, quae ad pios usus destinatae fuerunt. Eapropter opportunum optimumque videtur, ut huiusmodi solutiones in vigore permaneant. Atque ita porro censuisse dicendum est S. C. C. quae in *Aquilana diei 27 Aprilis 1630,* et in *Marsicana Aprilis 1591* declaravit omnes solutiones, occasione provisionis canonicae fieri solitas, esse conservandas si ad pios usus sint convertendae. Quae quidem decisio dispositioni innititur Tridentini Concilii *in Cap. 14, sess. 24 De ref.*

Verum, firma semper ac eadem manente huiusmodi obligatione, nihil tamen obstare videtur, si in computatione mediae annatae omnes cuiusvis generis expensae prae oculis habeantur. Namque in ipsa Benedicti XIII Bulla dictum est praelevari posse omnes expensas. Ergo, veluti etiam ipsa praxis generatim recepta in similibus casibus indigitat, inter expensas adnumerari posse videntur illae quoque quae dicuntur vulgo « tasse di successione, e spese di Regio Placet ».

Media annata videtur solvenda non esse. Ast ex alia parte non pauca adsunt rationum momenta, quae controversae obligationis cessationem suadere videntur. Primo quidem adest consuetudo valde communis in Italia, vi cuius so-

lutio mediae annatae pluribus in locis non amplius viget. Quum autem huiusmodi invalescenti consuetudini silentium accedat Ecclesiae, legitima exinde approbatio praesumi posse videretur. Tralatitium namque in iure est consuetudinem legitime inductam, quaeque iuris vel morum corruptela dici nequeat, cuiuscumque melioris tituli ac proinde etiam apostolici beneplaciti praesumptionem secum ferre. In casu nostro, potissime quoad praeteritas solutiones, ad praescribendum decennalis consuetudo sufficeret.

Praeterea non exigui ponderis causam silentii Ecclesiae et cessationis memorati oneris invenimus in mutatis rerum ac temporum circumstantiis: in continuo nempe expensarum augmento, et in magna redituum diminutione, ita ut ex quadam paritate in casu nostro applicandum esse videatur Decretum S. C. EE. et RR. *diei 28 Ianuarii 1871*, circa pensiones, in quo statuitur « ut praefatis reditibus imminutis, « vel amissis, habita proportione, imminui etiam pro rata « debeant, vel cessare pensiones ». Quod equidem est, quod potissimum in suis litteris Nolanus Antistes adurget.

Demum animadvertenda sunt quae in sua citata constitutione Bened. XIII subdit: « volumus autem quod huic nostrae constitutioni minime subiecta existant beneficia illarum dioecesium et collegiatarum, in quibus reperitur opus, seu peculiare patrimonium fabricae, sufficienter instructum, aut onus seu obligatio reparandi, restaurandi et conservandi ecclesias residet penes communitates locorum, vel adsunt dictarum ecclesiarum patroni . . . »

Iamvero utrumque existere in Ecclesia Nolana quodam modo dici potest. Extat nempe peculiare patrimonium constitutum ab Innocentio XII, per Bullam « *Inscrutabili* » anno 1644 editam, et postea a successore Benedicto XIII confirmatam, in qua summus Pontifex « a spolio et quocumque alio iure Camerae Apostolicae exigendi et percipiendi pecunias, res, effectus, mobilia, semimoventia et alia bona.... Archiepiscopos, episcopos et praelatos inferiores regni praefati (Neapolitani) . . . » omnino exemit et liberavit, ad ef-

fectum tamen ut « praemissa omnia et singula, ad antedictas metropolitanas aliasque ecclesias . . . . converti et erogari deberent. »

Extant insuper subsidia a Gubernio oblata, prout ipse Episcopus Nolanus innuit, quae quidem si nequeunt stricte assimilari dotationibus patronorum, vel reditibus ab iisdem ecclesiae assignatis, semper tamen utilitati ac indigentiae ecclesiarum prospiciunt, praesertim si stabiliter sint constituta.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid precibus esset respondendum.

Resolutio. Sacra Congregatio C. re discussa, sub die 19 Septembris 1893 censuit respondere : *Attentis peculiaribus temporum rerumque adiunctis, iisque perdurantibus, nihil esse innovandum.*

FIRMANA

POSTULATUM QUOAD LITTERAS TESTIMONIALES ORDINANDORUM

Die 9 Septembris 1893.

Per summaria precum.

Compendium facti. In relatione status ecclesiae Firmanae S. C. C. exhibita, haec *Cap. 9 de Postulatis,* secundo loco reperiuntur.

« Alterum dubium respicit necessitatem litterarum testimonialium in sacris ordinibus conferendis iis clericis, qui militare servitium complere coacti sunt, et durante militia, hac illac vagare debuerunt. Equidem scio in Constitutione S. M. Pii IX, *Apostolicae sedis,* statutum esse — suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes.... subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci literis testimonialibus ».

Verum haec iuris dispositio adeo generalis, quae ceteroquin haberi potest tamquam extensio obligationis impositae ab Innocentio XII in sua Constitutione — *Speculatores* — non videtur omne dubium excludere pro re, de qua agitur, nempe pro commoratione omnino precaria, eiusdemque naturae ac commoratio vagorum, quibus in iure militares comparantur. Accedit quod Congregatio S. Universalis Inquisitionis, cui a SSmo Domino munus fuit commissum ad examen revocandi legem militaris delectus relate ad clericorum promotionem ad sacros ordines, cupiens faciliorem reddere, quantum possibile est, eorumdem clericorum promotionem, regulas dedit sub die 18 Septembris 1875, quas observare debent Episcopi Italiae in his casibus; neque innuit inter has regulas necessitatem litterarum testimonialium, praescribens tamen habitualem et continuam inspectionem et vigilantiam super moribus clericorum militarium ope informationum ab Ordinariis locorum, ubi degunt clerici, quibus Ordinariis speciali modo sunt iidem clerici a proprio Episcopo commendati. — Haec autem habitualis et continua inspectio, una cum particularibus informationibus Ordinariorum, sicuti efficacior est, ad cognoscendam vitae et agendi rationem clericorum, ipsis testimonialibus litteris a Curiis ecclesiasticiis expeditis, ita loco ipsarum litterarum testimonialium habenda esse videtur.

« Praeterea illa iuris dispositio quae continetur in Const. *Apostolicae sedis,* eiusdem naturae esse videtur ac altera, quae respicit libertatem status probandam ab iis, qui matrimonio iungi velint. Iamvero pro militaribus, cum praesumatur impossibilitas afferendi documenta status libertatis ex iis omnibus locis ubi aliquo tempore remorati sunt, indulgetur ut status libertas iuramento suppletorio demonstrari possit. A pari dicendum videtur pro clericis, qui militiae servitium compleverunt; imo fortasse ne iuramentum quidem hac in re necessario exigendum, eo quod pro matrimonio contrahendo verus processus requiritur, qui pro ordinatione nullibi praescribitur. Ceterum grave onus iniiceretur clericis

his, si a quovis Ordinario intra cuius iurisdictionem, etiam tantum per semestre, morati sunt, litteras testimoniales exquirere ipsi deberent. Verum in re tanti momenti EE. VV. iudicium cognoscere exopto ».

Disceptatio Synoptica

Quum in expositione dubii Ordinarius argumenta adduxerit, quae necessitatem litterarum testimonialium excludere videntur, hinc pauca adnotantur quae contrariam sententiam persuadere possunt. Imprimis animadversum fuit apertam esse et in suo pleno robore persistere iuris dispositionem in Constitutionibus *Speculatores* et *Apostolicae sedis* sancitam, qua nequeunt Episcopi suis subditis, qui alibi tanto tempore morati sint, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerint, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus sacros ordines conferre. Cumque haec lex ad omnes casus, in quibus expresse non fuerit derogatum, sese protendat, nec in themate legitime exauctorata inveniatur, consequens esset, illam, haud obstantibus congruentiae rationibus ex adverso prolatis, et pro notabili commoratione clericorum in aliquo loco militaris servitii causa, vim suam exerere debere. Hic etiam itaque locum sibi vindicaret distinctio quoad morae tempus, atque huius habita ratione perpendendum esset, num quandoque statuta in iure pro vagis intrare possent, quibus ceteroquin milites generice haud semper sunt aequiparandi. Praeterea, attenta generali et clara legis dispositione, de qua superius, tenendum esset informationes Ordinariorum in Instructione S. C. U. I. diei 16 Septembris 1875 (1) praescriptas, loco ipsarum literarum testimonialium minime habendas esse. Omisso enim quod agitur de privata et secreta informatione, quae in sensu iuris a publico documento, ceu sunt testimoniales litterae ordinandis concedendae, quam maxime differt, optime fieri posset quod Ordinariorum vigilantia, in clericos militiae

(1) Recole Vol. XXIII, 40.

addictos exercenda, ob peculiaria locorum et rerum adiuncta frustranea evadat, vel aliis de causis quod informatio ab eis danda aut minime completa sit, aut omnino deficiat. Unde et in istructione S. C. super Disciplina Regulari diei 27 Novembris 1892 (1) in qua eaedem, ne dicam rigidiores, ac in Instructione S. C. U. I. traduntur regulae quoad vigilantiam et inspectionem ab Ordinariis locorum et Superioribus regularibus super moribus et vitae ratione alumnorum cuiusvis religiosae familiae dum servitio militari sunt addicti exercendam, haec leguntur sub *n. 5:* « Saranno per tutti (qui ad solemnem professionem et sacros ordines admittendi sunt) necessarie le lettere testimoniali degli Ordinari diocesani, nel cui territorio abbiano dimorato almeno tre mesi ». Tandem haud nimium urgenda esset paritas inter milites matrimonio iungendos et clericos ordinandos, praesertim quia pro illis status liberi probatio tantum sufficiat, dum pro his testimoniales litterae non modo quoad statum liberum, sed et quoad alia canonica impedimenta requirantur. Monacelli *Form. leg. pract. De collat. Ord. form. 1.*

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra C. C. sub die 9 Septembris 1893, re disceptata, censuit respondere :

Litteras testimoniales esse necessarias, quoties promovendus moratus fuerit in aliqua Dioecesi, saltem per trimestre.

Ex quibus colliges. Promovendos ad sacros ordines exhibere debere litteras testimoniales illorum Episcoporum, in quorum Dioecesibus morati fuerint saltem per tres menses, ceu tenentur iuvenes ex familiis religiosis, qui militari delectui obnoxii fuerint.

(1) Confer Vol. XXV, 635.

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

HABANEN.

DECRETI

Die 25 Augusti 1893.

Compendium facti. Extat Habanae, Insulae Cubae civitatis, Hospitale pro leprosis curandis, sub patrocinio s. Lazari, filiabus a charitate s. Vincentii de Paulis concreditum; cuius spiritualis cura exercetur per presbyterum cappellanum qui nunc est Prudentius Rodriguez.

Quamvis ignoretur causa, tamen spiritualis pater communitati haud gratus erat; quod clare innotuit die 4 Septembris 1892. Nam leprosi, facta seditione, minis et conviciis impedierunt quominus cappellanus suam repeteret habitationem in Hospitali. Episcopus certior factus Vicario generali mandatum dedit ut rem cognosceret. Hic die 10 Septembris 1892 Hospitale adivit cum tabulario; et praemonitâ Superiorissâ dicti Hospitalis quod rudis molestia Cappellano irrogata, et omissio eiusdem Superiorissae illico certiorandi Ordinarium de seditione leprosorum, gravem intulerint eidem Antistiti moerorem, iussit, nullum sacerdotem regularem aut saecularem posse litare missam in Hospitali, et SS. Eucharistiam custodiri ibi non posse donec duplex offensio repararetur.

Haec inter supervenit regiliosa, cui nomen Refugio Alvarado, et dolore percita super decretis Vicarii generalis exclamavit; *quod S. Lazarus leprâ non afficiat qui te huc misit!* Vicarius ratus haec verba Episcopo iniuriosa, statim privavit proferentem sacrâ communione ad nutum; et statim concinnato processu verbali, iussit sororem Refugio subscribere, quae tamen renuit dicendo sese illiteratam esse. Insuper miratus quod superiorissa de his haud excitaretur,

accersivit Patrem Garcia, superiorem harum religiosarum, iussitque ab officio removere Superiorissam ceu ineptam regimini, et transferre ad aliam domum, extra Dioecesim, Sororem Refugio; praevia tamen competenti satisfactione propter iniurias Episcopo ab una illatas, ab altera ratas habitas,

Pater Garcia, qui nihil noverat quia tunc aberat, respondit nihil facere posse; dum haec remotionis poena infligi tantum a consiliis superiorum Ordinis possit. Responsum Vicario generali haud arridens, innixus Tridentino *Sess. 25 cap. 3 de ref.* iussit eiici ab Hospitio S. Lazari, trium dierum spatio, duas praedictas religiosas sub excommunicationis maioris interminatione et multae a libellis 500 pro prima die ad 2500 pro secunda, atque ita porro.

Pater Garcia Vicarium generalem adivit paratus ad multas rependendas, renuens tamen exequi ex conscientia mandatum de Religiosarum expulsione, utpote quae excederet propriam auctoritatem. Vicarius generalis ratus id minime veritate niti, ex documentorum examine a se instituto, sententiam protulit, qua Patri Garciae tribusque Religiosis multam 4000 libellarum in solidum imposuit, eo quod falso asseruerint potestatem non habere eiiciendi duas religiosas ex Hospitio s. Lazari; aliamque multam libellarum 250 pro singulis diebus donec eiicierentur praedictae sorores ex Hospitio; privavit omni iurisdictione dictum patrem dictasque religiosas; ita ut excommunicationis censurâ irretirentur ob quodlibet actum iurisdictionis; privavit dictas sorores sacrâ eucharistiâ, donec mandata implerentur, oneravitque praedictas personas omnibus processus expensis.

Pater Garcia, qui utpote excommunicatus vitandus relegatus fuerat in Monasterium Mercedis, rependit multam 527 libellarum, sed libellas 6000, summam multarum inflictarum, rependere non valuit. Superiorissam quae auctoritatem suam exercere prosequuta est, excommunicationem incurrisse declaratum fuit.

Ut tandem terminus huic rerum conditioni imponeretur,

quaestio supremo s. Sedis iudicio delata est consensu unanimi tum patris Generalis totius Ordinis, tum Filiarum a charitate Ordini ipsi subiectarum. Quaesitumque est ut sententia Curiae habanensis declararetur nullius roboris 1. quia lata fuit in personas exemptas ab Episcopi iurisdictione; 2. quia defuerunt iuris formae, seu citatio, trina monitio, legitima defensio; 3. quia poenae irrogatae sunt exorbitantes, neque assertis culpis proportionatae.

Disceptatio Synoptica

Defensio Patris Garciae. Nullius esse valoris sententiam Curiae habanensis, prolatam die 20 Septembris 1892, autumat Advocatus; eo quod cunctae posthabitae fuerint dispositiones sacrorum canonum de processibus instruendis. Et re quidem vera ex actibus constat, Religiosas vocatas ad comparendum non fuisse, neque ad sui defensionem. Quo vero ad patrem Garciam, aut defuisse asseritur trinam monitionem, aut si adfuit, ita fuit sollicita, ut ex ea evinci nequiret in monito pertinacia, cuius poena est excommunicatio. Praeter formae vitium, nullius roboris habendam esse sententiam asseritur etiam quia lata fuit in personas exemptas ab ordinaria Episcopi iurisdictione. Exemptio vero patris Garciae probata fuit per Pontificum constitutiones, quae hanc concesserunt Missionariis s. Vincentii a Paulo: exemptioque filiarum charitatis ex natura earumdem institutionis, quae omnino laicalis est et quoad ordinationem et disciplinam interiorem subiicitur Patri generali Missionariorum s. Vincentii a Paulo.

Gradum faciendo ad quaestionis meritum notat advocatus, Missionarios s. Vincentii a Paulo et Religiosas a charitate haud esse Curiae habanensi benevisos: quae adversio facili modo influere potuit in iudicium latum contra eosdem. Animadvertit etiam quod in sententia Vicarii generalis nulla facta fuerit mentio de querimoniis Cappellani Hospitii s. Lazari adversus filias charitatis eiusdem, etsi supplex libellus ipsius Cappellani basim constituat huius processus. Ex qua re

colligit, indebitas fuisse poenas religiosis inflictas; nam verba prolata a Sorore Refugio, aut non recte explicata sunt, aut intelligi debent minime prolata adversus Episcopum, sed adversus Cappellanum, qui causa prima fuit poenarum religiosis illatarum. Sed si locutio illa bene intelligatur, nil aliud significat quam « quod s. Lazarus lepram non mittat ».

Neque minus excusanda videtur Soror Refugio quando per leve mendacium sese exemit a subscriptione processus verbalis: per id enim nil aliud voluit quam consulere perplexitati animi: renuebat enim elicere actum propriae voluntati contrarium, absque ullo damno tertii. Mendacium hoc parvâ monitione facile propitiari poterat. Qua de re nil mirum si Superiorissa violenta non irruit in Sororem Refugio, cuius parvam perpenderat culpam, ceu desideravit Vicarius generalis. Quinimo, etiamsi gravem deprehendisset culpam istam, aliter agere nequivit Superiorissa, quoniam Vicarius generalis sibi omnino reservaverat delicti cognitionem.

Ex dictis colligit defensor, has duas religiosas expertes esse ab his noxis; et ideo etiam ex hoc capite sententiam prolatam sustineri non posse, praeter formae defectum, qua afficitur.

Ex defectu reatus pariter sententia nutat quoad P. Garciam, etiam in casu quod religiosae culpas sibi impictas commiserint; nam neque ipse, neque religiosae consilium componentes expellere poterant Sororem Refugio e religiosa domo, neque Superiorissam a proprio munere, ceu Vicarius generalis praesumpsit; eoquod hac auctoritate praediti non fuerant ex propriis regulis.

Pater Garcia fecit quod potuit; nam, coadunato concilio, sciscitavit an dimitti posset Superiorissa a proprio officio et Soror Refugio eiici e religiosa domo; consilium vero unanimiter respondit negative; et Superior generalis certior factus, in hanc ivit sententiam.

Advocatus tandem purgat ab accusatione rebellionis et periurii Patrem Garciam, et concludit; dato et non concesso

quod P. Garcia reus etiam fuerit, in eum inquirere nequiret V. Generalis, quia ex Bullis et Constitutionibus Summorum Pontificum Ordo illius eximitur a iurisdictione Episcopi. Ex defectu autem formae immunes ab illata imputatione reddere studet religiosas consilium constituentes; nam neque citatae, neque admissae fuerunt ad defensionem propriam, contra canonis dispositionem: *Qualiter et quando, de accusat. et inquisit.; Debet esse praesens is contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit; et exponenda ei sunt illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum.*

Propius accedendo ad quaestionem, ait defensor, neque consilio, neque Patri Garciae auctoritas fuit exequendi Episcopi voluntatem; quinimo etiamsi id efficere potuissent, cogi ad executionem nequibant ab Episcopo, a cuius iurisdictione eximuntur; sed tantum a propriis Superioribus. Quibus aliisque praenotatis advocatus ait: sententiam Curiae habanensis irritam esse, nulliusque valoris ex defectu formae, quia falsae et insubsistentes accusationes in praesumptos reos repertae fuerunt; et quia prolata fuit in personas exemptas a iurisdictione episcopali.

Defensio Curiae. Praemisit advocatus prolixam factorum historiam, ut colligeret culpabilitatem Patris Garciae et Religiosarum, sententiaeque iustitiam; cuius exposcit confirmationem, utpote valida sive intrinsece, sive extrinsece ea considerari velit. Et quoad intrinsecum, adversa quoque pars admittit tria requiri ad infligendam censuram; nempe delictum externum, laethale peccatum, et contumaciam; quae omnia in casu adfuerunt. Adfuit nempe acti notorietas, confirmata per tabellionis scripturam; adfuit contumacia quia nemo unquam obedivit; non defuit tandem culpa gravis; eoquod res esset de gravi offensione illata Episcopo, de assertionibus falsis, iuramento firmatis.

Et prosequitur admisso quoque quod res in se levis esset, tamen gravis evasit ob dignitatem Episcopi, ob personarum conditionem, et loci qualitatem; ita ut sententia omnino va-

lida retinenda sit. Quod autem ob res intrinsece leves, adiunctorum concursu tamen graves effectas, censurae infligi possint, auctor est Benedictus XIV *De Synod. Dioec. lib. 7 cap. 46 n. 1.* « *Verum contingere potest; ut res quae in se spectata levis esse videtur, gravis tamen appareat si circumstantiae perpendantur, quibus circumvestitur . . . . In hoc autem rerum eventu . . . licebit profecto etiam censurarum ense illum praecidere* ».

Verum, nedum intrinsece considerata, valida fuit sententia, sed etiam extrinsece, eoquod iudex formiter processit. Et re quidem vera ad interminandam censuram triplex requiritur monitio; quod factum fuisse ex actibus constat; nam Vicarius generalis citavit patrem Garciam, quem omnimode et pluries excitavit, ut puniret delictum notorium, probatum per tabellionis actum, quodque tale fuit ut frustraneam redderet quamlibet defensionem. Concessit etiam amplam facultatem sua protuendi iura, terque monuit de censura incurrenda.

Ut plenius evinceretur, Curiam maximam adhibuisse diligentiam procedendo adversus patrem Garciam, adiecit defensor, doctores omnes unanimes esse in hoc, ut Praelatus, quando agitur de accepta iniuria, possit eam punire censuris, *nullo iuris ordine servato, etiam sine ulla scripturae necessitate et oretenus – De Luca adnot. ad S. Conc. Trid. disc. 43 n. 4.*

Punire illico potest, locum non relinquendo ad appellationem, tantum remittendo censuram quatenus abstineatur ab iniuria; *De Luca Miscel. disc. 15 in fine.* Quod si aliqua adhibeatur figura iudicii, et talem irrogando censuram, nonnullam omiserit solemnitatem, tunc *utile per inutile non vitiatur; De Luca de iurisd. 46 n. 26.*

Quoad S. Lazari Superiorissam edicitur, excommunicationi subiectam fuisse, quia etsi formiter praemonita, egit contra decretum episcopale, cui censura adnexa erat. Quod vero ad alias poenas attinet, Vicarius generalis stricte, ait defensor, secutus est Tridentinum *Sess. 25 cap. 14.* Neque

dici valent excessivae pecuniariae multae si respiciantur divitiae quibus fruuntur personae multatae.

Pariter dici nequit Episcopum non potuisse procedere in exemptos; quia privilegium exemptionis limitibus non caret; quorum 47 enumerantur a Fagnano; inter quos cooptari meretur casus praesens. Fagnanus enim proposita sibi quaestione utrum Episcopus iurisdictione fruatur in exemptos, distinguit inter clericos saeculares et regulares exemptos. Inter regulares autem distinguit illos qui vivunt infra claustra, ab illis qui vivunt extra claustra. Pro illis qui vivunt intra claustra statuit principium, ut nullo modo subsint visitationi aut iurisdictioni Episcopi *de Offic. Ordinarii C. grave n. 34; verum prosequitur: excipiuntur casus infrascripti, in quibus regulares, etiam intra claustra degentes subsunt visitationi aut iurisdictioni Episcopi.* Quum ex his enumeraverit 33, prosequitur: *trigesimaquarta est in regularibus, qui etsi degant intra claustra, tamen extra ea notorie et cum scandalo delinquunt; hi enim puniri possunt ab Episcopo iuxta terminos c. 14 Sess. 25 de regul. et Constit. Clementes VIII editae 18 Martii 1596.* Praeterea alius adducitur casus, in quo cessat exemptio Regularium quoad Episcopum; *quando nempe Regulares in personam Episcopi delinquunt, Praelatorumve iurisdictionem turbant aut illos impediunt, ne munus suum exequantur. Hisce in casibus Sac. Congregatio censuit, eos citra ullam exceptionem per eosdem Ordinarios legitime coerceri et puniri posse.*

Adducitur praeterea auctoritas Barbosae *Parte 3 all. 105 de offic. et potest. Episcopi,* qui praeter quamplurimas resolutiones s. Cong. EE. et RR. dubium citat propositum utrum Episcopus bis aut ter praemonere debeat Superiorem, ut hic teneatur delinquentes punire. Dubio huic responsum datum fuit: satis esse Episcopum semel praemonere Superiorem. Superior vero, qui negligens esset, proprio Officio privari posset a suo Praelato *Reinffest. l. c.; Martha de iurisdict. p. 4 c. 82.* Quibus praemissis exposcit advocatus, ut Curiae sententia confirmetur, ne Episcopi auctoritus vilescat, dato

etiam quod rigide forma iudicii adhibita non fuerit in hac quaestione.

Hisce in utramque partem notatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo confirmandum vel revocandum sit decretum Curiae episcopalis habanensis diei 20 Septembris 1892 in casu.

Resolutio. Sacra C. Ep. et Reg. sub die 22 Augusti 1893 re disceptata respondere censuit: *Negative ad primam dubii partem: affirmative ad secundam et amplius. Insuper scribatur Episcopo ad mentem.*

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Episcopum Recinetensem et Lauretanum de celebranda memoria saeculi sexti expleti, ex quo illa Dioecesis nobilitatur almâ Domo B. M. V.

Communis gratulationis testis eademque laeta faustitatis nuncia, epistola quoque tua non ita pridem iucunda advenit. Placuit maxime, confirmatam abs te pientissime fiduciam Nostram, fore ut afflictis Ecclesiae rebus praesentiora Deus auxilia, Parentis suae sanctissimae gratiâ, velit submittere. Tu autem, cuius ecclesia Almâ Virginis Domo eximie nobilitatur, talis fiduciae praeclarius ais nitere auspicium ex appetente eiusdem sacrae Domus insigniore memoria, quod nempe saeculum iam conditur sextum quum munere tanto maiores nostri sunt primum dignati. Magna Nos voluntate hanc tecum et spem et laetitiam sociamus; utramque etiam cupimus omnino fovere. Quocirca hortari christianum populum et quaedam ei uberioris pietatis invitamenta praestare, ad preces tuas, censuimus, propriis datis Litteris Apostolicis, quarum exemplar una ad te cum hac epistola curavimus perferendum. Tu vero, Venerabilis Frater, in hoc proposito Nostro agnoscas velimus testimonium peculiaris benevolentiae, qua te complectimur, itemque praemium aliquod singularis sollertiae tuae, auctor qui fuisti eorumdem sollemnium

atque es impulsor praecipuus: ab ipsa dein beneficentissima Matre praemia referes digna. Iam ad felicem votorum exitum et ad copiam implorandam caelestium donorum, Apostolicam benedictionem tibi et Clero populoque tuo peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die XXV ian. an. MDCCCXCIV, pontificatus Nostri sextodecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE in forma Brevis, quibus privilegia et indulgentiae conceduntur.

Felix Nazarethana Domus, in qua designatam Dei Matrem Angelo salutante, *Verbum caro factum est,* inter sacerrima christianae fidei monumenta habetur merito et colitur, idque complura illustrant Decessorum diplomata et acta, munera et privilegia. Quae, uti testantur ecclesiae fasti, simul ac in Italiam ad Picentes, benignissimo Dei consilio, mire translata est atque in collibus Lauretanis ad venerandum patuit, in se continuo pia omnium vota et studia convertit tenuitque saeculorum decursu incensa. Commemorabile, quam frequentes undique magnificaeque peregrinationes sint eo loci deductae; quam splendide inaedificata ibidem Basilica, ornamentis artium sacrique cultus dignitate pernobilis; quam fauste circum, altera velut Nazareth, urbs nova in Virginis tutela succreverit. Auxerunt religionem loci et adeuntium aluere fiduciam plurima eaque permagna publice ac privatim beneficia, quibus inde, tamquam ex perenni fonte, profusis, invocatum Mariae nomen ita Deus extollere consuevit, ut ibi quam praeclarissime eveniat de ipsa oraculum: *Beatam me dicent omnes generationes.* Quorum memor gratia beneficiorum, a summis aeque ac ab infimis industria amoris multiplici declarata, videre et laetari licet ut in coronam gloriae capiti eius pulcherrimam quotidie efflorescat. — Nobis autem, qui iampridem, in alma ipsa Domo venerabundi, divinae Matris sensimus beneficia, nunc eo vel gratius accidit, quod consilio praecipue et navitate egregia Venerabilis Fratris Episcopi Recinetensis et Lauretani, alacritas quaedam animis late incessit, ad sollemnia singularia in decembrem proximum apparenda, sexto nimirum excedente saeculo, quam thesaurus ille in sinu Ecclesiae depositus auspicatissime est. Compertum sane habemus de propositis operibusque propterea initis iamque munifica

aemulatione provectis, eo praesertim ut Basilicae decor pristinus renovetur, amplificetur. Quibus Nos et adsimilibus rerum coeptis eorumque fautoribus laudem meritam impertientes, occasionem libenter capimus, ut religionem fidelium erga terrestre Familiae Sacrae domicilium peractaque in eo mysteria impensius excitemus. Intelligant omnes, Itali in primis, quale illud a Deo sit donum, et quantâ, sive providentia ab indigno dominatu ereptum, sive caritatis significatione ipsis oblatum. In ea namque beatissima sede initia humanae salutis dedicata sunt, magno et admirabili mysterio Dei hominis facti, reconciliantis genus perditum Patri et instaurantis omnia: quod quidem bonitatis tantae laetitiaeque mysterium materna Ecclesiae cura ter quotidie rite admonet recolendum. In eiusdem tenuitate recessus illa domesticae vitae et coniunctionis exempla, spectaculum angelis, floruere, ad quae familias omnes revocare et componere haud semel Nosmetipsi, Consociatione quoque in eam rem instituta, studuimus. Ex eo ipso augustiore sacrario ingens divinae gratiae copia et vis sanctimoniae in Ecclesiam profluxit; ibique insignis Caelitum numerus virtutis eximiae flammas vel conceperunt primitus vel ad excellentiora acuerunt. Quod igitur religiosissimis patribus extitit fidei decus et adiumentum, desiderium pietatis et gaudium, praesidium optimum divinae exorandae misericordiae, maneat ipsum aetati nostrae, maxime quum inclinatis omnibus perturbatisque rebus, nusquam ei, nisi a religione, quaeri possit firmamentum certum et allevatio. Per sacra vero saecularia Lauretana, quae incidunt opportuna, fideles universi, et suae ipsorum pietati et cohortationi Nostrae obtemperantes, gratam animorum laetitiam et summam spem Christo Domino sanctissimaeque Matri et Custodi providentissimo quibus possint modis probare contendant; in quo omnibus Italos antecellere aequissimum est. Ita optato fiat, ut singularis pietatis suae singularia emolumenta et sibi suisque percipiant, et, quod potissime expetendum, impetrent Ecclesiae, temporibus conflictatae tam asperis. Iamvero Nobis, hac etiam de causa, et peculiari celebritate rei considerata, visum est rogationem eiusdem Venerabilis Fratris admittere, ut saecularia ipsa sollemnia muneribus sacrae indulgentiae augeamus extra ordinem et decoremus. — Itaque de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, firmis integrisque manentibus privilegiis et gratiis a Decessoribus Nostris

Basilicae Lauretanae tributis, Nos plenissimam peccatorum omnium indulgentiam et remissionem in forma Iubilaei concedimus iis omnibus Christifidelibus, qui intra spatium temporis quod est a dominica prima sacri Adventus huiusce anni ad dominicam inclusive Sanctissimae Trinitatis anni proximi, haec quae infra scripta sunt perfecerint. Basilicam Lauretanam ter adeant, vel diebus distinctis vel uno eodemque die, ibique aliquandiu pro libertate et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, pro pace et unitate populi christiani, pro conversione peccatorum, pias ad Deum preces, secundum mentem Nostram, effundant; iidem uno die esurialibus tantum cibis utentes ieiunent, praeter dies ieiunio simili ex praecepto Ecclesiae consecratos; praeterea peccata sua rite confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipiant, atque eleemosynae nomine in pium aliquod opus quidquam conferant. Quam indulgentiam etiam animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari posse tribuimus. Incolis autem utriusque dioecesis Lauretanae et Recinetensis, quicumque sint, qui iusta aliqua causa impediantur quominus iniuncta opera vel eorum aliqua praestent, indulgemus ut ea Confessarii in alia pietatis opera commutent. Iis vero qui adveniant peregre, idest a regionibus extra utramque ipsam dioecesim, indulgemus ut praescriptum ieiunium eadem suppleat peregrinatio. Facimus etiam potestatem Confessariis dispensandi super Communione cum pueris nondum ad eam admissis. Insuper Confessariis omnibus legitime approbatis, in utraque tantum memorata dioecesi, hoc durante tempore et ad effectum Iubilaei lucrandi, omnes illas facultates largimur quas tribuimus per litteras Apostolicas *Pontifices maximi,* datas die XV mensis februarii an. MDCCCLXXIX, iis tamen omnibus exceptis, quae in eisdem litteris excepta sunt. Denique in spiritualem utilitatem universorum Christifidelium, eo ipso dumtaxat temporis spatio, concedimus omnibus et singulis, qui Litanias *Lauretanas* pie recitaverint, indulgentiam septennii semel in die; plenariam vero iis, qui easdem pie recitaverint quotidie per mensem, modo sint rite confessi et sacra Communione refecti, ceterisque de more conditionibus expletis: item concesso, ut hae quoque indulgentiae in suffragium cedant animabus purgatorio igni addictis. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in eccle-

siastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII ianuarii anno MDCCCXCIV Pontificatus Nostri XVI.

Pro Domino CARD. SERAFINI

NICOLAUS MARINI *Substitutus.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

RESCRIPTUM, quo conceditur indulgentia *centum dierum* Christifidelibus recitantibus orationem in honorem Pueri Iesu.

Bmo Padre

Il Rettore della Chiesa di Santa Maria in Aracoeli di quest' Alma Città supplica umilmente la S. V. affinchè si degni concedere una qualche Indulgenza a tutti i fedeli i quali reciteranno la qui sottoposta preghiera in onore di Gesù Bambino.

ORAZIONE A GESÙ BAMBINO

Amabilissimo nostro Signore Gesù Cristo, che fatto per noi Bambino voleste nascere in una grotta per liberarci dalle tenebre del peccato, per attirarci a Voi ed accenderci del vostro santo amore, vi adoriamo per nostro Creatore e Redentore; vi riconosciamo e vogliamo per nostro Re e Signore, e per tributo

Beatissime Pater

Rector Ecclesiae s. Mariae in *Aracoelis* huius almae Civitatis, humiliter exorat Sanctitatem Vestram, ut dignetur aliquam concedere Indulgentiam fidelibus qui sequentem recitabunt orationem in honorem infantis Iesus.

ORATIO AD IESUM INFANTEM

Amantissime Iesu Christe, Domine noster, qui pro nobis nasci dignatus es in praesepe, ut nos redimeres a peccati tenebris, ut nos ad te traheres, tuoque amore nos accenderes, Te adoramus uti Creatorem et Redemptorem nostrum; Te veluti Regem et Dominum habemus, et uti tributum tibi cun-

vi offeriamo tutti gli affetti del nostro povero cuore. Caro Gesù, Signore e Dio nostro, degnatevi di accettare quest' offerta, e affinchè sia degna del vostro gradimento perdonateci le nostre colpe, illuminateci, infiammateci di quel fuoco santo che siete venuto a portare nel mondo per accenderlo nei nostri cuori. Divenga in tal modo l'anima nostra un sacrificio perpetuo in vostro onore; fate che essa cerchi sempre la vostra maggior gloria qui in terra, affinchè venga un giorno a godere delle vostre infinite bellezze in Cielo. Così sia.

ctos offerimus cordis nostri affectus. O bone Iesu, Domine et Deus noster, hanc dignare accipere oblationem; et ut tuo beneplacito digna fiat, nostras ignosce culpas, illumina intellectum, nosque inflamma illo tuo igne, quem deferre in mundum venisti, ut in cordibus nostris accendatur. Sic fiat anima nostra iuge sacrificium ad honorem tuum; fac ut ipsa semper maiorem quaerat in terris gloriam tuam, ut tandem frui valeat in coelis tua infinita pulchritudine. Amen (1).

Che della grazia.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo Domino Nostro Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, universis Christifidelibus, corde saltem contrito, ac devote recitantibus supradictam Orationem, Indulgentiam *centum* dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam benigne concessit. Praesenti in *perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 18 Ianuarii 1894.

Fr. Ignatius Card. Persico *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Alexander Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

(1) Textus supplicis libelli et Orationis, italicus est; versio latina ex aliena manu concinnata fuit, iuxta consuetudinem harum ephemeridum.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM de elogio b. Ioannis Leonardi inserendo Martyrologio romano.

Saeculo decimo sexto, quo lues teterrima ia Ecclesiae christianaeque societatis perniciem ex perversis Lutheri et Calvini doctrinis erupit, Deus, cuius providentia omnia fortiter et suaviter gubernantur, plures sanctimoniâ et doctrinâ viros insignes excitavit. Huic praestantium virorum agmini merito ac iure adcensendus est Beatus Ioannes Leonardi, qui in Ecclesia Dei, velut lucerna in caliginoso loco splendens, in admirationem sui omnium animos oculosque convertit. Annos nempe natus sex supra viginti, statim ac a Deo ad ponendum ecclesiasticae militiae tyrocinium vocatus fuit, curis saecularibus nuncium alacriter remisit. Ad sacerdotium ex obedientia promotus, mirum quantum in aeternam hominum salutem incubuit. Eius apostolico zelo non modo in Lucensi Republica, sed etiam Romae et in aliis Italiae Dioecesibus primaeva christianorum pietas revixit. Per ipsum namque pueris hominibusque rudibus praecepta religionis explicata, homines flagitiosi ad tramitem iustitiae ac salutis reducti, puellae periclitantes in tuto positae fuerunt, et conciones ac Sacramentorum frequentia ab ipso incrementum acceperunt. Quo autem evaganti vitiorum licentiae bellum, tamquam fortis miles, indiceret, et homines ad omne pietatis officium excitaret, religiosum Clericorum sodalitium instituit, quod a Matre Dei nuncupari voluit. Quamvis in illo regendo atque amplificando multis esset curis districtus, alios tamen labores excipere pro Dei gloria non recusavit. Quum enim explorata esset eius in negotiis obeundis dexteritas, non solum ab Episcopis, verum etiam a Summis Pontificibus Sixto V, Clemente VIII et Paulo V ad dirimendas difficillimi generis quaestiones, ad nonnullasque religiosas familias reformandas vocatus fuit, cui sibi commisso muneri mirum in modum satisfecit. Inter tot tantaque quibus detinebatur negotia, graviter angebatur secum animo reputans tam multas gentes remotis in regionibus, Evangelii luce carentes sedere in tenebris et umbra mortis. Qua de re, initis cum clarissimo Praesule, cui praenomen Vives, consiliis, alacri animo fundamenta iecit praeclari illius Instituti, quod Ro-

manorum Pontificum impensis curisque amplificatum, proferendae per universum terrarum orbem Catholicae Fidei mirabiliter inservit. Iure itaque a Sancto Philippo Nerio verus populorum reformator dictus fuit, dignusque qui ab eodem passim Sanctus appellaretur. Miraculis post obitum a Deo eius sanctimonia illustrata, fel. rec. Pius Papa IX illum inter beatos Caelites die nona Iulii anno 1861 solemniter retulit. Hisce de causis Sacra de Propaganda Fide Congregatio grati animi, peculiarisque venerationis testimonia in tam praeclarissimum Virum pro re nata exhibere studuit. Nunc vero quum a Rmo P. Iosepho Mª. Flora Moderatore Generali et ab Alumnis Instituti Clericorum Regularium ab ipsomet Ioanne fundati supplices preces Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII porrectae fuerint, ut encomium ipsius Beati in Martyrologio Romano insereretur, quod nonnisi Sanctis de iure competit, Sacrum idem Consilium Fidei Propagandae hasce preces enixe commendare non dubitavit, ut Eius illustrior evaderet in Ecclesia memoria, qui tam impense ad eam per orbem amplificandam incubuit. Quocirca ab Emo et Rmo Dño Cardinali Camillo Mazzella, huiusce Causae Relatore, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, Elogium Martyrologio Romano inserendum pro opportuna approbatione propositum fuit. Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re maturo examine perpensa rescribere rati sunt: *Consulendum Sanctissimo pro gratia; et quoad Elogium approbandum, ad Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 19 Decembris anno 1893.

Facta de iis Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua propositum Elogium a praefato Emo Ponente cum R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, ut sequitur, revisum et emendatum, approbavit et in Martyrologio Romano inscribi mandavit; nempe: *VI Idus Octobris. Romae, Beati Ioannis Leonardi Confessoris, Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, laboribus ac miraculis clari; cuius operâ Missiones a Propaganda Fide institutae sunt.* Die 21 iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, S. R. C. *Secretarius.*

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIA de sacerdotibus spectaculo taurorum adsistentibus cum sacro oleo vel in circo vel prope.

Eminentissime Domine

Supposita consuetudine, quae in Hispania viget, tauros scilicet in circo agitandi, sciens Orator aliquibus in locis Sacerdotem in circum mitti, secum habentem Sacrum Oleum, ut si necessitas exposcat, Extremam Unctionem indigenti ministret, Civitatensis (Ciudad Rodrigo) Episcopus humiliter quaerit:

I. *Potesne Praelatus consentire quod Sacerdos spectaculo assistat, secum habens Sacrum Oleum?*

II. *Posito quod indecens appareat, in loco adeo profano rem tam sanctam haberi, possetne in alio loco proximo Sacrum Oleum, ad cautelam, asservari?*

III. *Potestne tolerari quod sacerdos, vi etiam consuetudinis, circo adsit?*

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondet:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Tolerari posse, ut in loco propinquo sacro vel saltem honesto et decenti, Sacrum Oleum asservetur, cauto ne ex sacri Olei praesentia ipse lusus approbari vel promoveri videatur, neque ex condicto fiat.*

Ad III. *Negative.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 19 septembris 1893.

N. Averardius S. P. *Reg.*

A. C. Martini S. P. *Secret.*

EX S. CONGR. R. ET U. INQUISITIONIS

De Patrino haeretico non admittendo.

In aliqua paroecia Hungariae accidit, ut mater a Fide Catholica apostataverit, quia parochus in baptizanda eiusdem prole patrinum haereticum, inhaerendo legibus Ecclesiae, reiecerit: quum vero ex declaratione Sacrae Poenitentiariae die 10 decembris 1860, ad 19 (1), notorie censuratus ad munus patrini admitti possit, si ex eius reiectione gravia damna imminere videantur; ac inde quaeritur: *Utrum haec declaratio etiam ad patrinos haereticos extendi possit; an vero praestet, sicut nonnulli volunt, in huiusmodi casibus difficilibus baptismum sine patrino administrare.*

Sacra Romana et Universalis Inquisitio, feria IV, die 3 maii 1893 respondere censuit:

Negative, et praestare ut baptismum conferatur sine patrino, si aliter fieri non possit.

(1) En textus responsionis Sacrae Poenitentiariae, de qua hic agitur:

Quomodo se gerere debeant parochi in celebratione matrimoniorum illorum, qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint?

Respondetur: Curandum pro viribus ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur; ac si reconciliari recusent, et, nisi matrimonium celebretur, gravia inde mala imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a Sancto Alphonso, libro 6, tractatu I, capitulo 2, numero 54, traduntur, ea declaret quae magis expedire in Domino iudicaverit, exclusa tamen semper missae celebratione.

Item: Quomodo se gerere debeant Episcopi et Parochi, si quis ex supradictis censurâ innodatis se sisteret, ut sive in Sacramento Confirmationis sive Baptismatis Patrinum gerat?

Respondetur: Ut in praecedenti.

LITTERAE in forma Brevis Sanctissimi D. N. Leonis XIII; quibus novae exhibentur instructiones quoad Canonicos ad honorem.

Die 29 Ianuarii 1894.

Illud est proprium humanarum institutionum et legum, ut nihil in eis sit tam bonum atque utile, quod vel consuetudo non mutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in militanti Ecclesia Dei, in qua cum absoluta ac perpetua immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit ut, quae olim iure meritoque in honore et in pretio habebantur, aliquando obsolescant, et quae bona in instituto erant, ea labens aetas faciat deteriora. Sub prima Ecclesiae exordia, cum sensus Christi in hominum mente arctius insidebat, Episcopos, quibus summa rerum gerendarum commissa erat, delectos Sacerdotes sibi socios addidisse memoriae traditum est, quorum consilio et ministerio in gravioribus Ecclesiae negotiis uterentur. Hi Sacerdotes, Assessores et quasi Episcopi Senatus, Canonici dicti sunt, ex eo quia in observandis regulis ecclesiasticis cautiores et diligentiores erant ceteris, et eam vitam vivebant, ut mensuram nominis implerent. Quamobrem pro certo habendum est ad conservandam ecclesiasticam disciplinam, Canonicorum dignitates ab initio fuisse constitutas ita, ut qui eas obtineret, id haberet oneris, ut operâ et officiis adiuvaret Episcopum, et in iis quae pertinent ad cultum et ad mores, sese tamquam exemplar clericis inferioribus impertiret. At temporibus nostris nonnulli sunt, qui pristinae institutionis immemores, Canonicorum collegia tamquam honoratorum ordines esse autumant, in quibus nullum onus, sed dignitatis tantum et honoris tituli inhaereant. Ex quo fit ut, cum humanum sit onus defugere, honores et dignitates appetere, non parvus sit numerus eorum, qui studeant, saltem honoris causa, inter Canonicos cooptari. Multae quidem ac plenae querelarum datae sunt ad nos litterae ab Episcopis, qui aegre ferunt honoribus et dignitatibus inhiare eos, qui sacerdotio aucti, deberent « aemu-« lari charismata meliora, terrena despicere, et nonnisi in Cruce « Domini Nostri Iesu Christi gloriari ». Sacerdotes autem huiusmodi, plerique iuniores, qui parum vel nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, tamquam tirones gloriosi veteranorum insignia atque ornamenta virtutis praemia appetentes, externos cir-

cumeunt Antistites, ut ab iis honoris insignia titulosque, a suis negatos, extorqueant. Nos, qui dignitatis insignibus eos potissimum honestandos censuimus Sacrorum administros, qui pietatis et doctrinae laudibus ceteros antecellunt, deque re christiana egregie sunt meriti, hanc super rem admonitiones Apostolicas atque instructiones, nominatim die decimo sexto mensis Septembris anno MDCCCLXXXIV per Sacram Congregationem, Tridentini Concilii (1) interpretem ac vindicem dedimus. Quum vero hisce diebus complures Sacrorum Antistites gravius conquesti sint eiusmodi honores, qui merentibus praemio, ceteris incitamento virtutis esse debent, non raro ipsis Ordinariis insciis, atque interdum haud dignioribus conferri; Nos, quo in posterum quilibet in tali re abusus auferatur, rogata Sacrorum Rituum Congregationis sententia, suprema Auctoritate Nostra statuimus, decrevimus: I. Episcopus, seu Ordinarius, ecclesiasticum quempiam virum alienae dioeceseos Canonicum ad honorem nominaturus, praeter Capituli sui consensum, Ordinarii, cui nominandus subiicitur, notitiam et votum obtineat, eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur. II. Canonici ad honorem extra dioecesim, in qua nominati sunt, degentes, numero sint tertia parte minores cunctis Canonicis a Pontificiis Constitutionibus respectivae Basilicae, sive Ecclesiae Metropolitanae, aut Cathedrali, vel Collegiatae adsignatis. III. Canonici ad honorem alicuius minoris Basilicae, vel Ecclesiae Collegiatae almae Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra respectivae Basilicae vel Collegiatae, eiusque Filialium Ecclesiarum ambitum, ubi Canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicuius Metropolitanae, vel Cathedralis, aut Collegiatae Ecclesiae, seu Basilicae minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in Dioecesi, ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium. IV. Haec omnia serventur quoque a Canonicis ad honorem usque ad hanc diem nominatis. Ita volumus, edicimus, decernentes has litteras Nostras firmas sartasque, uti sunt, ita in posterum permanere: irritum vero et inane futurum decernentes si quid super his a quoquam contigerit attentari: non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et quibusvis specialibus

(1) Hae litterae relatae fuerunt Vol. XVII, 554.

vel generalibus Apostolicis Constitutionibus ac Privilegiis, gratiis et indultis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, et Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis clausulis et decretis quibusvis Capitulis, Collegiis ac etiam peculiaribus personis quacumque ecclesiastica dignitate pollentibus, quocumque tempore etiam per Nos concessis, nec non quibusvis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine derogando, ac derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX Ianuarii MDCCCXCIV. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

M. CARD. RAMPOLLA.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MELEVITANA

MATRIMONII

Die 9 Septembris 1893.

Sess. 24 cap. 5 De refor. matrim.

COMPENDIUM FACTI. Iudith Azzopardi, domo Casal Musta in dioecesi Melevitana, cum 24 aetatis suae annum ageret, rite in ecclesia paroeciali praedicti loci matrimonio se iunxit Iosepho Attard, tunc 23 annos nato.

Verum contubernium a neo-coniugibus statim post nuptiarum celebrationem instauratum, neque diuturnum fuit, neque pacificum. Siquidem, mulier, elapsis vix quindecim a suscepta cohabitatione diebus, virum suum dereliquit, ac penes quemdam Antonium Grech, cum quo et antea inhonestas relationes habuisse ferebatur, se recepit, ac ex eo filios procreavit. Notandum praeterea est, praefatum Antonium Grech,

qui iam a die 6 Maii 1888 defunctus fuit, fratrem extitisse Margaritae Grech matris Iosephi Attard atque huic proinde secundo consanguinitatis gradu devinctum esse.

Labente mense Novembri anni 1887 ad S. C. C. remissae fuerunt preces Iudithae Azzopardi, Supremo Principi oblatae, in quibus oratrix expetebat declarationem nullitatis sui matrimonii, ob impedimentum dirimens, cuius dispensatio, ab Apostolica Sede neque petita, neque concessa unquam fuerat.

Statim preces remissae fuerunt administratori apostolico Melevitano *pro informatione et voto, audito viro*. Ast res diu haesit neque responsum habitum est ante diem 12 Decembris 1890, cum novus Antistes Melitensis haec Emo Praefecto referebat: veras esse preces et per plures testes probatum fuisse, oratricem revera copulam carnalem perfectam habuisse cum fratre matris sui mariti: ex qua coniuges fiebant affines in secundo gradu ob illicitam copulam.

Die 21 Ianuarii 1891 rescriptum fuit: « *Episcopo, qui conficere curaret processum super asserto nullitatis capite, servata forma Constitutionis Benedicti XIV - Dei Miseratione etc.* » Quae iussa faciens Praesul, die 27 Aprilis eiusdem anni deputavit matrimonii defensorem eiusque iuramentum de suo munere fideliter obeundo die 4 insequentis Maii excepit. Haud bene ex actis liquet, num iuxta formam a iure requisitam institutum et peractum fuerit iudicium: deest enim accurata sessionum descriptio, quae a cancellario in similibus processibus exarari solet. Videtur mulier pluries in iudicio una cum procuratore suo sistitisse, quae in libello exposuerat confirmans: ast non apparet, eam fuisse rite interrogatam, nec de emisso iuramento occurrit verbum. Vir, licet citatus, comparere renuit, ac proinde contumax declaratus fuit. Verum Matrimonii defensor excipiendam censuit declarationem ab eo in Curia emissam die 25 Octobris 1890, quae ita actibus inserta est. Verumtamen cum in fine processus refertur petitio mulieris pro obtinenda declaratione matrimonii ab eius patrono exhibita, haec verba in calce inveniuntur a cancellario subscripta: « Die 17 Octobris 1891.

Comparet Ioseph Attard et praesens declarat ac confirmat omnia contenta in hoc supplici libello. » Postea sub sacramenti sanctitate habita sunt testimonia patris Iudithae aliorumque trium ab eadem inductorum. Praeterea actorum fasciculo additum reperitur schema genealogicum consanguineitatem Antonii Grech cum Iosepho Attard comprobans, nec non scriptae attestationes officialis Regesti publici civitatis *Valletta* et parochi *Casal Musta*, ex quibus eruitur Iuditham Azzopardi die 24 Iulii 1875 in hospitali S. Spiritus ex ignoto peperisse infantulam, hancque die 21 Ianuarii 1877 obiisse.

Absoluto processu, Episcopus die 24 Octobris 1891 sensentiam dixit « matrimonium initum die 9 Ianuarii 1876 in paroeciali ecclesia Terrae *Musta* inter ipsum Iosephum Attard et Iuditham Azzopardi nullum ac irritum omnino esse. » A qua quidem sententia matrimonii defensor, ceu in iure praescribitur, appellavit.

Disceptatio synoptica.

Votum Theologi. Ex superius relatis, ait iste, cuique manifestum esse puto in praesenti causa de matrimonio rite coram Ecclesia celebrato, et opere consumato pertractari, necnon de impedimentis matrimonium ipsum dirimentibus, de cognatione scilicet, et de affinitate ex copula illicita proveniente; cum ex documentis liquido constet sponsum coniunctum fuisse in secundo lineae collateralis gradu cum Antonio Grech ipsius avunculo; qui non solum copulam illicitam et completam habuerat cum futura sponsa Iuditha, sed et prolem ab eadem susceperat ante matrimonii celebrationem; nulla prius petita et obtenta apostolica dispensatione. Cum ergo res ita se habeat, praesens causa praecipue in eo consistit ut clare sequentia probentur: nempe 1. Iosephum Attard nepotem ex parte matris fuisse Antonii Grech. 2. Ipsum Antonium copulam completam revera habuisse cum Iuditha Attard ante ipsius matrimonii celebrationem, ex qua affinitas in secundo gradu originem habuit. 3. Nullam huius affini-

tatis apostolicam dispensationem interfuisse. Quae omnia adamussim ex actis processualibus breviter demonstrantur. Et revera documenta in processu allata, ex libris parochialibus baptismatum et matrimoniorum deprompta, evidenter demonstrant, Antonium Grech verum esse germanum fratrem genitricis Iosephi Attard, et consequenter ex parte matris vere esse nepotem Antonii Grech; ideoque veram cognationem in secundo gradu lineae lateralis inter primum et secundum interfuisse manifestum est. Cognatio siquidem communiter a Theologis et Canonistis ex S. Thoma *in 4. dist. 40 art. 1* definitur: « Vinculum personarum ab eodem stipite proximo per carnalem generationem descendentium, quod scilicet exurgit ex unitate et participatione eiusdem sanguinis. »

Cognatio autem, seu consanguinitas matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive, ad quem gradum dictum impedimentum restrictum fuit in Concilio Lateranensi quarto sub Innocentio III, ut constat ex Cap. *Non debet 8, De consanguin. et affinit.* his verbis: « Prohibitio quoque copulae coniugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum non excedat, quoniam in ulterius gradibus iam non potest absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter observari. » Affinitas vero, quatenus matrimonium dirimit, est « propinquitas porsonarum quarumdam, orta ex copula carnali completa, sive licita, sive illicita. Fundamentum habet in eo quod duo fiunt una caro; et sic unus consanguineos alterius tangere censetur: et ideo affinitatem, sicut et consanguinitatem contrahunt etiam infideles, qui ad fidem conversi cum tali impedimento coniungi non possunt sine dispensatione. Dixi propinquitas quarundam personarum, quia haec propinquitas oritur tantum inter consanguineos viri qui cognovit mulierem, ac mulierem ipsam; ut in casu nostro inter sponsam Iosephi Attard, et consanguineos avunculi ipsius sponsi, scilicet Antonii Grech, qui carnale commercium et prolem habuit cum Iuditha, postea in matrimonium tradita ab eodem Antonio Grech ipsius nepoti Iosepho Attard, nulla obtempta dispensatione. Oritur etiam affinitas inter consanguineos mu-

lieris ac ipsum virum qui cum ea copulam habuit. Dicitur 2. ex copula carnali completa, idest ad producendam generationem sufficiente, 3. dicitur sive licita, hoc est ex matrimonio legitime contracto; sive illicita, nempe orta ex fornicatione, adulterio, incestu.

Ex superius dictis manifestum est, affinitatem ex copula licita, usque ad quartum gradum se extendere; illa vero quae ex copula illicita provenit, ultra secundum non procedit iuxta Tridentini doctrinam in *Session. 24, c. 4 De matrim. reformatione.* Ergo iuxta communem catholicae Ecclesiae doctrinam, et authentica documenta, in processu evidenter exposita, indubitanter apparet cognatio in secundo lineae lateralis gradu inter Iosephum Attard et Antonium Grech eius avunculum. Quo posito fundamento positivum factum attente perpendamus, nempe an revera ante huius matrimonii celebrationem, copula carnalis completa, et ad generationem apta interfuerit inter dictum Antonium sponsi avunculum, et Iuditham Iosephi Attard sponsam. Qua in re praeter utriusque coniugis confessionem in iudicio factam, et iuramenti sanctitate firmatam, praesto sunt duo testes omni exceptione maiores, qui hoc idem manifeste adstruunt, scilicet Antonius Grech, sponsi avunculus qui die 15 Martii 1888 palam sub iuramento deposuit se vere inhonestas relationes cum Iuditha habuisse, et copulam cum ea ad generationem aptam consummasse; quod pariter sub iuramento deposuerunt Ioseph Azzopardi ipsius sponsae pater, necnon Reverendus Dominus Petrus Magei sacerdos, cui extra confessionem narratum fuit ab eadem sponsa paucis diebus post matrimonium. De confessione autem utriusque coniugis liceat prae ceteris sequentia breviter innuere. Et primo quidem sponsus die 15 Octobris 1890 in iudicio sub iuramenti sanctitate fassus est quod post quindecim dies a matrimonii celebratione, et cohabitatione cum sua sponsa, nulla habita prole, ab eadem e domo expulsus fuit, eo quod inhonestas relationes et prolem habuisset cum suo avunculo Antonio Grech, cum quo iterum cohabitavit, iterumque prolem habuit. Sponsa vero, quae

saepe suum crimen fateri non erubuit, eadem die 15 in iudicio declaravit velle potius in prostitutionis statu permanere, quam sui matrimonii revalidationem quaerere.

Pater autem sponsae suo testimonio omnia haec confirmavit.

Ex quibus verbis etsi aperte monstretur Iuditham Attard priusquam matrimonium contraheret, non solum inhonestas relationes, sed etiam prolem habuisse ex viro, coniugi suo Iosepho in secundo gradu coniuncto, et consequenter pateat affinitas in secundo gradu ex copula illicita proveniens; miror tamen quod Curia Meliten. huius avunculi nomen silere permiserit, et in processu sequentia tantum verba expresserit: « il precedente testimonio ». Sacra Congregatio Concilii hac de re admonita eidem Curiae melitensi pro opportuna declaratione scripsit, quae adhuc desideratur.

Alii testes omnia confirmarunt, quae exposita fuerunt. Ex testium ergo depositionibus manifeste eruitur 1. carnale commercium Antonii Grech cum Iuditha Attard. 2. Dictum commercium ante matrimonii celebrationem locum habuisse. 3. Veram cognationem interfuisse in secundo gradu inter Antonium Grech, et sponsum Iosephum Attard, veramque affinitatem pariter in secundo gradu ob illicitam copulam, matrimonii celebrationem praecedentem, inter sponsam et avunculum nempe sponsi. 4. Ex praedicto illicito commercio prolem exortam fuisse, ex Iuditha die 24 Iulii 1875, cui imposita fuerunt nomina Anna, Catarina, Maria, quae in hospitali S. Spiritus die 16 Decembris eiusdem anni recepta fuit. 5. Tandem eruitur quod non solum illicitum commercium, sed etiam prolis nativitas matrimonii celebrationem praecesserit, cum proles in lucem venerit, ut dixi, die 24 Iulii 1875, et matrimonium initum fuerit die 9 Ianuarii sequentis anni 1876. Quae denique proles illegitima in Castro Mustae decessit die 21 Ianuarii 1877, uti ex authentico documento evidenter constat.

Ut autem recto ordine omnia procedant in re tanti momenti, inquirendum nunc esset an recensiti impedimenti di-

rimentis petita et obtenta fuerit apostolica dispensatio. Qua super re verba facturus paucis me expediam : hoc enim expressis verbis fatentur ipsi coniuges, qui etiamnum omnem dispensationem absolute recusant et despiciunt; sed praecipue ipsa Archiepiscopalis Melitensis Curia de non petita et obtenta dispensatione manifestum nobis perhibet testimonium in promenda huius matrimonii nullitatis sententia, quae sequentibus exprimitur verbis, videlicet: « Visis litteris S. C. Concilii diei 25 Ianuarii 1891, quibus iniungebatur confici processum in hac magna Curia Episcopali, super asserta nullitate matrimonii Iudith Azzopardi cum Iosepho Attard initi die 9 Ianuarii 1876, in S. Archipresbyterali et parochiali ecclesia Terrae Musta huius dioecesis. Viso supplici libello nobis porrecto quo exponebatur ipsam ante huiusmodi matrimonii celebrationem, illicitas habuisse relationes cum Antonio *patruo* praedicti Iosephi Attard, ex quibus prolem etiam suscepit, quin opportunam dispensationem a S. Sede ante matrimonii celebrationem obtinuerint. Perspectis iteratis instantiis eiusdem Iudith Azzopardi versus Iosephum Attard, et Dominum matrimonii Defensorem pro declaratione, ut supra, nullitatis matrimonii de quo. Rite perpensis depositionibus iuratis testium productorum: constitoque de vera existentia inhonestarum relationum inter dictam Iuditham, et Antonium Grech *patruum* dicti Iosephi Attard, ex quibus ante celebrationem matrimonii initi, ut supra die 9 Ianuarii 1876 Iudith, infantem nomine Annam die 24 Iulii 1876 in lucem edidit. Iustificatis gradibus in arbore, ut aiunt, genealogica liquido expressis, primo nempe et secundo consanguinitatis inter Antonium Grech et Iosephum Attard, ac consequenter secundo affinitatis ex copula illicita inter Iosephum Attard et Iudith Azzoppardi reputatos coniuges.

Constito tandem ex documentis allatis huiusmodi affinitatem reapse contractam fuisse ante celebrationem matrimonii, et interim praefatos Iosephum Attard et Iuditham Azzopardi matrimonium contraxisse absque dispensatione ab hoc impedimento dirimente. Visis hisce omnibus, aliisque de iure vi-

dendis, et declaramus....., matrimonium initum die 9 Ianuarii 1876 in parochiali ecclesia Terrae Musta inter Iosephum Attard, et Iudith Azzopardi nullum, ac irritum, omnino esse ». Praedictam sententiam ex superius hucusque relatis mihi confirmandam esse videtur, et ideo SSmo consulendum esse puto pro declaratione nullitatis in casu. Eo vel magis quod graves etiam rationes id expostulare videntur; nempe 1. singularis animorum alienatio: 2. utriusque coniugis spiritualis utilitas: 3. moralis impossibilitas eosdem coniuges cogendi ad apostolicam dispensationem acceptandam. Haec omnia Summi Pontifices ab antiquis temporibus serio perpendentes, pro gratia indulserunt ad proximi bonum spirituale et temporale procurandum. Quapropter ad rem Coscius, *lib. 3, De separat. tori, c. 2, n. 106,* ait: « Munus enim Summi Pontificis esse huiusmodi remedio providendi coniugum quieti et saluti tum temporali, auferendi peccatorum occasionem, et animarum fidelium periculis occurrendi. »

Votum canonistae. Causa matrimonialis mihi proposita, ait consultor, aut nullam aut levem praesefert difficultatem. Nec ulla fuisset eam proponendi ratio, nisi matrimonialis vinculi vindex, ab Episcopo designatus, cum nullum occurreret argumentum, quo validitatem coniugii defenderet, ad S. Sedem appellavisset. Quamobrem censeo matrimonium hoc fuisse invalidum ab initio, nullumque esse locum eius revalidationi.

Expedit primo loco, unicam obiectionem diluere, quam ex actis huius causae eruere potui, ait Consultor. Unicam dico, quia matrimonialis vinculi vindex non aliam invenit, nec poterat invenire. Affirmat validum fuisse coniugium, licet praecesserit illicita copula, eo quia contractum est bona fide, et impedimenti dirimentis, ex parte contrahentium, nulla suspicio erat, nullaque dubitatio. Miror autem curnam huic argumento satis infirmo addere praetermiserit, impedimentum affinitatis ex illicita copula ecclesiastico iure esse sancitum, proindeque vim suam amittere apud eos qui illud ignorant. Sed noluit ille huic argumento insistere, et satius duxit appellationem interponere ad apostolicam Sedem, ut re melius

expensa, melius atque validius, invaliditas matrimonii declaretur.

Nec immerito insistere noluit: sciebat enim impedimenta dirimentia semper suos effectus sortiri, etiamsi ignorata, cum non in poenam introducta sint atque sancita, sed ad removendam et propulsandam quamlibet inhonestatis umbram. Unde illa operantur sicut irregularitates, quae etiam ignorantes afficere solent, qui notabili defectu laborant a iure canonico contemplato. Inter Doctores lis est quoad impedimentum criminis, an contrahatur ab ignorante, et eorum dissensio recentius novo ardore excitata est. Verum etiam admissa opinione, quae retinet impedimentum criminis ignoratum, irritum non reddere matrimonium, nostra non interest, cum species facti huic Congregationi proposita, alia diversaque sit.

Difficultate sublata, quae a matrimonii vindice opponitur, videndum nunc est, an Iuditha veram perfectamque habuerit copulam cum Antonio Grech, cuius vi affinitatem cum Iosepho contraxit, antequam matrimonium cum postremo iniret. Ioseph enim esse nepotem Antonii ex parte matris, ex arbore genealogico constat, unde in re tam clara et evidenti diutius immorandum non esse puto. Antonius enim Grech Frater est Margaritae, matris Iosephi Attard. Unde Iuditha copulam cum Antonio admittens, facta est Iosepho affinis in gradu qui coniugium invalidum reddit.

Iam sumus in re in qua vertitur cardo quaestionis. Porro non de copula ipsa habita a Iuditha quaestio esse potest; neque an fuerit perfecta, commixtioque seminum intervenerit, si commixtio est necessaria ut exigit D. Thomas *(3 p. q. 55 a. 4 ad 2)*, consentiente Zachia, *lib. VII, 2, v. 3 q. 1, n. 16*, nam proles nata est; sed an cum Antonio convenerit, et proles inde nata, Antonio non tertio sit adscribenda. Insuper non quaevis probatio sat est, sed quae moralem pariat certitudinem, eo magis quia, ut ait Gasparri, hic agitur non de coniugio simpliciter impediendo, sed de solvendo iam contracto, quod iure divino indissolubile est. Hinc ne in re tam

gravi, quidpiam praecipitanter dicatur, praxis est huius S. Congregationis, talia exigere argumenta, quae moralem certitudinem pariant, ut laudatus auctor advertit, *Tract. Can. Fer. 1, N. 686.* Testes autem debent esse *omni exceptione maiores* cap. *ex Litteris 1, de Consang. et aff.*, necnon ex cap. *Licet ex quadam 17, de Test. et attestat.*

Iamvero Ioseph Attard, Iuditham relationes illicitas cum Antonio Grech patruo suo habuisse, iureiurando affirmat. Ipsa Iuditha eas inficias ire non audet, quinimmo in suo supplici libello ad Curiam melitensem dato, illicitas relationes admittit, addens Antonii opere matrem effectam fuisse. Cum Antonio ergo perfectam atque completam habuit copulam, priusquam nuptias cum Iosepho celebraret. Erat ergo Iosepho affinis, et absque dispensatione apostolica, cum eodem coniugium inire nequibat; interim dispensatio essentialiter requisita desideratur.

Forte aliquis dicet, testificationem Iudithae esse suspectam, nulliusque valoris eius assertum. Ideo enim propriam turpitudinem mulier male morata revelare non erubescit, quia matrimonii solutionem ardentissime avet, ut a marito etiam quoad vinculum separata liberiori vitae indulgeat. Siquidem addere non veretur, se malle meretricium exercere quam ad maritum reverti, et individuam vitae consuetudinem restaurare. Haec animi dispositio, a muliere inverecunda concepta, abunde ostendit, Iuditham ad omnia paratam esse, etiam ad mendacium sacrilegum proferendum, dummodo quod inhoneste desiderat consequatur. Quam ergo fidem illa meretur? Nonne, si non falsa, dubia saltem dicenda est testificatio Iudithae, quamvis iuramento firmata?

Si testificatio Iudithae, prout sonat, consideretur, et adiunctis omnibus expoliata, quae eamdem veracem esse insinuant, dubio procul dolosa dicenda est, et nulli facienda quippe quae a muliere inhonesta prolata. Ast nec fraudulenta, nec falsa iudicabitur, si ea prae oculis habeamus, quae a Iuditha peracta sunt. Post quindecim dies ab inito matrimonio, Iuditha domum et thorum maritalem deseruit. Quae-

nam causa eam impulerit, ut hanc determinationem incongruam executioni mandaret, non constat, saltem aperte: ast ex eius agendi ratione eam arguere possumus. Iosepho relicto, ad domum Antonii Grech se recepit. Curnam non ad domesticos lares accurrit, prout decebat iuvenem bene moratam, patris non immemorem sui? Cur non ad parentes perrexit, eorum protectionem impetratura? Cur praeferre maluit domum Antonii? Aliqua causa movens adfuit sane. Porro non aliam invenio, nisi hanc, quia scilicet impudico amoris glutine cum Antonio detinebatur. Effectus enim sine causa esse non potest. Et nisi ab Antonii amore praeventam admittimus, determinatio Iudithae non intelligitur. Haec circumstantia me maxime movet, quam si non nossem, et ex actis non eruerem, Iudithae testificationem falsam edicerem etiam iuramento firmatam, nulloque modo attendendam esse iudicarem: sed notata circumstantia vestitam, veram iudico, et admittendam esse puto.

Revera Iuditham inhonestos fovisse amores antequam nuberet Iosepho Attardio, etiam ex prole colligitur, quam inde habuit. Ast quo auctore, Iuditha mater effecta est? nulla divinatione procedimus, cum moraliter certum sit, unum Antonium Grech esse patrem puellae.

De copula habita nedum Ioseph et Iuditha testantur, sed alii quoque idipsum affirmant, et testes sunt fide digni, et a mendacio alieni.

Inter alios pater omnem fidem meretur, quippe qui omni exceptione est maior. At ut magis ac magis probandi vis innotescat ex adducta revelatione iurata, difficultas praetereunda non est, quae ex cap. *Super eo 22, de Test. et attestat.* erui potest. Ibi enim edicitur testimonium matris esse suspectum, *et ideo non esse aliquatenus admittendum*. Cum vero in iure pater et mater aequiparentur, consequens est utriusque testimonium eodem posse laborare defectu, et si testimonium matris aliquando excluditur, non est ratio, curnam testificatio patris exceptionem pati non debeat. Difficultatem potius ad exercitium opposui, atque ut occasionem

mihimet procurarem melius urgendi probandi vim, quae ex allato patris testimonio colligitur. Interim difficultas ex ipso capite *Super eo* diluitur, ubi redditur ratio curnam in illo casu speciali Alexander III iudicaverit testimonium matris esse *suspectum*, et non esse aliquatenus admittendum. Ibi enim agebatur de utilitate non modica, quam filia ex testimonio matris sibi contrario poterat reportare : hic vero pater nullum emolumentum aut pro se aut pro filia sperare poterat, etenim ex sui attestatione, et sibi et filiae notam procurabat infamiae. Par itaque ratio non est in utriusque facti specie. Ibi enim mater ad testificationem poterat utilitate compelli, hic vero pater ex naturali amore in filiam, et ne eamdem infamiae nota inureret, aut reticere debuisset et quoad eius conversationem altum servare silentium, aut si utilitate movebatur, aliter loqui.

Haec luce clarius ostendunt illicitam copulam habuisse Iuditham cum Antonio Grech, ac proinde affinitatis impedimentum fuisse a Iuditha contractum, ita ut sine apostolica dispensatione non poterat matrimonium inire cum Iosepho Attardio.

Cum res ita se habeat, si partes, matrimonii vinculo invalide copulato, dispensationem ab impedimento dirimente et matrimonium sanare non abnuerent, id consulendum foret. Sed utraque pars a dispensatione petenda recusat. Iosephus quidem quia apud se Iuditham detinere non vult, quam expertus est infidelem, nec moribus immutatam sperare potest. Iuditha autem, cui vita et conversatio liberior non displicet; eo magis quia male morata, iam sine affectione est, et sine corde quo fit ut ab individua vitae consuetudine omnino refugiat. Proinde nil aliud restat nisi matrimonium invalidum declarare.

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Curia episcopalis in Iudithae vota concessit, ait defensor, eique suffragantur consultores eximii theologus et canonista. Ast eorum opinio monumentis innititur apprime fragilibus. Iudiciales enim tabulae vel nullae omnino sunt, vel tot scatent vitiis, ut nil certi ac praefiniti ex iis erumpat.

Re namque vera cancellarius quaecunque in iudicio gesta dictaque sunt exscribere supervacaneum censuit, sed unum alterumve factum, prout sibi visum est, actis inseruit.

Nec magis officii sui memorem se exhibuit sacramenti vindex. Speciminis ergo: Defensor, attenta difficultate arcessendi Iosephum apud episcopalem curiam, declarat excipere confessionem ab ipso Iosepho factam in illa Curia die 25 Octobris 1890, et exhibitam die 19 Iunii 1891.

Quo, quaeram, iure matrimonii assertor, cuius est singulis actis inquisitionis praesens adesse, accepto habere potuit confessionem a Iosepho Attard emissam die 25 Octobris 1890, idest septem menses antequam ipse defensoris matrimonii munus in se susciperet?

Sed potiusquam de hisce solicitum se exhibere vinculi defensor, Iosepho in memoriam revocare debebat onus ad iudicem accedendi, ut coram eo nitide profiteretur quidquid circa matrimonii valorem cognoscit, et quatenus assertum impedimentum minime existit vel relaxatum est, matrimonii cassationi ex debito conscientiae resisteret.

Vituperanda nec minus est incuria, qua paucissimos testes excussit: in talibus iudicialibus desideratur depositio testis, ad quem Ioseph Azzopardi se refert. Ioseph Azzopardi adducendus omnino erat ad enucleandam *causam scientiae;* quaerendum scilicet erat quomodo sciret illicitos filiae tractus « *col precedente testimonio* »; et cuiusnam naturae ii tractus forent. Praeterea iudiciale ad examen vocandus erat praefatus Petrus Magri.

Paucis, ut scire possimus an reapse intercesserit tum temporis assertum affinitatis impedimentum, formali examini supponendi sunt ambo coniuges et *septima manus,* necnon parochus tum temporis coniugum proprius, atque alii omnes, qui quidquam ad rem referre possent, ad tramites instructionis a S. C. C. die 22 Augusti 1840.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Episcopi Melevitani die 24 Octobris 1891 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 9 Septembris 1893, censuit respondere: *Praevia sanatione actorum, sententiam esse confirmandam.*

CIVITAS CASTELLI

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 9 Septembris 1893.

Sess. 24 cap. 5 De reform. matr.

Compendium facti. Vix attigerat 17 aetatis annum Mathildes Tomassini, quum die 7 Iunii 1886 in Cathedrali Basilica Civitatis Castelli iuxta ritum S. R. E. laeta nupsit Decio Tocchi perusino. Mutuus coniugum amor et concors eorum indoles faustum huius matrimonii exitum ominabantur; sed contra accidit. Mulier enim, ut ipsa asseverat, post prima consummationis matrimonii tentamina, per duos continuos menses inutiliter repetita, animi aversionem concipere coepit erga virum suum, quem ad coniugii opus impotentem semper sentiebat. Cum eo tamen cohabitare perrexit usque ad diem 18 Septembris 1888, qua, maritale relinquens domicilium, apud patrem Tiferni commorantem se contulit. Adivit deinde civile tribunal, et coram eo, viri impotentiam accusans, pro perpetua institit separatione.

Vir autem, qui aegro prorsus tulerat animo mulieris discessum, nihilque iam praetermiserat ut eam ad cohabitationem restaurandam induceret, totis nervis praefatae iudiciali petitioni restitit coram eodem tribunali, quod inspectionem quoque sui corporis decreverat et tres ad hoc peritos designaverat. Per annum ferme dimicavit; sed tandem uxoris petitioni consensit, quibusdam cum ea prius concordatis con-

ditionibus, quarum secunda ita se habet: vir convenit suâ culpâ advenisse separationem; et ideo ius non habere ad lucra dotalia, et cetera quae oriri possent ex contractu matrimoniali. Tribunal vero ratam habens voluntariam huiusmodi separationem, die 4 Decembris 1890 relativam approbationis sententiam edidit.

Biennio post hanc separationis sententiam, ad Sanctissimum confugit Mathildes, enixe supplicans pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato; et Episcopus, cui de more ablegatus fuit supplex libellus, processum conficere curavit per Iudicem delegatum, qui ad examen imprimis vocavit ipsam actricem, quae iurata asseruit matrimonii inconsummationem; testes deinde septimae manus actricis excussit, qui iurati pariter in eiusdem actricis favorem deposuerunt; ac demum, viro in iudicium comparere recusante, corporalem mulieris inspectionem fieri mandavit a duobus medicis, qui, munere expleto, adstante matrona, ac praevio balneo tepentis aquae, sub iuramenti fide eamdem mulierem unanimi suffragio virginem renuntiarunt.

Disceptatio Synoptica.

Defensio mulieris. Qui actricis defensionem suscepit, praemissa factorum narratione, duas in partes orationem suam dispescit, in quarum prima de matrimonii inconsummatione, et de dispensandi causis in altera agit. Et a primo capite exordiens, praenotare satagit, contumaciam unius ex coniugibus nullum alteri praeiudicium afferre posse, quum aliunde de matrimonii inconsummatione indubitanter constat. Idque certum esse, ait, ex huius S. C. praxi, cuius ad exemplum allegat *Spoletanam Matrim. 20 Decembris 1873, 8 Iulii et 2 Septembris 1876; Tergestinam Matrim. 10 Iunii, 5 Augusti et 16 Decembris 1876;* et *Versaliensem Matrim. 10 Decembris 1892.* – in quibus dispensatio super matrimonio rato et non consummato indulta fuit, licet contumax extitisset unus ex sponsis.

Fortius autem huiusmodi praxim in themate urgendam esse subdit Orator, quia talis ac tanta argumentorum copia habetur, ut ne minimum quidem dubium de matrimonii inconsummatione superesse possit. Imprimis enim Mathildes nedum asseveravit in supplici dispensationis libello, tentamina consummationis matrimonii in irritum ob viri impotentiam cessisse et ideo in statu virginitatis permanere, verum etiam in iudiciali examine iurata fassa est, matrimonium ob viri impotentiam numquam consummatum fuisse, et separationem a viro suo locum habuisse praecise ob eiusmodi viri impotentiam.

Quam quidem confessionem plurimi faciendam esse, pergit Defensor, propter singularem actricis probitatem ac religionem unanimi suffragio laudatam. Episcopus enimvero supplicem Mathildis libellum commendat ob illius honestatem, de qua Parochus, aliique tum de clero, tum saeculares fidem faciunt.

Causam praeterea inconsummationis matrimonii inquirit Orator, eamque nonnisi ex viri impotentia repetendam esse censet. Sententiam hanc roborat per depositiones testium, qui omnem merentur fidem.

Nec satis. Ipse vir in duabus epistolis, quarum unam ad uxorem et alteram ad Rosam Roti, propinquam suae uxoris misit, aperte fatetur propriam impotentiam ad officia coniugalia.

Ut ut igitur, prosequitur Orator, vir contendat suam impotentiam esse temporaneam et non perpetuam; hoc tamen vel invitus fateri semper cogitur: praefatam videlicet impotentiam et matrimonium praecessisse et matrimonii consummationem impedivisse. Nec credibile esset, quod, si officia coniugalia aliquando adimplere ipse valuisset, id sub silentio praeteriisset. Nec insuper a mendacio immunis ipse esset quum, adstruere nitens temporaneam esse suam impotentiam, insinuare studet eamdem impotentiam ope artis medicae facile sanari posse, imo et potuisse. Nam ex iurata actricis depositione plane constat, quod ipse iam a maritalis

cohabitationis initio curae medicae per mensem se subiecit absque tamen ullo exitu.

Haec ut confirmet patronus, ipsam in praesenti iudicio contumaciam viro obiicit, ex qua grave impotentiae indicium exurgere censet. Quod quidem indicium ut ad certitudinis quoque gradum attollat, huc attendantur vult ea, quae apud laicum tribunal in causa separationis acta sunt, quaeque raptim in facti specie iam relata fuerunt. Vir enimvero, qui non alia de causa quam propter impotentiam in iudicium vocabatur, hanc non valens declinare accusationem per aspectum sui corporis, ad miserum convolavit effugium, quo facile curaturam asseruit suam impotentiam. Sed nec hilum id ei profuit; quandoquidem post elapsum annum a decreto, quo tribunal illius corpus a tribus medicis inspici mandaverat, recognoscere demum ac fateri necesse habuit separationem locum habere eius culpâ, licet hoc in sui damnum ac praeiudicium cederet, tam quoad existimationem, quam relate ad substantias. Ita enim adigebatur nedum ad restituendam dotem et ad solvendas interea usuras; verum etiam ad amissionem omnium lucrorum dotalium, et illorum qui matrimonii causâ eidem obvenire possent.

Maiora sed vero urget Orator ex eo quod duo medici, qui de Iudicis mandato corpus actricis inspexerunt ad formam *Instr.* S. C. an. 1840, eam, ascito iuramento, virginem renuntiarunt.

Huc autem rebus perductis, omne quoad primam suae thesis partem tulisse punctum confidit patronus; et ideo, paucis ad commentationem auctoritatis peritorum additis, ad alteram transvolat quaestionis partem, quae de dispensandi causis est.

Primam itaque causam repetendam esse ait ex maxima animi aversione actricis erga virum suum; ita ut nulla reconciliationis spes affulgeat.

Alteram dispensationis causam desumit ex viri impotentia et ex gravi dubio nullitatis matrimonii propter ipsius impotentiae perpetuitatem.

Tandem ex incontinentiae periculo postremam deducit causam, cum actrix iudici ingenue dixerit, se dispensationem quaerere ad vitanda incontinentiae pericula.

ANIMADVERSIONES ADSERTORIS SACRI VINCULI. Sacramenti Vindex e contra sustinet quod praesens matrimonium, vel ita firmum est, ut nulla prorsus hominum potestate infirmari possit, vel ita radicitus nullum atque irritum, ut non dispensationis ope, sed declaratione nullitatis prospici possit et debeat. Nemo namque ignorat dispensationis gratiam inter extraordinaria, declarationem vero nullitatis inter ordinaria iuris remedia recenseri. Vulgatissimum est autem extraordinariis remediis locum non esse usque dum ordinaria remedia suppetunt.

Iamvero, prosequitur Vinculi Defensor, Mathildes et Decius, ambo iuventute florentes, mutuo flagrantes amore matrimonium inierunt, duobus annis et quatuor mensibus eodem in lecto cubarunt, coniugali genio pro viribus indulgentes. Quapropter, aut matrimonium consummarunt, aut Decius inertia virium reapse laborat. Quae inertia dubio procul perpetua foret, quia nemo unus ex testibus Decium in virum moribus pessundatum aut temporaneo aliquo morbo affectum dicit: imo nitide actrix censet naturalem esse impotentiam; cui concinunt Mathildis frater et pater.

Tametsi de dispensatione pro re nata agi nequit, urget Orator, vel quia iudiciales tabulae Tiferni confectae sunt, cum e converso Perusiae confici debeant. Porro Decius Perusiae natus, Perusiae lares habet. Uxor vero sortitur forum mariti, actrix forum rei. Quinimo cordatus quisque videt quam absurdum sit inquisitione Tiferni peragere, cum cardo, circa quem tota vertitur controversia, sit Decius, qui vir in aetate triginta annorum iam constitutus, quid valeat in opere maritali, etiam saxa Perusiae cognoscunt, dum Tiferni non nisi angelici spiritus id scire queunt.

His etiam praetermissis, argumenta quibus actrix innititur, levissima esse ait. Quod attinet enim ad ipsius Mathildis confessionem allegat Sanchez *De matrim. lib. 2, dis-*

put. 45, num. 33 - ibi - « Confessio ea, cum sit in confitentis favorem, nihil probat. » Quo vero ad Decium, in probatis minime esse ait, illum matrimonii inconsummationem confessum esse. In primis namque duas Decii epistolas, quas actrix edit, non constat esse genuinas. Deinde, si in eis admittitur, Decium plene non satisfecisse Mathildi, minime exinde consequitur matrimonium haud consummasse.

Quod concernit praeterea testimonium *septimae manus*, animadvertit omnes ex latere viri testes desiderari, ac deinde urget *Instruct.* S. C. C. an. 1840, in qua legitur: « Procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam textus in cap. *Litterae Vestrae, de frigid. et malef.* ». Cui concinit Sanchez *De matrim. lib. 7, disput. 108, num. 11* - ibi - « Iuramentum autem hoc *septimae manus* propinquorum sic accipiendum est: ut si uterque coniux fateatur impedimentum cuiuslibet coniugis septem consanguinei iurent; vel eis deficientibus septem vicini cuiuslibet; et ita debent esse quatuordecim ».

Nullo insuper in pretio habet specimen a duobus salutaris artis peritis, Gurrieri et Fabbri, in Mathildis corpore peractum, quia, aliis missis, medicum Gurrieri haud censet a studio partis immunem, quippe qui absque ullo iudicis imperio corpus Mathildis iam exploraverat et animi sui sensa pandiderat. Medentes demum, Gurrieri et Fabbri, adeo incomplete corpus Mathildis explorasse ait Defensor, ut ipsi decipi facillime potuerint, quemadmodum animadvertit in *Nemausen. dispensationis matrim.* §. *6 et seqq.* (1).

Post haec de dispensandi causis disserit Orator, easque nedum ad liceitatem, verum etiam ad validitatem, iustas ac gravissimas esse oportere concludit, allegans Leurenium *for. eccles. lib. 4, q. 277*. Porro in themate, prosequitur ipse, si qua suppetit dispensandi causa, ea una est, scilicet asserta viri impotentia.

(1) Relata fuit Volumine hoc pag. 321.

Consonat corona testium: nam Pater aliique in iudicium adducti in eamdem protuentur sententiam.

Idipsum renuntiant Franciscus Pecorari, sacerdos Philippus Pecorari et sacerdos Angelus Vinci.

Nec aequum proinde, neque tutum esse, ait defensor, in pretio habere Decii impotentiam, cum nec inquisitio in patria Decii peracta sit, nec unus quidem ex testibus, qui rem cognoscere possunt, excussus sit, nec medici, qui curationem Decio adhibuisse perhibentur, ad examen sint adducti. Quod si non adsit impotentia Decii, neque mulieris erga virum aversio, neque periculum incontinentiae attendi possunt; quippe quae omnia pro fundamento decantatam impotentiam habent.

Quibus omnibus hinc inde relatis, propositum fuit diluendum.

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re disceptata, sub die 9 Septembris 1893, censuit respondere: *Affirmative.*

MEDIOLANEN.

MATRIMONII

Die 16 Decembris 1893.

Sess. 24 cap. 5 De ref. matr.

Compendium facti. Adelais Rivolta, loci Paderno Mediolanensis archidioecesis, cum 19 aetatis suae annum ageret, die 12 Septembris 1889 matrimonium Mediolani in ecclesia Sanctae Franciscae Romanae rite contraxit cum Antonio Belloni 27 annos nato.

Verum huiusmodi connubium haud felicem obtinuit exitum. Siquidem coniuges, si eorum dictis fides habenda est, post mensem circiter frustra maritale opus aggressi sunt, nec insequenti tempore ob viri impotentiam illud unquam

perficere valuerunt. Unde, priusquam annus a celebratione matrimonii elapsus fuisset, Adelais ad propriam domum reversa est, atque statim, consentiente imo impellente viro, penes laicum tribunal agere coepit, ut matrimonium, attenta viri impotentia, nullum declararetur. Civilis vero auctoritas, habita iurata relatione trium peritorum, quos ad corpus Antonii Belloni explorandum designaverat, illius impotentiam absolutam, antecedentem et perpetuam admisit, ac sententiam mulieris petitioni omnino faventem, die 19 Iunii 1891 edidit.

Bimestre elapso, idest die 25 Augusti 1891, mulier actionem nullitatis matrimonii ex capite impotentiae viri etiam coram Mediolanensi Curia instituit.

Tribunali rite constituto, acta initium sumpserunt die 12 Septembris 1891. At difficultatibus occurrens Rñus Archiepiscopus iterum atque iterum ad Supremum Principem, quo sospite laetamur, recursum habuit, ut dispensationem a quibusdam non essentialibus processus solemnitatibus, quae prudenter servari non possent attentis temporum et locorum circumstantiis, obtineret; atque die 2 Maii 1892 Rescriptum obtinuit, quo « SSñus, attentis omnibus, benigne annuit, ut inspectio corporalis mulieris fiat absque accessu tribunalis ad domum examinis, sub lege tamen, ut tum obstetrices, tum matrona, tum medici statim ab inspectione scriptam relationem redigant et iudici tradant: quo vero ad peritiam viri pro gratia ut in processu ecclesiastico adhiberi valeant medicorum testimonia edita in iudicio civili, cum dispensatione a nova inspectione, aut cum inspectione unius tantum novi medici, quatenus aliter fieri nequeat, adscitis tamen, si possibile sit, coram ecclesiastico iudice peritis a tribunali civili deputatis, ut iureiurando affirment praecedentia testimonia: quo denique ad testium numerum pro gratia iuxta petita ».

Ad huius Rescripti tramitem mediolanense tribunal curavit, ut viri corpus a medico inspiceretur, qui in scripta relatione et in iudiciali examine sententiam suam aperuit; et suffragia a tribus peritis penes laicum tribunal emissa et in ecclesiastico iudicio assumerentur et comprobarentur. Mu-

lier omnino recusavit sese subiicere medicae inspectioni, aiendo quod sibi grave onus id foret.

Disceptatio Synoptica

Votum Canonistae. Agitur hic, ait Consultor, de impotentia viri dicta frigiditas, et quidem de frigiditate maxime proprio sensu sumpta, nimirum quae in hoc consistit, quod vir, quamvis externa generationis organa perfecte disposita habere videatur, erigere tamen, tempore opportuno, non valet ita, ut cum uxore copuletur. Antonius Belloni non tantum tempore opportuno sed nunquam, ut dicit ipse, virgam erigere potest. « Praeterea, si audiamus Sanchez *(de Matr. l. VII, disp. 94 n. 5)*, non mediocre signum frigiditatis est, quando vir venerea non appetit, nec stimulos carnis sentit. Cum enim appetitus hic adeo naturalis sit, ac daemon instiget; iure optimo praesumetur frigiditas, quando is appetitus deficit. Id enim provenit quia frigidis deest calor excitans ad venerea ». Et hoc etiam signum praesefert Belloni, si iuratae confessioni eius credamus. Tali impotentia semel admissa, necessario sequitur, eam etiam esse antecedentem et certe perpetuam, ut bene animadvertit medicus Annovazzi, qui in hac causa vocabatur, quum agebatur apud iudices saeculares. Et sane « quando impotentia est naturalis, in dubio praesumitur, eam praecessisse et sic matrimonium esse nullum. Ducor, quod naturalia sint perpetua, et qualitatem quae a natura est, semper inesse praesumatur ». Sunt verba Sanchesii *l. VI, disp. 103, n. 4.*

At, tota quaestio versatur in hoc, possitne revera probari haec impotentia? Non diffiteor argumenta medicorum pro impotentia primo aspectu satis persuasibilia apparere, et eruditio eorum assensum in conclusiones ab iis factas videtur extorquere. Sed 1°. ipsi medici in asserenda certitudine impotentiae secum non concordant. Medicus Annovazzi, cui ex parte tribunalis civilis commissum fuit examinare coniuges et etiam excutere probationes duorum aliorum medicorum, De Vincenti et Sighicetti, rem sibi propositam magna cum

eruditione ac diligentia expedivit ac exposuit: singula quaevis, quae in Belloni animadverterat ut indicia impotentiae explicavit: confessionem viri verissimam habuit. Nihilominus ipse Annovazzi, quamvis impotentiam habeat ut maxime probabilem, ad propositum tamen, ait, desunt extrema, quibus niti possit certitudo huius impotentiae. — Praeterea 2°. medici unice fundantur in veracitate confessionis viri, et iam supposita veritate facti conantur impotentiam hanc explicare et eius causam indicare; ipsa prolixitas tamen et subtilitas eorum dissertationum videntur monstrare, id eos non tam facile effici potuisse. Cur vero ex circumstantiis observatis in Belloni necesse est praestare fidem eius assertionibus? Quia nimirum ea quae de se dicit Belloni, (nimirum quod nec onanismo, nec libidini deditus aliquando erat), excludunt alias causas. Confessio igitur eius fundamentum est opinionis medici. Relationes aliorum medicorum concordant in hoc cum relatione Annovazzi, quod fundantur in confessione Belloni. Quam subtilis est vero disquisitio medicorum satis est animadvertisse, impotentiam penes eos probari etiam ex glande non obducta praeputio, quod tamen praeputium multis in regionibus resecatur, et ex eo quod vir non sit affectuosus, sed ingenii duri ac inhumani!

Quantum ad depositiones et coniugum et septimae manus, negari non potest, eos prae se ferre speciem veracitatis. At desunt quaedam praescripta a iure, nimirum iuramentum septimae manus propinquorum, iurantium se credere coniuges verum fateri et inspectio corporis mulieris. Verum est, inspectionem corporis ab ipso medico a Curia Archiepiscopali delegato haberi in casu superfluam. Ad hoc tamen dicamus cum Sanchez *lib. VII, d. 107, n. 1* « semper iudicem eo spectare debere, ut potius probationes impotentiae superfluas quam in aliquo diminutas exigat; et ut omnem cautelam, quae potest adhiberi per omnes probationis modos adhibeat. Quod quaestio de matrimonii dissolutione sit de re gravissima, et in qua de maximo animae periculo agatur, vel dissolvendo matrimonium validum vel approbando irritum. Item

quia in aliis causis oportet iudicantem acta rimari, ergo fortius in hoc casu, in quo maius periculum vertitur ». Sola inspectio corporis nihil decideret, concedamus, sed simul sumpta cum aliis indiciis, posset, sine dubio, aliquam lucem iudici afferre. Inspectio enim talis daret occasionem facere interrogationes quae veracitatem coniugum comprobarent. Donec fiant igitur ea quae a lege praescripta sunt, in causa praesenti dico, dubium semper remanebit. At « quando non versatur dubium circa antecessionem impotentiae, sed dubitatur, an vera impotentia sit, et an matrimonium consummatum sit necne; et adhibita sufficienti diligentia id dubium vinci nequit: censeo in hoc dubio praesumi pro matrimonii valore, nec illud semel initum posse dissolvi. Ducor, quia cum quilibet naturaliter praesumatur potens, asserenti veram impotentiam, ubi ea dubia est, incumbit onus eam probandi, et dum ea non fuerit certo probata, praesumitur pro naturali potentia, ac subinde pro matrimonii valore. Deinde censeo quod in hoc dubio possessio stet pro matrimonio. Cum id contractum esse constet, et solum dubitetur de eius impedimento, quod nunquam praesumitur ». *Sanchez l. VII, d. 103, n. 3.* Quapropter ad dubium: *An constet in casu de nullitate ex impedimento impotentiae vel de inconsummatione matrimonii,* puto respondendum esse: *Negative.*

Votum Theologi. *Cum inclinatio sit naturae ad prolis procreationem, per quam natura speciei conservatur, D. Thomas supp. Q. 41, 3,* et conservatio sine carnali copula inter marem et feminam haberi non possit, ideo, sicuti prosequitur Angelicus, ut vicissim debitum reddant, legitimis coniugibus sub praecepto imponitur iuxta illud Apostoli, *I ad Cor. 3: uxori vir debitum reddat, et similiter uxor viro:* propterea mutua traditio corporis cum obligatione reddendi debitum, essentialis est in matrimonio, et consequenter si quis ex ingenito et antecedenti corporis vitio ad reddendum sit impotens, matrimonium frustra et invalide contrahit, quod in utroque foro unanimiter praedicatur et docetur.

Ex hoc impotentiae capite nullum et invalidum fuisse

matrimonium inter Antonium Belloni et Adelaidem Rivolta, ex archidioecesi Mediolanensi videtur.

Impotentia, sicuti quisque novit, est inhabilitas ad copulam generativam exercendam, quae si in uno coniuge existat antecedenter et insanabiliter, impedimentum est dirimens, quod si patenter et certe probatum fuerit, matrimonium iure naturae, humano et divino, nullum erit et invalidum, siquidem impotentia e diametro opponitur matrimonio, cuius finis essentialis est generatio prolis.

In praesenti casu de impotentia Antonii Belloni constare videtur: 1°. ex confessione coniugum, 2°. ex Testium depositionibus, 3°. ex iudicio Peritorum. Omnes isti sub iuramenti religione in iudiciali processu vocati fuerunt.

Primus comparuit Antonius Belloni. Praenotandum vero Antonium Belloni virum esse subrusticum, *amico di Bacco*, uti dixit, ad foeminas parum aut nihil inclinatum: vel iuvenis, vel adultus semper erga feminas indifferentissime se gessit, ita ut intimiores cum eis contactus neque membri erectionem, neque delectabiles sensationes in eo excitarent, sicut medico De Vincenti confessus est; quod quidem frigiditatem aperte manifestat, ideoque se magis *vinum*, quam *feminas* diligere haud difficulter affirmavit. Ex his, ceu scite observant medici, haec aversio a feminis coitum carnalem potest retardare et impedire. Ipse vero interrogatus quare a sponsa seipsum subtraxerit, sine haesitatione respondit propter meam impotentiam ad actum coniugalem; quam responsionem aliis quoque rationibus confirmat. Sed apertius cum medico Annovazzi loquitur de sua impotentia, quam confessionem omitto, ne sim castis auribus importunus: haec sufficere videntur: nam etiam sponsa perfecte convenit cum dictis a sponso, neque ulla inter eos reperitur contradictio aut collusionis suspicio.

Post Antonium vocata est Adelais Rivolta, quae eadem ac sponsus retulit circa copulam saepe tentatam, sed frustra et inaniter, cum vir nec semen emittere, nec membrum erigere valeret: ideo se adhuc virginem esse affirmavit. Addit

vero interrogata, se ab Antonio semper male fuisse habitam, nullum coniugalis amoris signum habuisse, sed aspere, minis, contemptu ac torvis oculis fuisse exagitatam: hanc vero asperitatem in viro suo ex impotentia, quam noverat insanabiliter sibi esse adhaerentem, derivasse Adelais, nec sine ratione, arbitratur. Propterea ad paternam domum remeare coacta est, et inde civile Tribunal adire ad petendam solutionem, quam iuridice obtinuit.

Ex utriusque itaque coniugis confessione videtur posse colligi absolutam coeundi impotentiam in viro existere, ideoque pro nullitate esset iudicandum: cum enim traditio corporis ad usum copulae sit de essentia matrimonii, qui eam exercere non potest invalide contrahit, quia se obligat ad id, quod praestare non potest. Verum enim vero coniugum confessio, seu factorum, licet concors, enarratio post initum matrimonium contra eiusdem valorem elicita, non statim in Tribunali probandi vim habet, imo ipsa per se sola et per se omni vi caret, ceu Doctores tradunt, ideo eorum confessio expendenda est cum ceteris probationum generibus. Audiendi igitur erunt Testes, qui audiunt septimae manus et consulendi artis salutaris Periti.

Ad iudicium vocati sunt Testes idonei, qui sub iuramento se veritatem deposituros spoponderunt. Verum cum agatur de re occultissima, qualis est impotentia, Testes tantum *de auditu* et *de fama* deposuerunt. Quidam ex primis testati sunt, se ab ipso ore Belloni excepisse et audivisse esse inhabilem ad copulam, atque ita clare eis vitium suum manifestavit, ut omnem dubitationem sustulisse videatur. Pari imo clariori perspicuitate suam confessus impotentiam Testi VIII, Aniceto Ghezzi. An arguendus erit Antonius de falsitate in re, quam modestiores puderet manifestare?

Consonant item ceteri Testes de *auditu*, mater Antonii, Parentes sponsae Adelaidis, aliique amici, qui Antonium fecerunt notiorem circa vitium: addunt insuper Testes antipathiam seu repugnantiam Antonii erga sponsam, comem, coeteroquin, et honestam in sponso ex cognitione propriae

inhabilitatis originem omnino habuisse, et ad rudes vexationes erga sponsam impulisse.

Alii vero Testes de *fama* deposuerunt; in primis loci Parochus, qui testatur in eo oppidulo universaliter retineri pro certo coniugii dissolutionem a civili Tribunali ex *capite impotentiae* fuisse pronunciatam, et modo postulari a S. Sede, sacramenti, quod nullum fuit, ex eodem motivo dissolutionem. Ita ferme omnes, qui testantur se credere *coniuges veritatem dicere*.

His cumulative perpensis, si iuxta allegata et probata est iudicandum, per coniugum confessionem, testiumque depositiones et famam inde enatam moralis certitudo haberi videtur de impotentia Antonii Belloni, et inde matrimonium cum impedimento dirimente fuisse contractum. Sed non solum *moraliter*, sed *physice* quoque propositio probatur, videlicet ex Peritorum iudicio.

Supra admonuimus Medicorum suffragia a civili Tribunali imperata etiam in hoc sacro foro fuisse admissa, et processui adnexa. Tres in arte medica Periti indolem Antonii, corpus et praecipue partes genitales diligenter examinarunt, easque non naturaliter conformatas repererunt, sed vitio insanabili infectas esse, et ad generationem absolute ineptas iudicarunt; quae inhabilitas cum sit a natura, est etiam antecedens et perpetua. Huic iudicio confovet quoque, sicuti iidem observant medici, Antonii aversio quaedam connaturalis a commercio venereo et a quibusvis venereis rebus. Ita tres medici Annovazzi, De Vincenti et Sighicetti iurati senserunt in foro civili, ex quo prodiit dissolutionis sententia.

Sed prudentissime Iudex ecclesiasticus istorum suffragia alteri Perito medico E. Nardi examinanda commisit. Is vero interrogatus an id praestiterit respondit: inspexisse diligenter et exacte corpus Antonii Belloni, et devenisse ad conclusionem, scilicet ipsum ex vitio et imperfectione organica partium genitalium esse omnino impotentem ad actum matrimonialem, quae omnia iuramento confirmavit.

Ex his itaque, breviter equidem, enucleatis colligi posse

iudico, matrimonium inter Antonium Belloni et Adelaidem Rivolta nullum esse et invalidum, cum contractum fuerit cum impedimento dirimenti impotentiae antecedentis in viro, quam confessio coniugum, testium depositiones et Peritorum medicorum iudicia, luculenter, ni fallor, *moraliter* et *physice* comprobant.

Neque quis obiiciat omissam fuisse corporalem de feminae integritate inspectionem: evidenter enim demonstrata viri impotentia, superflua inspectio ista visa est, et aliunde ad probandam feminae integritatem novimus sufficere iuratam coniugum confessionem cum septima manu propinquorum coniunctam absque physica exploratione sicuti admissum fuit ab hac S. Congregatione. Cf. *Acta S. Sedis in Tarnovien. vol. XVIII, 242.*

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Labente anno 1889 septembris die 12 Adelais Rivolta, in aetate annorum 19 constituta, matrimonium contraxit cum Antonio Belloni 27 annos nato.

Novi coniuges posteaquam per annum una simul cohabitaverant atque coniugali genio plus semel operam dederant, ex communi consensu dissociati sunt, ad opus maritale viro seipsum proclamante ineptum.

Hoc tamen in probatis minime est. Porro Claudius Annovazzi, scientiâ medicâ bene doctus, unus ex quatuor peritis qui Antonii corpus recognoverunt, re mature perpensa, concludit:

Potestne peritus autumare cum iuramento ex peractis inspectionibus, Antonium Belloni affici impotentiâ genitali manifesta? Et quatenus id verum sit, peritus poterit ne asserere impotentiam viri matrimonium praecedere, insanabilem esse, ideoque perpetuam? Dico, prosequitur peritus, me negare nequire, Antonium impotentiâ affici; ast neque possum asserere eiusmodi impotentiam esse manifestam. Scientia nequit eam evidentem asserere. Concludit peritus, casum Antonii Belloni exhibere quidem magnae probabilitatis fundamentum, ast eam non esse, quae autumari queat tutâ con-

scientiâ cum iuramento. Tandem neque negari potest maxima probabilitas huius impotentiae, quin offendantur scientiae postulata.

Neque me movent tres alii medici cognitores qui de Antonii impotentia securos se exhibent. Ii namque eatenus ab archiatro Annovazzi dissentiunt, quatenus in pretio habent, quemadmodum ex prolixa eorundem relatione oppido patet, ipsiusmet Antonii narrationes quae fabulosae, ad utilitatem causae excogitatae esse possunt.

Nullius ferme momenti est testimonium *septimae manus*. Nam nemo unus ante matrimonii celebrationem, ante dissociationem vitae coniugalis, *tempore non suspecto*, ab Antonio vel ab aliis quidquam audivit, ex quo decantatam Antonii genitalium virium inertiam recte coniectare liceat. Imo quamvis non ultimum *septimae manus* officium sit testari de fide, quae coniugibus adiici debeat, iudex nescio quam ob causam testes hac de re percontatus minime est.

Eapropter ipsam coniugum confessionem flocci facio: quia praeprimis illorum religionem et honestatem prouti de iure testatam non video; deinde, quia matrimonium dissolvi ambo cupientes, ex impotentiae confessione commodum reportant. Ad rem Sanchez *De matrim. lib. 2, disput. 45, n. 33:* (ibi) Confessio ea cum sit in CONFITENTIUM FAVOREM NIHIL PROBAT.

Explorata Adelaidis physica virginitas viam forsan ad dispensationem super matrimonio rato sternere posset: at hanc provinciam actorum moderator ingressus non est, etsi S. C. C. id praescripserit, nec mulier absolute renuerit.

Quae cum ita se habeant, haud interiecta mora, ad inscriptum dubium « *An constet de matrimonii nullitate in casu* » responsum submisse postulo « NEGATIVE ».

Hisce aliisque adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 16 Decembris 1893, censuit respondere: *Non satis constare.*

Ex quibus colliges. I. Quum quaestio de matrimonii dissolutione sit de re gravissima, hinc oportere, ut iudici affluant probationes impotentiae, quatenus agatur de dissolutione matrimonii ex hoc capite.

II. Praesumi pro valore matrimonii, nec illum, semel initum, posse dissolvi, quando dubitatur an vera impotentia sit, et matrimonium consummatum sit nec ne; dubiumque hoc vinci nequeat, post adhibitam sufficientem diligentiam.

III. Quemlibet naturaliter praesumi potentem; et ideo asserenti veram impotentiam, ubi ea dubia sit, onus incumbit eam probandi.

IV. Qua de re donec ea impotentia non fuerit formiter probata, praesumendum esse pro naturali potentia, et pro valore matrimonii, si constet id initum fuisse et dubitetur de eius impedimento, quod numquam praesumitur.

MARSORUM

ITERATIONIS SACRI

Die 16 Decembris 1893.

Per summaria precum.

Compendium facti. Praepositus parochus loci Celano in dioecesi Marsorum supplici prece SSmum adivit haec narrans ac rogans: quatuor ab hinc mensibus, quum instaurari coeperit Ecclesia quaedam Celani civitatis, detectae sunt, depictae in pariete, duae sanctorum martyrum imagines, erga quas cultus et pietas Christifidelium augetur in dies, quoniam gratiae et prodigia geminantur.

Ex hisce exposcitur religiosum servitium et saltem ut litetur una Missa pro diebus festis.

Episcopus pro voto et informatione rogatus et ut praesertim referret de numero sacerdotum in enunciato pago existentium, haec scribebat: in Civitate, cui nomen Celano, 8000 incolarum numero ditata, decem adesse presbyteros servitio

diversarum Ecclesiarum addictos: Ecclesiam S. Rochi, in qua sanctorum imagines repertae fuerunt, carere omnino religioso servitio; hinc concludit Ordinarius, censerem concedi posse oratori indultum binandi diebus festis, ut dictae Ecclesiae servitio religioso aliquantulum consulatur.

Disceptatio Synoptica.

Gratia videtur indulgenda. In benedictina constitutione *Declarasti nobis* duplex recensetur causa, qua iteratio sacri legitima fit, scilicet cum unus sacerdos duas distinctas ac dissitas paroecias regat, aut duos populos ita seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti adesse nullo modo possit ob locorum distantiam, nec alius sit sacerdos qui alterius populi necessitati satisfacere possit: itemque cum una sit tantum ecclesia in qua missa celebratur, ad quam universus populus una simul convenire non possit.

Ex aequipollentibus quoque causis, in quibus tamen vera populi necessitas subsit, iterationem concedi incontroversum est, nec eget demonstratione.

Gratia deneganda videtur. At vero in themate haec necessitatis causa deficere videtur, quippe quia dumtaxat ad cultum sanctorum duorum martyrum augendum et ad fovendam fidelium pietatem ac devotionem erga sacras imagines, nuper detectas, indultum postuletur.

Verum recolendum est Glossam in cap. *Consuluisti* in verb. *Necessitatis De celebr. miss.* necessitati addere utilitatem, et sive hanc sive illam satis esse dicere ut unus sacerdos eadem die bis missam celebret. Neque id absolute negat Benedictus XIV in citata constitutione, quandoquidem ait: « Quidquid enim sit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt non de utilitate celebrantis, sed missam audientis. »

Porro cum necessitas audiendi sacrum sit dumtaxat moralis, planum est plerumque hanc necessitatem ab utilitate non differre. Si autem in themate utilitas ab oratore asserta

talis sit quae dispensationem a communi lege suadeat, sapientis EE. Patrum iudicii est definire.

Hisce in utramque partem adductis, quaesitum est quid esset respodendum precibus.

Resolutio. Sacra Cong. Concilii re visa, sub die 16 Decembris 1893 censuit respondere: *Negative.*

PLATIEN.

DUBII ORATORII

Die 28 Ianuarii 1894.

Per Summaria Precum

Compendium facti. Antistes Platien. retulit: Iosephum Accardi, huius dioecesis, aedificavisse Oratorium apud sepulturam gentilitiam in coemeterio Mazzarini constitutam, atque privilegium expetivisse litari faciendi in eo Missam: ab aliis quoque pares factas fuisse petitiones, quas non excepisse, ait, quia huiusmodi Oratoria necessariis requisitis destituuntur, quibus publica oratoria ditari debent, et quia in coemeteria eiusmodi conduntur absque ulla divisione catholici atque acatholici.

Oratores, prosequitur Antistes, petitioni inhaerere, autumantes apud civitatum nobilium coemeteria adesse oratoria, in quibus missae litantur. Qua de re, ait Ordinarius, quaero an dici possint oratoria publica, illa quae extruuntur apud coemeteria, et an possim permittere ut ibi celebrentur Missae. Et quatenus negative, utrum ex gratia, id obtinere valeant a Romano Pontifice.

Disceptatio Synoptica

Episcopis a Concilio Tridentino *Sess. 22 in decr. de celebrat. miss.* ademptam fuisse facultatem concedendi in pri-

vatis oratoriis missae sacrificium peragere, ne minimum quidem dubium esse potest, praesertim post declarationem ab hoc S. Ordine redditam, et iussu s. m. Pauli V. die 10 Martii 1615 omnibus Episcopis per encyclicas litteras communicatam, qua solemniter firmatum fuit soli Beatissimo Romano Pontifici huiusmodi facultatem esse reservatam. Attamen oratoria, de quibus est quaestio, sub hoc decreto non comprehendi viderentur. Sane signum principale quo oratorium publicum a privato dignoscitur in eo positum est, quod illud habere debet ianuam apertam in via omnium usui patenti, et a privatorum hominum dominio exempta, ita ut liber semper sit ad illud accessus. Ita clarissimus Ferrari in sua *Bibl. promp.* ad verb. *Orator. num. 101;* et Monacelli ait: « Oratoria publica, idest quae sunt de licentia Episcopi erecta in loco publico, a privatis domibus ita separata, ut per eas ad illa iri minime possit, nec fenestrae in domibus sint, per quas in oratorium prospectus habeatur; liberque accessus e via publica cunctis pateat, capax et decenter ornatum existat, neque aliquid eorum, quae ad sacrum faciendum necessaria sunt desideretur, ut olim praescripsit S. EE. RR. C. *in Cincimbrien. 1 Iulii 1616;* » *Formul. t. 2, n. 32,* et E. D'Annibale publicum censet oratorium, cui ianua publicae adiacet viae, *Sum. Th. Mor. Pars. III, num. 5;* Gattius *De Orat. Dom. Cap. XI, n. 2;* De Bonis *De Orat. Pub. num. 236;* etsi sit ianua privata affixa domui alicuius saecularis. S. Alphonsus De Ligorio *Theol. Mor. lib. 6, num. 357,* cum Viva, Croix, Diana, etc.

Quae iuris requisita verificari videntur in oratoriis, in coemeteriis erectis. Ista enim sunt loca publica; et nemini ingressus et egressus interdicitur. Quin obiicere valeat in quibusdam horis coemeteria claudi auctoritatis publicae iussu. Nam S. C. C. in Compsana *diei 8 Augusti 1705,* cum Episcopus existimaret non convenire, nec licere quod atrium palatii baronis Castri Novi, in quo ianua oratorii iam antea a S. C. C. die 31 Maii 1704 publici contra ipsius interdictum declarati, patebat, pro libito claudi posset, discusso

dubio: *An aperiendum sit ostium Cappellae in via publica, vel potius removendae sint valvae impedientes ingressum in atrium,* responsum prodiit: *Negative.*

At ex adverso recolendum est quod, ut oratorium aliquod publicum dici possit, omnino requiritur quod illius aditus liber et publicus sit, et S. C., ut adamussim haec conditio semper servetur, in more est praescribere, ut aream ante oratoria, in palatiis privatis extructa, in commodum publicum cedere teneantur possessores, ceu videre est in *Savonen. 28 Iulii 1724;* in *Nitrien. 12 Februarii 1735;* in *Nullius dici 13 Ianuarii 1626* etc. At in themate contrarium evenire videtur, cum coemeteriorum ingressus minime liber sit et semper prohiberi possit ab auctoritate municipali.

Praeterea si cappellae istae oratoria publica declararentur grave exinde spirituale detrimentum fidelibus iuribusque parochialibus obveniret, qui audiendo sacrum diebus festis in oratoriis huiuscemodi frequentissimis carerent verbo Dei et catechismo, ignorarent vigilias et festivitates de praecepto etc. uti late ponderant card. Petra *ad Constit. Apostolicae Paschalis II, tom. 1, n. 69;* et Monacelli *in formul. tom. 2, pag. 52, n. 32.*

Neque aspernenda sunt quae Revmus Praesul in suis litteris habet: generaliter coemeteria apud quae sunt Oratoria, debitis careret divisionibus ad mentem SS. Canonum, ita ut sepeliantur insimul catholici, acatholici atque impoenitentes.

Me non latet ex huiusmodi sepulturis oratoria minime *canonice* polluta manere, quia hoc in *can. 27 De consecr. dist. 1* non legitur, et sumus in materia mere positiva, nihilominus *moraliter,* ut ita dicam, polluuntur, et horror in piorum animo excitatur.

Tandem commemorare oportet in Urbe consuetudinem vigere concedendi a R. Pontifice facultatem, multis limitationibus coarctatam, missas celebrandi in capellis, in coemeterio existentibus, minime vero pro publicis oratoriis habentur; sicque omnia incommoda et abusus impediuntur, et religioni ac pietati fidelium consulitur.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quonam responso dubium et preces Ordinarii dimittendae essent.

Resolutio. Sacra C. C. re cognita sub die 20 Ianuarii anno 1894, censuit respondere: *Ad primum negative in omnibus: ad secundum consulendum SSmo favore Iosephi Accardi eiusque familiae, ut ad triennium, constito de decentia Oratorii ad tramites sacrorum canonum, indultum concedat pro sacri celebratione in anniversario defunctorum familiae tantum, dummodo non cadat in die festo de praecepto, et per Breve.*

Ex quibus colliges I. Cappellas quae extruuntur in coemeteriis haud dici posse vera oratoria publica, neque ab Episcopis indulgeri posse, ut ibi missae litentur.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

MELITEN.

TERTII ORDINIS SAECULARIS S. FRANCISCI

Die 25 Augusti 1893.

Compendium facti. In ecclesia Ordinis Minorum Observantium Franciscalium loci, vulgo *Valletta*, insulae Melitensis, canonice erectum fuit, iam inde ab anno 1700, pium sodalitium Tertiariorum Saecularium S. Francisci. Progressu temporis autem, crescente fidelium devotione erga piam hanc Institutionem, P. Custodi Provinciali dicti Ordinis supplicatum fuit, nomine praefati sodalitii pro facultate deferendi in publicis solemnitatibus habitum illi similem, quo Religiosi utuntur. Huiusmodi precibus annuit P. Custos Provincialis per decretum diei 28 Martii 1860, in quo legitur: « Concedimus facultatem deferendi habitum sine cucullo ex tela confectum et eiusdem formae et coloris, prout deferri solet

a Religiosis in hac nostra Custodia, eodemque habitu utendi in omnibus internis functionibus, imo etiam in externis functionibus, dummodo una cum Religiosis ac sub eadem cruce incedant, et non aliter. »

Res pacifice processerunt usque ad annum 1887. Quo vertente, Minister Tertii Ordinis Episcopo exposuit, sodalitatem, in vim Bullae Benedicti XIII *Paterna Sedis* et praefati decreti anni 1860, ius habere incedendi sub cruce Primi Ordinis: ac subinde ab eodem expostulavit, ut declararet, Tertiarios sine ulla oppositione incedere posse sub Cruce Primi Ordinis, ac ita intervenire processioni *Corporis Domini* in ecclesia S. Pauli Naufragi fieri solitae, ad quam capitulum eiusdem ecclesiae eos vocare solebat.

Religiosi, quibus communicatus fuit huiusmodi supplex libellus, responderunt se nullatenus praefatae processioni interventuros esse una cum dictis Tertiariis sub eadem Cruce; idque duplici ratione, nempe: 1. ne introducatur consuetudo, cui nolunt se obligare; et 2. quia Tertiarii ad Communitatem non pertinent; secus enim non uni dictae processioni sed omnibus et maxime synodalibus intervenire deberent.

Contra hanc Religiosorum Primi Ordinis oppositionem Tertiarii recursum habuere ad S. Congregationem Episcoporum et RR. postulantes manuteneri in suis iuribus. Rogato super praefato recursu P. Procuratore Generali, hic literis 5 Septembris 1889 exposuit, Tertiarios franciscales melitenses nullum ius habere incedendi sub cruce religiosorum Primi Ordinis: in publicis processionibus solummodo admitti posse dependenter ab eorum voluntate: Tertiarios tantum habere ius elevandi proprium vexillum et interveniendi habitu proprio Tertiariorum in publicis processionibus servantes locum ipsis iuxta privilegia concessa spectantem: hinc a Religiosis Primi Ordinis recipi non posse ex triplici ratione 1. quia consuetudo contraria obstabat, 2. quia Tertiarii non spiritu devotionis sed amore partis agebantur, 3. quia id in dedecus religiosorum verteret cum nonnulli Tertiarii adsint qui ne communionem quidem paschalem sumant.

Hisce habitis literis Congregatio recursum Tertiariorum dimisit die 20 Septembris 1889 rescripto *Reponatur*. In sequelam forsan huius Rescripti P. Commissarius Visitator Generalis, ad dirimendam omnem controversiam decreto diei 20 Iulii 1890 disposuit, quod Minores Observantes Conventus S. Mariae urbis Valletta et Tertiarii Franciscales eiusdem civitatis « intervenientes publicis processionibus debeant uni ab aliis separatim incedere sub proprio distincto vexillo, firma tamen consuetudine iamdiu introducta unitim incedendi sub unica communi Cruce in processionibus internis nostrae Ecclesiae, et in illa quae usuvenit mane Feriae Sextae Maioris Hebdomadae in publica expositione SS. Sacramenti vulgo *Santi Sepolcri* ».

Per hoc decretum auctae sunt discordiae inter Primum Ordinem et Primores Sodalitii. Revera mense Iulio 1890 expirato triennio a regulis praescripto, cum electio novorum officialium esset peragenda, haec locum habere nequivit quia, ceu narrat P. Generalis Ordinis, nonnulli duces factiosi Sodalitatis volebant proponere Candidatos eligendos ex eorum parte, quod obtinere non valuerunt a P. Directore, utpote contra regulas; unde coetus dissolvi debuit.

P. Generalis Ordinis ad obtruncandum hunc rerum anomalum statum die 27 Septembris 1890 per supplicem libellum a praelaudata Congregatione imploravit « ut electiones novorum officialium Sodalitii Tertiariorum saecularium Melitensium peragi possent a P. Directore una cum P. Custode Provinciali Minorum Observantium et suo discretorio, et, si opus esset, etiam a P. Ministro Generali, praevia dispensatione ab ordinaria methodo electionis ».

Ordinarius Melitensis in suis literis informativis super his precibus, praemisso quod Tertiarii habent ius incedendi in publicis processionibus sub cruce Religiosorum primi Ordinis, contendit imploratum remedium extraordinarium pro electione officialium concedi non posse, cum desint rationes sufficientes pro concessione: et in subsequentibus literis 14 Septembris 1891 subdit expediens esse ut S. Congregatio hoc

ius coarctet ad solas publicas processiones, quibus alii Ordines Religiosi non accedunt: idque ad evitanda dissidia cum his Ordinibus, qui aegre paterentur praecedi a Tertiariis.

S. vero Congregatio satius duxit conciliationem inter partes urgere per rescriptum sub die 17 Novembris 1891: *Vocetur Procurator Generalis; et ad D. Secretarium qui eidem dicat curandum esse ut pacifice res componatur.* Interim, vacatis nonnullis officiis sive per mortem sive per resignationem, Minister Tertiariorum expostulavit a P. Directore Tertii Ordinis facultatem convocandi Confratres ad eligendum novos Officiales in functione permansuros usque dum haberetur Consilium generale. Quod cum P. Director denegasset, praefatus Minister ad gravia preiudicia evitanda die 4 Iulii 1892 recursum habuit ad Ordinarium Melitensem petens licentiam pro memorata convocatione in loco tamen et sub Directore ab ipso Episcopo desigando: et Eps. die 9 Iulii dicti anni annuit per sequens Decretum « Fiat ut petitur adsignando ad effectum, de quo agitur, Ecclesiam S. Luciae V. et M. eiusque Rectorem Adm. Rev. D. Mathaeum Hyzler. »

Haec tamen dispositio effectum non habuit eo quia P. Director die 24 Augusti 1892 communicavit Ministro FF. Tertiariorum decretum P. Ministri Generalis MM. Observ., in cuius vim sodalitium Tertii Ordinis solutum declarabatur cum praecepto intra decennium ab ipsius notificatione, alibi transferendi omnia obiecta in Conventu et Ecclesia existentia et ad praefatum sodalitium spectantia. Ab hoc decreto illico Minister Tertiariorum appellavit ad S. Congregationem, petens ipsius revocationem, sin minus ut Ordinarius Melitensis, praevio Apostolico Brevi, valeret Tertiariis aliquam Ecclesiam cedere, qua gratiis et privilegiis spiritualibus, sodalitio adnexis, frui pergerent.

Huiusmodi precibus favens Ordinarius Melitensis proponit ut Tertiarii in vim Brevis Pontificii transferantur cum omnibus iuribus et privilegiis in Collegiatam Ecclesiam S. Pauli Naufragi, cuius Capitulum iam suum assensum praestiterat,

sub immediata dependentia Ordinarii et cum expressa prohibitione Religiosis Minor. Observ. erigendi in eorum Ecclesia aliud simile Sodalitium: quam translationem in successivis literis 4 Octobris 1892 proponit fieri posse etiam decreto Ordinarii, facta tamen praefatis religiosis prohibitione admittendi in eorum Ecclesia alios Tertiarios *in habitu:* quia exinde procul dubio scandala exorirentur.

Interea P. Custos Min. Observ. audito quod Tertiariii insteterant apud Episcopum pro licentia sese congregandi in Ecclesia Collegiata S. Pauli, coram Curia Episcopali sub die 3 Novembris 1892 protestationem emisit petens, ut implorata venia denegaretur. Exinde vero cum plures recursus pervenissent ad S. Congregationem tum ex parte Tertiariorum et Ordinarii Melitensis, tum ex parte Procuratoris Generalis Ordinis Min. Observantium, ut tandem aliquando hoc negotium definiretur, per decretum diei 24 Martii 1893 *Ponatur in folio etc.* decisio controversiae inter partes sub infrascripta, dubia discutiendae, remissa est Congregationi Generali, quarum iura ita summatim referuntur.

Disceptatio Synoptica.

Iura Tertiariorum Franciscalium. Tertiarii in primis impetunt de nullitate decretum P. Ministri Generalis circa solutionem Sodalitii, sive *ab intrinseco* sive *ab extrinseco. Ab intrinseco* quia nulla iuridica ratione fulcitur. Sane motiva adducta a P. Ministro Generali sunt, quia Tertiarii ab an. 1887 usque ad praesens se exhibuerunt *pertinaces, rebelles* et *incorrigibiles,* et id arguit P. Generalis ex duobus factis praecipue: 1. quia Tertiarii praetendunt incedere cum Religiosis in publicis processionibus sub eadem cruce, 2. quia Tertiarii assentire noluerunt, ut electio novorum officialium fieret a Superioribus Primi Ordinis. Atqui haec duo motiva nullo in pretio haberi possunt iuxta Tertiarios. Nam quoad primum, reclamatum ius incedendi sub eadem cruce, nedum est consentaneum Constit. Bened. XIII *Paterna Sedis,* sed etiam fuit recognitum ab ipso P. Generali decreto diei 28

Martii 1860 et serius, nempe an. 1889, fuit confirmatum ex facto quod ipse praescripsit P. Custodi, ut ei in hac quaestione adhaereret.

Quoad secundum vero Tertiarii dicunt, quod renuentes subiici novae methodo propositae electionis, usi sunt privilegio sibi concesso a propriis statutis et a const. Leonis XIII 30 Maii 1883, in qua praescribitur, ut electio novorum Officialium fiat non a superioribus Primi Ordinis, sed ab ipsis Tertiariis, nonnullis servatis conditionibus.

Hinc nil mirum, aiunt Tertiarii, si Ordinarius Melitensis eorum agendi rationem approbavit, uti patet ex ipsius literis 21 Iulii 1891 et praesertim ex literis 1 Martii 1893, ubi confutans propositionem factam a P. Procuratore Generali Tertiarios ita defendit « Tota ipsorum (Tertiariorum) culpa in hoc sita est, quod ipsi vindicare voluerunt iura et privilegia Tertio Ordini adnexa vi Apostolicarum Constitutionum et ab ipsis Superioribus localibus recognita, licet postea retractata. »

Igitur ex duobus factis supra relatis evincitur non Tertiariorum pertinacia vel rebellio, sed potius quod ipsi mordicus adnisi sunt tueri privilegia et iura sibi a Constitutionibus Apostolicis, propriis statutis, et etiam ab ipsis decretis Superiorum religiosorum concessa: iam vero in omnium ore pervolitat adagium quod *qui utitur iure suo nemini facit iniuriam*.

At dato etiam et non concesso quod adducta motiva sustineantur, Tertiarii subdunt, praefatum decretum nullitate laborare *ab extrinseco*. Nam ipsum emanatum fuit quando quaestio iam devoluta erat ad iudicium S. Sedis: at notum in iure est, nullum inferiorem iudicem apponere posse manus in negotio in quo iam eas apposuit Supremum Tribunal S. Sedis, idque ob reverentiam debitam summis Clavibus. Hinc concludunt Tertiarii, quacumque ex parte decretum inspiciatur, nullum est.

Quoad alteram quaestionem, nempe interveniendi ad publicas processiones inclusive ad processionem *Corporis Christi*

et unitim incedendi cum Religiosis sub eorum cruce, Tertiarii propugnant hoc privilegium sibi competere ex duplici capite 1. quia hoc ius sibi concessum est a Bulla f. r. Bened. XIII *Paterna Sedis;* 2. quia id congruit Decreto 28 Martii 1860 in quo P. Custos Provincialis Melitensis concessit sodalitio facultatem deferendi habitum ex tela confectum eiusdem formae et coloris ac habitum Religiosorum.

Sane quoad Tertiarios in Sodalitium constitutos ita disponitur in § X praefatae Bullae « Volumus proinde ut Tertiarii ipsi sub proprio tecto viventes, in omnibus se praebeant huius saeculi contemptores atque eorum exemplo ceteri alliciantur et ad humilitatem incitentur et *sub propria Cruce Fratrum Minorum ad publicas processiones* et ad associanda cadavera aliasque ecclesiasticas functiones se conferre et sub proprio habitu per Ordinis Constitutiones designato incedere valeant ac possint, tenore praesentium concedimus ac largimur. Idipsum clare scatet ex supra relato Decreto in quo P. Provincialis concedit Tertiariis facultatem deferendi habitum ex tela, similem habito religiosorum eoque « utendi in omnibus eorum functionibus *internis* imo etiam in *externis*, dummodo una cum Religiosis ac *sub eorum Cruce* incedant et non aliter ».

Hinc super huiusmodi controversia rogatus Episcopus Melitensis iure merito favorabilem emisit opinionem pro Tertiariis edicens, quod eorum petitio iustitia fulciatur. Obiectioni vero ex adverso adductae quod de nova agatur introducenda consuetudine, cui Religiosi se obstringere nolunt, aut quod Tertiarii spiritu partis aut rebellione ducantur, Tertiarii respondent quod in ipsorum animo est tantum vindicare iura et privilegia sibi concessa ab apostolica Bulla et ab ipso Primo Ordine per relatum decretum. Ex adductis pariter consequitur non sustineri dispositionem 20 Iulii 1890 P. Commissarii Visitatoris generalis in qua, ipse putans *nullam esse legem quae cogat Primum et Tertium Ordinem incedere sub eadem Cruce*, statuit quod in publicis processionibus Religiosi et Tertiarii *separatim incedere debeant sub proprio distincto vexillo.*

Hoc decretum impugnat etiam Ordinarius Melitensis ex alio capite 1. quia emanatum lite pendente; 2. quia editum *ex parte* nempe nomine P. Ministri Generalis actoris principalis in causa; 3. quia admisso hoc decreto, inutilis foret controversiae decisio apud S. Congregationem; 4. demum quia cum ipsum editum sit an. 1890 supponit ante hoc tempus, Tertiarios denegatum ius iam habuisse. Inutili pariter negotio obtruditur ab adversa parte quod Decretum 28 Martii 1860 referri tantum debet ad processiones internas et non publicas et quod facultas accedendi ad istas sub cruce Religiosorum revocari potest ad libitum a Religiosis, siquidem quoad primum obstat patula Decreti litera, sancientis Tertiarios intervenire posse unitim cum Religiosis sub eorum cruce *in omnibus functionibus externis,* quoad alterum vero Tertiarii 1. adnotant quod facultas semel data a Decreto, amplius revocari non potest iuxta iuris adagium: *quod semel placuit amplius displicere non potest:* sed hoc etiam omisso animadvertunt 2. quod haec facultas sibi tributa est non tantum a citato decreto, quantum potius a supra relata Bulla Benedictina: hinc dicta facultas pendere non potest ab arbitrio Ordinis iuxta vulgatum iuris principium quod *Inferior legi Superioris derogare non potest.*

Eodem calculo, iuxta Tertiarios, haberi oportet alia Religiosorum obiectio: nempe quod cum inter Tertiarios adsint nonnulli quoad religionem et vivendi rationem improbandi, in dedecus Ordinis verteret cum ipsis incedere sub eadem cruce in religiosis functionibus: si enim haec argumentatio valeret, tunc ipsi a Religiosis excludendi essent in omnibus functionibus, quod tamen contrarium evenit, cum Religiosi cum eis unitim incedant in processionem quae locum habet mane in Feria sexta Maioris Hebdomadae pro visitatione SS. Sacramenti publice expositi vulgo *de' Santi Sepolcri.*

Quare Tertiarii concludunt sibi competere ius seu privilegium incedendi cum Religiosis sub eorum cruce, sive in privatis functionibus, sive etiam in publicis processionibus comprehensive ad *Corporis Christi* et id nedum quando inter-

veniunt Religiosi Franciscales Minoris Observantiae, sed etiam quando accedunt alii Ordinis Religiosi, ut ut contrarium sentiat Ordinarius Melitensis: hoc enim privilegium ipsis concessum est a pluries citata Bulla Bened. XIII *Paterna Sedis*, absque ulla limitatione; et notum in iure est quod, *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

Quo vero ad alteram quaestionem propositam in tertia dubitandi formula, nempe quod electiones novorum officialium fiant pro hac vice a Superioribus Primi Ordinis, Tertiarii una cum Episcopo Melitensi sustinent petitionem P. Ministri Generalis omnino respuendam 1. quia nulla recurrit sufficiens ratio, ut ad hoc extraordinarium remedium convoletur; 2. quia haec nova electionis methodus honorem laederet pii Tertiariorum Sodalitii, in quo recensentur confratres sub omni ratione commendabiles. Item quoad translationem dissoluti Sodalitii cum omnibus iuribus et privilegiis in aliam Ecclesiam et praecise in insignem Collegiatam S. Pauli Naufragi, sub immediata Ordinarii dependentia, Tertiarii dicunt id maxime expediens et conveniens esse: 1. quia ita sentit Ordinarius Melitensis; 2. quia sic praeclusa esset omnis via iurgiis et litibus inter Primum Ordinem et Tertiarios. Eaedem prudentiae leges suadent ut Religiosis interdicatur erectio novi Sodalitii in eorum Ecclesia, quia absque dubio, iudicio ipsius Episcopi, inter duo Sodalitia ratione propinquitatis et aemulationis cum magno fidelium scandalo exardescerent contentiones.

Tandem quoad restitutionem utensilium sacrorum, librorum, pecuniae faciendam a dissoluto Sodalitio novae Societati Tertiariorum erigendae in Ecclesia Franciscalium, Tertiarii dicunt nullimode eam restitutionem exigi posse quia praefata obiecta pertinent iure proprietatis ad dissolutum Sodalitium et nullum ius novum Sodalitium super ea iactare potest.

Iura Religiosorum Franciscalium Min. Observant. Ex alia parte Religiosi petunt confirmationem Decreti solutionis Sodalitii Tertiariorum, utpote editum a competenti auctoritate et gravibus rationibus munitum. Sane quod emanatum fue-

rit a legitima auctoritate non videtur posse ambigi, si expendantur diversae Romanorum Pontificum Constitutiones et praesertim Const. *Misericors Dei Filius* regnantis Pontificis sub die 30 Maii 1893. Ex his enim et praesertim ex Const. *Misericors Dei Filius* cap. IV eruitur, quod erectio sodalitii Tertiariorum pendet a Religiosis Primi Ordinis, et quod Confratres erecti Sodalitii subiacere debent Religioso Franciscano nuncupato *Visitatore,* cui obnoxii sunt quoad Regulae observantiam, quoad coetus intra annnum habendos, et quoad punitionem si qui forte sint inter Tertiarios poena plectendi. Quin imo Superiores Religiosi facultatem habent a Sodalitio expellendi Confratres Tertiarios post secundam et tertiam monitionem adhuc contumaces. Ita in § 4 citat. Cap. « Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertio admoneantur officii sui: ni pareant, excedere Ordine iubeantur ». Exinde, concludunt Religiosi, indubie patet quod P. Ministro Generali inest etiam facultas dissolvendi Sodalitia ob iustas tamen causas.

Quod autem hae iustae causae adfuerint in themate arguitur nedum ex pluribus recursibus Superiorum Ordinis, qui dicunt se impotes esse ad coercendam nonnullorum Tertiariorum rebellionem erga Primum Ordinem, sed etiam ex literis P. Ministri Generalis datis sub die 27 Septembris 1890 ad Emum Praefectum S. Congregationis. In his P. Generalis conqueritur quod inter Tertiarios Franciscales Melitenses nonnulli adsint et quod peius est, etiam Officiales Sodalitii, qui non ducuntur spiritu Ordinis Seraphici, sed a quatuor annis in aperta sunt oppositione cum Superioribus Religiosis. Horum Officialium ductu Tertiarii, etsi nonnulli dissidium improbent, rebellionem excitant et se exhibent erga Religiosos *pertinaces, rebelles et incorrigibiles:* quae discordia dum minuit decus Primi Ordinis, ponit etiam scandalum apud fideles. Cum itaque iuxta allegata de causis liquido constet ad dissolvendum Sodalitium Tertiariorum Melitensium, controversum decretum uti validum habendum est et in suo pleno robore manutenendum.

At in damnata hypothesi quod ipsum non sustineatur, Religiosi inficiantur Tertiariis ius incedendi una cum ipsis sub Cruce Primi Ordinis in publicis processionibus et speciatim *Corporis Christi* quae haberi solet in Collegiata Ecclesia S. Pauli Naufragi, et potissimum ob duas rationes: 1. quia sic nova inoleret consuetudo, cui Religiosi nullimode se adstringere volunt; 2. quia Tertiarii spectari non possunt ceu pars Communitatis religiosae: si enim ita res esset, tunc Tertiarii adesse deberent non solum praefatae processioni, sed etiam aliis omnibus, et maxime synodalibus.

Incassum vero iuxta Religiosos Tertiarii deducunt suum praetensum ius ex decreto an. 1860: 1. quia ibi non agitur de publicis processionibus sed tantum de internis et de illis dictis de poenitentia; 2. quia etiamsi intelligendum esset de processionibus externis seu publicis, haec facultas esset revocabilis ab eadem auctoritate quae decretum emanavit. Hinc P. Generalis, praemisso quod Tertiarii in vindicandis eorum praetensis iuribus non spiritu devotionis, sed aemulatione et rebellione ducuntur, cum a 29 annis ex quo proprium habitum induerunt, numquam publicis processionibus adfueruut, concludit praesentem controversiam dirimendam esse sequenti responso, nempe *Tertiarios Franciscales non habere ius interessendi publicis processionibus sub cruce Fratrum Minorum, sed tantum sub cruce propria:* idque sive alii ordines interveniant, sive non: apertioribus verbis Tertiarii Melitenses vel se abstinere debent ab interventu in publicis processionibus, vel si interesse eis cupiunt, incedere debent sub proprio vexillo et locum servare sibi a privilegiis Tertii Ordinis tributum.

Deinde Religiosi progredientes ad alteram quaestionem circa nempe convenientiam electionis, hac vice novorum Officialium faciendae a Superioribus Ordinis, contendunt petitionem P. Generalis excipiendam esse benigno favore. Siquidem agitur non de iure experiendo, sed de gratia concedenda, ad quam concedendam satis est, ut adsint iusta et gravia motiva: haec autem in casu adesse P. Generalis plu-

ribus demonstrat in suo supplici libello ad S. Congregationem: praefata enim gratia non solum inservit ad coercendam rebellionem et superbiam nonnullorum Tertiariorum, sed etiam impedit scandalum apud fideles. Quare Religiosi dicunt maxime expediens esse, ut hac vice derogetur ordinariae methodo electionis novorum Officialium Tertiariorum Franciscalium.

Item Religiosi propugnant nullimode admittendam fore translationem Sodalitii Tertiariorum ab eorum ecclesia in Urbe *Valletta* ad ecclesiam S. Pauli Naufragi, tum quia id secum ferret indirectam approbationem rebellionis Tertiariorum, tum quia abnorme est concipere Congregationem Tertiariorum independentem a Superioribus Ordinis, tum demum quia id pugnaret cum Constitutionibus Pontificiis et praesertim cum saepe allegata Const. *Misericors Dei Filius*. Sane haec in cap. III *De officiis de Visitatione* etc. disponit quod Visitator uniuscuiusque Sodalitii debeat esse Religiosus, sive ex Primo, sive ex Tertio Ordine Regulari Franciscano, cuius officium est semel in anno vel pluries, si necessitas exigat, sodalitium visitare, convocare capitula, errantes confratres monere, et poenis salutaribus coercere, etiam expulsione ab ipso Sodalitio. « Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satis ne salvae leges. Eius rei ergo Sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, Praefectis sodalibusque universis adesse iussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo, iubendo revocaverit, sive quid salutaris poenae nomine in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere non abnuat ». Hoc statuto iure, profecto independentia Tertiariorum a Primo Ordine esset repugnans et contradictoria.

Ex iisdem rationibus consequitur, iuxta Religiosos, quod ipsis interdici nequeat erectio novi Sodalitii Tertiariorum in locum dissolutae Societatis, neque hoc ius sibi a Constitutionibus Pontificiis tam luculenter concessum impedire valet timor scandali aut iurgiorum quae forte ex hac erectione exoriri possent, cum notum sit, *quod qui utitur iure suo*

nemini facit iniuriam. Admisso autem hoc iure in Religiosis, sponte sua sequitur quod obiecta dissolutae Congregationis ad novam erigendam spectare debeant, quae in locum veteris succedit. Quin obstet quod obiecta haec iure proprietatis pertineant ad membra soluti Sodalitii: siquidem ceu refert P. Generalis in suis literis informativis 15 Ianuarii 1893, Religiosi in animo habent aggregandi ad novam Congregationem omnes Confratres Tertiarios iam dissoluti Sodalitii, praeter rebelles et pacis perturbatores.

Quibus utrinque relatis, supposita sunt supremo Eñorum Patrum iudicio diluenda sequentia

Dubia

I. *An sustineatur decretum P. Ministri Generalis Minor. Observantium diei 6 Augusti 1893, quo ipse dissolvit Sodalitium Tertii Ordinis erectum in Conventu Urbis Valletta in casu?*

II. *Utrum Sodalibus praefati Tertii Ordinis competat ius incedendi unitim cum Religiosis et sub eadem Cruce in omnibus publicis processionibus, illa non excepta Corporis Dñi, etiamsi ad has processiones alii interveniant Ordines Religiosi in casu?*

III. *An electio novorum Officialium praefati sodalitii facienda sit ad tramites Statutorum, vel potius peragenda sit pro hac vice iuxta rationem propositam a P. Generali Ordinis in casu?*

IV. *An et quomodo dictum Sodalitium erigi valeat in Ecclesia S. Pauli Naufragii cum omnibus iuribus, privilegiis et Indulgentiis Tertii Ordinis, sub immediata dependentia Ordinarii et cum prohibitione Religiosis Min. Obser. erigendi in eorum Ecclesia aliud Sodalitium Tertiariorum in casu?*

Et quatenus affirm. ad 1. partem, negat. ad 2.

V. *An Officiales dissoluti Sodalitii Tertii Ordinis adstringi possint ad restituendum novo Sodalitio, a Religiosis*

in eorum ecclesia erigendo sacra utensilia, libros et pecuniam spectantem Tertio Ordini in casu?

Resolutio. Sacra vero Congregatio die 25 Augusti 1893 proposita dubia, post diligens examen, ita resolvit.

Ad I. *Negative in omnibus et amplius.*

Ad II. *Affirmative, salva legitima consuetudine.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad IV. et V. *Provisum in primo.*

Ex quibus colliges I. Licet Tertiarii Saeculares Franciscani teneantur ad omnimodam obbedientiam et dependentiam a religiosis Franciscanis Primi Ordinis, tamen haec dependentia limitibus circumscribitur : unde Superior Religiosorum nequit sodalitia Tertiariorum saecularium dissolvere ad arbitrium, sed necesse est ut gravia et urgentia motiva suppetant.

II. Pari ratione iura quae Tertiariis conceduntur a Bullis Apostolicis, ut in casu ius incedendi sub comuni cruce Religiosorum, ab istis auferri aut imminui non possint; solummodo haec iura amitti possunt per legitimam contrariam consuetudinem, de qua tamen in praesenti quaestione non constabat.

III. Ius competens Tertiariis Franciscalibus saecularibus incedendi sub cruce Religiosorum Primi Ordinis , in internis et externis seu publicis processionibus non coarctatur ad casum tantum quando interveniant praefati religiosi; sed etiam extenditur ad processiones, in quibus alii Ordines Regulares accedunt iuxta adagium, ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus.

IV. In electione Officialium Sodalitii Tertiariorum sicuti in aliis similibus actibus, lex statutorum stricte servanda est, neque facile ad alia remedia seu vias extraordinarias confugiendum est legem derogando, cum ea quae a iure exorbitant maxime odiosa sint.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

PARISIEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. Teresiae a Sancto Augustino, Sanctimonialis professae Ordinis Carmelitarum excalceatorum.

Quum die 14 Aprilis vertentis anni Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII iam benigne indulserit, ut de fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praefatae Ven. Servae Dei Sor. Teresiae a Sancto Augustino agi possit in Congregatione Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum; instante Rmo Patre Dionysio a S. Teresia, Vicario et Postulatore generali Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochowski, huiusce Causae Ponens, sequens dubium discutiendum proposuit in ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, nimirum: *An constet de validitate et relevantia Processus in Dioecesi Parisiensi Auctoritate Apostolica constructi super fama Sanctitatis, Virtutum et Miraculorum in genere praefatae Ven. Servae Dei, in casu et ad effectum de quo agitur?*

Emi porro et Rmi Patres, Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, atque audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative,* seu *Constare.* Die 19 Decembris 1893.

Quibus per me infrascriptum Cardinalem, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratum habuit et confirmavit die 21 iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, *S. R. C. Secretarius.*

AURELIANEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Ioannae de Arc virginis aurelianensis puellae nuncupatae.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?

Deus, qui, ut ait Apostolus, *vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt,* velut olim, ut fortes confunderet, Deboram et Iudith pro suis consiliis elegerat; ita saeculo decimo quinto ineunte Ioannam de Arc excitavit, ut prope eversas patriae sortes ob acerrimum Gallos inter et Anglos bellum restitueret, eamque simulque afflictas Religionis res in libertatem et gloriam vindicaret. Parentibus censu mediocri, at avita in Deum pietate egregiis, ipsa in Lotharingia orta est die 6 Februarii anno 1412. A prima aetate, bonis moribus imbuta, omni christianarum virtutum genere praestantissima evasit, praesertim angelica vitae castimonia. Adhuc puellula *in simplicitate ac innocentia cordis sui Deum timens,* parentibus agricolis ope manuum suarum suppetias ferebat; domi enim commorans *digiti eius apprehendebant fusum,* et ruri una cum patre aratrum aliquando ducere non renuebat. Haec inter adolescentula piissima caelestibus charismatibus augebatur in dies. Quum vero decimum septimum aetatis annum attigisset, superno ex visu cognovit sibi Carolum Galliae Delphinum adeundum ut quod divinitus acceperat secretum ei panderet. Bona itaque ac simplex puella, sola obedientia innixa ac mirabili caritate incensa, statim *manum suam misit ad fortia.* Patria ac parentibus relictis, post innumera itineris pericula, coram rege in civitate, cui nomen vulgo *Chinon* stetit eique uni quod caelitus audierat firmo ac virlii animo aperuit: se autem a Deo missam addidit ut Civitatem Aurelianensem obsidione liberaret illumque Rhemos adduceret, ubi Christo Iesu supremo Galliae Rege declarato, in illius vicem et locum Carolus consecrationem ac regni insignia susciperet. Obstupuit rex his auditis: verum ut prudentius ac tutius in tanti momenti negotio ageretur, eam Pictavium misit, a coetu virorum illustrium ibi coadunato examinandam. Eminebant inter eos Archiepiscopus Rhemensis, Regni Cancellarius, Episcopi Pictaviensis et Magloriensis, eximii praeterea Doctores e Clero tum Saeculari, tum Regulari, qui omnes paulo post Puellam

remiserunt, praeclaro testimonio adiecto, quo eiusdem fidem, pietatem, virginitatem ac simplicitatem apud Regem cohonestantes divinam ipsius missionem probabant. Hinc illa, quae clypei et galeae usum non habuerat, equum conscendere, omnibus admirantibus, visa est: tum ensem altera manu distringens, altera vexillum, Redemptoris imagine insigne, efferens, sese bellorum periculis laboribusque commisit, ac in medios hostes impavida prosilivit. Incredibile dictu est quo ausu egerit, quot ab adversariis contumelias ac ludibria patienter sustulerit, quot ad Deum cum lacrymis et ieiunio preces fuderit, ut Aurelianenses victores evaderent, ac novis exinde Gallia aucta triumphis, regni iure sarto tectoque, futuris etiam temporibus pacis et prosperitatis amittendae simulque avitae Religionis labefactandae periculum, Deo opitulante, arceret. Videre erat Ioannam, cuius latus Confessarius semper premebat, omnia tentare ut a militibus quidquid mores inficere posset propulsaret, pluribus ad perpetrandum malum incitamentis amotis, piisque Sacerdotibus attributis, qui pietatem foverent. Validius tamen erat ipsius Puellae exemplum, quae angelicum quid portendebat exercitio virtutum omnium, praesertim incensissima in Deum et proximum caritate. Quae caritas erga inimicos etiam adeo effulsit, ut non modo Ioanna neminem illorum ense vel hasta umquam laeserit, sed etiam quos vulneratos conspiciebat humi iacere, illico erigere, sustentare ac fovere maxima omnium admiratione conspecta fuit. Tandem hac illac ut strenua ductrix advolans, Aurelianensem Civitatem hostibus liberavit, ac trepidantibus civibus pacem retulit. Super his autem Ioannae tribuendum quod terra omnis circa Ligerim, ac Trecensis, Catalaunensis et Rhemensis Civitates ad regis obedientiam redierunt, ipse demum Delphinus in regem solemniter Rhemis inunctus est. Pro tot tantisque benefactis, ita Deo disponente, et Ancillam suam probante, aspera quaeque aetas illa Puellae retulit. Nam a suis ipsis vel derelicta, vel prodita, in efferatissimas hostium manus incidit, a quibus pretio vendita catenisque vincta ac mille diu noctuque in carcere vexata modis, demum per summum scelus, quasi haeresis labe infecta ac relapsa, iniquorum sententia iudicum, qui schismatico Basilaeae Concilio studebant, flammis addicitur. Sacra Eucharistia refecta, oculisque dum combureretur ad crucem conversis, nomen Iesu saepissime ingeminans, pretiosam iustorum mortem oppetiit, quae signis

caelestibus, ut fama est, illustrata, illico adstantium admirationem adeo concitavit, ut inimici etiam eius deterriti fuerint. Nec defuit qui sibi pectus percutiens ab horrendo illo spectaculo reverteretur; quin et carnifex ipse interfectae Puellae innocentiam palam professus est. Resipuerunt exinde homines, et Ioannae sanctitatem statim in ipso supplicii loco venerari coeperunt, ita ut, ne populus Puellae reliquiis potiretur, una cum cineribus cor eius, in igne illaesum et sanguine manans, ab hostibus in flumen proiectum fuerit. Carolo VII. regnum adepto, rebusque publicis in Gallia restitutis, Callistus III. Summus Pontifex, matre ac fratribus ipsius Ioannae postulantibus, inquisitionem super processu, quo ipsa Puella ad ignem damnata fuerat, per Apostolicos Iudices institui mandavit: qui, auditis centum ac viginti cuiusvis aetatis et conditionis testibus, die 7 Iulii 1456 sententiam protulerunt, qua prius iudicium rescissum, ac Puellae innocentia declarata est. Tum fama eius sanctitatis per quatuor continenter saecula vigente, factum est, ut aetate tandem nostra ad Ordinariam Inquisitionem super eadem sanctitatis fama ac virtutum in Curia Ecclesiastica Aurelianensi deventum sit. Qua rite expleta, et ad Sacram Rituum Congregationem delata Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. benigne indulsit, ut Dubium de Signatura Commissionis Introductionis Causae eiusdem Dei Famulae in Ordinario, ut modo obtinet, Sacrae ipsius Congregationis Coetu agi possit. Quocirca, instante Rmo Episcopo Aurelianensi, una cum Rmo P. Arthuro Captier Moderatore Generali Societatis Sancti Sulpitii, eiusdem Causae Postulatore, attentisque postulatoriis litteris plurimorum Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium et Sacrorum Antistitum non modo ex Galliis, verum etiam ex aliis regionibus longissime dissitis, quibus innumeri e Clero spectabiles viri ac totus fere catholicus orbis suffragantur, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, ab Emo et Rmo Dno Cardinali Lucido Maria Parocchi, Episcopo Albanensi, eiusdem Causae Relatore, sequens Dubium discutiendum propositum est, nempe: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio; omnibus accurato examine perpensis, et audito voce ac scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 27 Ianuarii 1894.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. per me infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habens, Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Ioannae de Arc, Virginis, propria manu signare dignata est iisdem die mense et anno.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA *Praef.*

L. ✠ S.

VINC. NUSSI *Secretar.*

DECRETUM de concessione scapularis Beatae Mariae Virginis Genestani quae vocatur *Mater Boni Consilii.*

De Beata Virgine Genitrice Dei Maria, quae a Sanctis Patribus, *Aeterni Consilii opus et Consiliatrix Universalis* salutatur, ea ab Ecclesia praedicta sunt, quae in Sacris Scripturis de divina Sapientia leguntur: *Meum est consilium; Ego habito in consilio et eruditis intersum cogitationibus.* Inde titulus ortum habuit, quo ipsa Caeli Regina a fidelibus christianis iam ab antiquis temporibus donata est, *Mater Boni Consilii.* Qui mos Beatam Dei Genitricem appellandi ac venerandi Genestani potissimum invaluit ex ea tempestate, cum quatuor abhinc saeculis, sedente Paulo II. Summo Pontifice, speciosa Icon Beatissimae Matris ibidem mirabiliter apparuit. Quin et Pia Unio sub tali vocabulo a Moderatoribus Ecclesiae Ordinis Eremitarum Sancti Augustini inibi existentis, de Prioris Generalis Ordinis ipsius consensu, instituta est, quam Benedictus XIV. approbavit et confirmavit, atque inviolabili Apostolicae firmitatis patrocinio munivit, ipseque ac alii Summi Pontifices indulgentiis ditaverunt. His autem temporibus nostris, populorum christianorum necessitatibus urgentibus, mirum quantum huiusmodi cultus ceperit incrementi. Unde factum est, ut Christifideles desiderium patefecerint signum aliquod seu Scapulare gestandi a B. Virgine de Bono Consilio nuncupatum, quo sibi uberius ipsam Bonorum Consiliorum Matrem demereri valeant. Quocirca R. P. Fr. Aurelius Martinelli, Moderator Generalis praefatae Piae Unionis, ab Apostolica Sede humillimis precibus efflagitavit, ut singulis pro tempore Directoribus uniuscuiusque sedis tribue-

retur facultas benedicendi atque utriusque sexus Fidelibus imponendi Scapulare in honorem Almae Dei Parentis sub enunciato titulo *de Bono Consilio*. Quibus precibus ab Emo et Rmo Dño Vincentio Vannutelli, Causae Ponente, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito relatis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, atque audito R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Supplicandum Sanctissimo pro concessione Scapularis iuxta schema a Sacra Congregatione approbandum et penes eam adservandum favore Ordinis Eremitarum Sancti Augustini; cum facultate subdelegandi et cum Indulgentiis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro impetrandis: quoad formulam vero benedictionis et impositionis eiusdem Scapularis, ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 19 Decembris anni 1893.

Facta postmodum de iis per me infrascriptum Cardinalem, Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. relatione, Sanctitas Sua, in tot tantisque rerum ac temporum perturbationibus auxilium enixe implorans a Sanctissima Dei Genitrice, exhibitum Scapulare eiusque formulam, ab eodem Emo Ponente una cum praedicto Sanctae Fidei Promotore revisam et emendatam, approbavit iuxta mentem Sacrae ipsius Congregationis, simulque facultatem illud benedicendi atque imponendi Patribus Ordinis Eremitarum S. Augustini cum expetitis Indulgentiis, et cum facultate subdelegandi benigne concessit. Die 21 iisdem mense et anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

FORMULA benedicendi atque imponendi scapulare (1) Beatae Mariae Virginis a bono Consilio

Susceпturus Scapulare genuflectit, ac Sacerdos stola alba indutus dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Iesu Christe, qui Magni Consilii Angelus et Admirabilis Consiliarius per Incarnationem tuam adfuisti: hoc Scapulare Beatae Mariae, Matris tuae a Bono Consilio bene ✠ dicere digneris, ut haec insignia gestantes per gratiam tuam recta consilia secuti bonis perfrui mereantur aeternis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Postea aspergit Scapulare aqua benedicta, atque illud imponens dicit:

Accipe, Frater, (*vel* Soror) haec insignia Beatae Mariae Virginis, Matris Boni Consilii; ut, ea inspirante, quae Deo placita sunt digne semper perficias, et cum electis suis consociari merearis. Per Christum Dominum Nostrum.

℟. Amen.

Tunc prosequitur:

℣. Ora pro nobis, Mater Boni Consilii.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

(1) Scapulare istud conficiatur ex binis de more partibus laneis albi coloris simul coniunctis per dupliceм chordulam seu vittam. Altera pars habeat superimpositam imaginem impressam in serica vel simili materie Imaginem B. Mariae, quae colitur in Sanctuario Genestani cum verbis inscriptis: MATER BONI CONSILII. Pars vero altera referat applicitum stemma pontificale, videlicet trinam coronam cum clavibus et verba inscripta latine seu vernacule: *Fili acquiesce consiliis eius.* (Leo XIII).

OREMUS

Deus, qui Genitricem dilecti Filii tui Matrem nobis dedisti, eiusque speciosam imaginem mira apparitione clarificare dignatus es: concede, quaesumus; ut eiusdem monitis iugiter inhaerentes, secundum cor tuum vivere, et ad caelestem patriam feliciter pervenire valeamus. Per eumdem Christum Dominum Nostrum.

℟. Amen.

ELENCHUS INDULGENTIARUM

PLENARIAE.

Plenariam omnium admissorum Indulgentiam utriusque sexus Christifideles lucrari queunt, Animabus quoque in Purgatorii igne detentis applicabilem, in sequentibus diebus dummodo rite Confessi, et ad Sacram Synaxim accesserint:

1. Die, qua B. M. V. Boni Consilii Matris Scapulare suscipiant, vel Dominica, aut in aliquo Festo eam immediate sequenti.

2. Die 26 Aprilis, vel aliqua infra Octavam festi B. M. V. Boni Consilii Matris.

3. In articulo mortis, dummodo rite Confessi et Sanctissima Eucharistia refecti corde saltem, si nequeant ore, Sanctissimum Iesu Nomen invocaverint.

4. In festis Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, et Assumptionis B. M. V. itemque in festo S. Augustini Episcopi Confessoris Ecclesiaeque Doctoris.

PARTIALES.

1. Indulgentiam septem annorum ac totidem Quadragenarum, pari modo Animabus piaculari igne cruciatis applicabilem, consequi possunt Fideles utriusque sexus in festis Praesentationis et Visitationis B. M. V.; dummodo corde contrito Ecclesiam, vel publicum Oratorium inviserint, ibique aliquod temporis spatium iuxta mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces fuderint.

2. Centum dierum indulgentiam quoties, corde vel ore, Deiparae Virginis Consilium invocaverint.

3. Item Indulgentiam Centum dierum quoties corde contrito, et pro conversione peccatorum bonum aliquod opus exegerint.

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptam benedictionis formulam ab Emo ac Rmo Domino Cardinali Vincentio Vannutelli, Causae Relatore, una cum R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore revisam et emendatam approbavit, simulque expetitas Indulgentias, in superiori elencho adnotatas, Fidelibus Scapulare gestantibus in honorem B. M. V. Boni Consilii Matris, benigne impertiri dignatus est, iuxta eiusdem Sacrae Congregationis Decretum diei 19 Decembris 1893. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 21, iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

BASILEENSIS de adscriptione Christifidelium distinctis Confraternitatibus, quae tamen ad eiusdem obiecti cultum sese referunt, et de Parochis ad munus Rectoris Confraternitatum constituendis.

In Dioecesi Basileensi in distinctis Ecclesiis duae existunt Confraternitates, una quidem sub titulo SSmi Cordis Iesu simpliciter; altera vero sub titulo Adorationis Perpetuae SSmi Cordis Iesu. Iam vero ob existentiam harum Confraternitatum quae idem saltem obiectum principale respiciunt, nonnulla dubia exorta sunt, quorum solutionem Episcopus Basileensis humiliter expostulat ab hac S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita. Quaeritur igitur:

I. Utrum fideles utrique Confraternitati, quae idem obiectum cultui exhibet, simul adscribi valeant; et quatenus negative, ii Christifideles qui praedictis Confraternitatibus iam adscripti reperiuntur, cuinam adscripti sint retinendi?

II. Cum rector praedictae Confraternitatis sub titulo SSmi Cordis Iesu expresse non fuerit constitutus in erectione ipsius Confraternitatis, utrum parochus qui erectionem postulaverat, et facile uti Rector habitus est, valide adscribere potuerit fideles eidem Confraternitati; et quatenus negative, petitur sanatio adscriptionum hucusque indebite peractarum.

III. An Vicarii eiusdem parochi ex eius mandato valide cooptare potuerint Christifideles in Confraternitatem, et quatenus negative, item petitur sanatio adscriptionum.

Porro S. Congregatio dubiis desuper propositis, exquisito prius unius ex Consultoribus voto, respondit:

Ad I^um *Affirmative* ad 1^am partem, ad 2^am partem provisum in 1^a.

Ad II^um *Negative* quoad 1^am partem; quoad 2^am exhibeatur supplex libellus pro sanatione.

Ad III^um *Negative* quoad 1^am partem; nisi Parocho fuerit facta in concessione facultas subdelegandi suos Vicarios aut alios sibi benevisos presbyteros, iuxta id quod alias decrevit haec S. C. in una Auxiensi sub die 22 Augusti 1842; quoad 2^am item exhibeatur supplex libellus, quatenus in Parocho defecerit facultas subdelegandi.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 13 Februarii 1894.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO Praefectus.

L. ✣ S.

† Alexander Archiep. Nicop. *Secretarius.*

APPENDIX V.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. Poenit. Ap. 12 Apr. 1889. — Archiep. N. Dubia quoad separationem quando adest incestus publicus.

Rescripta S. Poenitentiariae in causis matrimonialibus cum adfuit incestus publicus, clausulam sequentem in praesenti continent: *Remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem si fieri potest.* Hisce miserrimis temporibus non raro evenit ut separatio oratorum obtineri nequeat, aut quia plures iam habent liberos simul educandos, aut quia nusquam alibi habitare possunt; et tunc vix intelligi potest quaenam alia separatio scandali exigi debeat, antequam dispensatio concedatur. Rogamus igitur ut S. Poenitentiaria benigne velit declarare num haec clausula « *remoto scandalo* » ita necessario debeat adimpleri, ut illa omissa, dispensatio fuerit nulliter concessa. Et quatenus affirmative:

1. Cum pluries acciderit ut, errore ducti, ita dispensaverimus, suppliciter petimus ut S. V. dispensationes huiusmodi benigne convalidare dignetur, et, si opus sit, matrimonia exinde secuta in radice sanare.

2. Rogamus ut S. Poenitentiaria nobis velit indicare quibusnam praesertim mediis remotio seu reparatio scandali, defectu separationis, procurari debeat aut possit. Sufficitne, v. g. ut in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur matrimonium inter oratores contrahendum, vel ut oratores, aut alteruter eorum, ante dispensationis executionem sua peccata confiteatur.

R. Separationem praeferri aliis modis reparationis scandali; si haec fieri nequeat, scandalum esse reparandum, sed modum scandali reparandi remitti prudenti arbitrio et conscientiae Ordinarii, iuxta cuiusque casus exigentias. Casu quo omissa sit separatio, et scandalum alio modo reparatum, acquiescat; secus, si aliquo in casu scandali reparationem omiserit, sileat, et in posterum cautius se gerat.

S. Poenitentiaria Ap. 8 Aprilis 1890. — Ep. Nicotrien et Tropien. Dubium quoad poenitentiam imponendam in dispensationibus matrimonialibus.

In dispensationibus matrimonialibus a S. Poenitentiaria expeditis, saepe, iuxta causas expositas, inseritur clausula: *cum gravi et diuturna poenitentia salutari;* et in quibusdam aliis legitur haec praescriptio: *cum gravi poenitentia salutari.* Attenta hodie dominanti corruptione, pessimaque dispensatorum voluntate, qui quidem labiis promittunt, ac deinde promissa non exequuntur, atque etiam aliquoties impotentia eorum, eo quod a mane ad vesperam labori incumbere debeant, ut sibi victum comparent, quaeritur: — Potestne iniungi poenitentia per tres tantum menses, verum pluribus per hebdomadam vicibus adimplenda, quando praescripta est *gravis et diuturna,* ac per unum solum mensem, cum statuta fuit *gravis poenitentia salutaris,* idque ad evitandum novum sponsorum peccatum, stante firma certitudine, quod, celebrato semel matrimonio, iam nihil amplius curent, cum gravi propriae conscientiae damno?

R. In praefinienda poenitentiae qualitate, gravitate, duratione etc., quae dispensantis aut delegati arbitrio iuri conformi remittuntur, neque severitatis, neque humanitatis fines esse excedendos, rationemque habendam conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus etc. eorum quibus poena irrogari iniungitur.

S. Poenitent. Ap. 2 Iulii 1891. — Dubium quoad absolutionem a censuris praemittendam etc.

Utrum casu quo nullam praevidet Ordinarius censuram ab oratoribus fuisse contractam, debet nihilominus Ordinarius, qui dispensationem matrimonialem vi alicuius indulti concedit, clausulam absolutionis ad cautelam praemittere, quam Sacra Poenitentiaria et Apostolica Dataria praemittere consueverunt.

R. Absolutionem a censuris, in casu de quo agitur, laudabiliter praemitti.

S. C. S. Officii 18 Martii 1891. — Declaratio quoad reticitam copulam.

Dispensationes matrimoniales super quovis impedimento, sive agatur de matrimoniis invalide contractis, sive de contrahendis, esse validas etiamsi copula, vel consilium et intentio per eam facilius gratiam impetrandi, reticita fuerint.

S. C. S. Officii 27 Augusti 1658. — Dubia quoad matrimonia ineunda in templis haereticis etc.

Cum in praedictarum (Belgii) Provinciarum aliquibus politica iubeant statuta, ut catholici omnes qui matrimonia inire volent, in templis haereticis coram praedicante et populo calvinistis contrahant sub hac formula sponsorum reciproca: *accipio N. N. in coniugem meam coram hac sancta communitate,* quaeritur: 1. An id possit permitti. – 2. An possint a parocho catholico coniungi in matrimonium immediate postquam contraxerint coram praedicante et populo calvinistis cum illa verborum formula *coram hac sancta communitate* antequam de tali synagoga haeretica pro sancta agnita poeniteant.

R. Ad 1. Negative. – Ad 2. Qui contraxerunt coram tali communitate pro sancta cognita, ac denuo petunt coniungi coram parocho catholico, posse et debere coniungi antequam poeniteant. Ex charitate tamen esse monendos ut interius poeniteant, et, si fieri potest, prius confiteantur, et imponatur illis aliqua suavis poenitentia salutaris. Qui vero prius contraxerunt coram parocho catholico, monendos esse ne compareant ad contrahendum coram praedicante et populo haeretico cum illa formula *coram hac sancta communitate.*

S. C. S. Officii 29 Novembris 1672. — Hiberniae. De consuetudine adeundi ministrum haereticum, post contractum matrimonium catholicum.

Catholici qui matrimonio iuncti sunt coram parocho ac testibus catholicis, in pluribus locis (ita invaluit consuetudo) solent coram ministro haeretico seu protestante rursus coniungi ad evitanda gravia damna, neque potest consuetudo haec a clero corrigi. Peccantne, et quo peccato catholici sic denuo coniuncti coram ministro haeretico, et quomodo se gerere debeat erga illos Ordinarius loci?

R. Quatenus minister assistat matrimoniis catholicorum uti minister politicus, non peccare contrahentes; si vero assistat uti minister addictus sacris, non licere, et tunc contrahentes peccare mortaliter et esse monendos.

S. C. S. Officii 9 Maii 1821. — Mission Kentucky. Dubium de matrimonio anteponendo communioni.

Passim ad matrimonium se afferunt, qui nedum communicant; licetne hoc Sacramentum (Matrimonii) dare antequam communicent?

Communiter accidit quod, post contractum matrimonium, ad vomitum redeant cunctaque negligant.

R. Animarum pastores totis viribus in id incumbere debent, ut nupturi rite in catholicae doctrinae rudimentis sint instructi, peccata sacramentaliter confiteri, sacraeque mensae accedere consueverint, atque curare ut matrimonii celebrationi Sacram Communionem, purificatis animis perceptam, adiungant.

S. C. S. Officii 20 Decembris 1837. — Ep. Barden. (Bardstow seu Louisville). An missionarius vel Episcopus assistere valeat matrimonio haereticorum.

Humiliter exponit quod multi protestantes, absque ulla intentione religionem catholicam amplectendi, saepe sollicitant, ut vel coram uno e suis sacerdotibus, vel coram Episcopo ipso consensum ad matrimonium contrahendum praestent. Notandum est quod in talibus circumstantiis non tamquam sacerdotes, sed sicut magistratus civiles agerent Episcopus et sacerdotes, quod legibus reipublicae licitum est. Nunc quaerit utrum ipsi missionariisque suis liceat talibus praeesse matrimoniis.

R. Si agatur de matrimonio inter duas partes haereticas, licet huiusmodi interventus non ita reprobetur, ut numquam licitus esse possit, communiter tamen esse dissuadendum. Si vero altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, et servatis solitis clausulis et conditionibus, licere.

S. C. S. Officii 21 Februarii 1883. — Vic. Ap. Bombayen. Quoad iuramentum massonicum in ordine ad matrimonium.

Utrum iuramentum massonicum non retractatum considerari et tractari possit vel debeat ad instar impedimenti matrimonium impedientis aut etiam dirimentis; et quae cautelae exigi debeant ut matrimonium puellae catholicae cum viro franco-muratore iurato, licite aut etiam valide a parocho benedici possit.

R. Quod attinet ad matrimonium, in quo una contrahentium pars clandestinis aggregationibus notorie adhaeret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac in re non ediderit, oportet ut Pastores caute et prudenter se gerant, et debent potius in casibus particularibus ea statuere, quae magis in Domino expedire iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere. Omnino vero excludatur celebratio Sacrificii Missae, nisi quando gravia adiuncta aliter exigant.

S. Poenitent. Ap. 10 Decembris 1860. — Dubium de matrimonii celebratione ab innodatis a censuris.

Quomodo se gerere debeant parochi in celebratione matrimoniorum illorum qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint?

R. Curandum pro viribus ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur: at si reconciliari recusent, et, nisi matrimonium celebretur, gravia inde mala imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis quae a probatis auctoribus et praesertim a S. Alphonso (lib. 6, tract. 1, cap. 2, n. 54) traduntur (1), ea declaret quae magis expedire in Domino iudicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione.

(1) Ita S. Doctor l. c.: « Quaeritur an parochus possit assistere matrimonio eorum qui sunt publici peccatores. Certum est teneri parochos arcere a matrimonio eos qui nesciunt doctrinam christianam, uti constat ex Ritual. rom. *De matrim.* sub initio, ubi praescribitur: *Parochus cognoscat utrum uterque* (sponsus) *sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios docere suos debeat.* Item S. Congr. habita coram Innoc. XII, an. 1697 ut refert Sum. Pont. Bened. XIV (De Syn. l. 8, c. 14) decrevit parochos non debere procedere ad proclamationes nisi repererint contrahentes sufficienter instructos in rudimentis fidei; et hoc Decretum confirmatum fuit a Clemente XI ut in suo bullario, ac a nostro Papa Benedicto in litter. Encyclic. Utrum autem, praeter hanc ignorantiam, possit parochus peccatoribus negare suam assistentiam ad matrimonium: Si contrahentes publice peterent, et essent indigni ratione peccati vel censurae occultae, recte dicunt Lugo *dist. 8, sect. 13* et Croix *n. 147* cum Arriaga et communi, parochum teneri assistere, iuxta dicta n. 47. Dubium est an assistere possit et teneatur si contrahentes sint publice indigni. Affirmant Layman *l. 5, tr. 10, p. 2, c. 4, n. 8*, Croix *l. c.* et Lugo *n. 205* cum Praepos., modo tamen parochus prius conatus fuerit disponere sponsos ad digne contrahendum. Ratio, ut dicunt, quia parochus non est minister matrimonii, sed tantum testis, unde ex una parte, cum sit publicus minister, non potest suam negare assistentiam; et ex altera licite potest assistere, cum sua cooperatio sit mere materialis. Negant vero alii auctores qui sentiunt parochum esse verum ministrum matrimonii; sed haec ratio non subsistit; nam, ut probabimus *infra de matrim.* ex *n. 897* ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes, et parochus non est nisi merus testis. Hoc tamen non obstante, minime acquiescimus primae sententiae, et dicimus parochum non teneri nec posse assistere tali matrimonio. Favetque nobis auctoritas Sum. Pont. Benedicti XIV. *De Syn. l. 8, c. 14* qui sic docet: *Quamvis iuxta communiorem magisque receptam sententiam non sit* (parochus) *Sacram. Matrimonii minister, tamen in multis comparatur ministro, nec licite sua praesentia et auctoritate firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri.* Ratio nostrae sententiae est, tum quia de iure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum interne consummaverit, prout diximus de caritate lib. 2, n. 47, ita nec parochus in nostro casu: tum quia parochus tenetur ex iustitia, ex contractu inito cum communitate a qua stipendium accipit, incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas avertendo a peccatis. Nec valet dicere quod contrahentes habent ius ut parochus eorum matrimonio assistat. Nam respondetur 1. quod nemo potest habere ius ad actionem in qua committitur peccatum;

S. Poenitentiaria Ap. 10 Iunii 1876. — Dubium de clausula apponi solita in dispensationibus.

Utrum non observantia clausulae quae apponi solet in dispensationibus: *erogata aliqua eleemosyna, iudicio Ordinarii*, secumferat nullitatem dispensationis. R. *Negative.*

S. C. S. Officii 11 Decembris 1850. — Vic. Ap. Sandwic. Dubia quoad matrimonia.

1. D'après la loi du pays nous pouvons marier et nous marions en effet des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques, des catholiques avec des infidèles, des hérétiques avec des hérétiques, des hérétiques avec des infidèles, des infidèles avec des infidèles.

2. Pour les catholiques avec des catholiques nous suivons exactement le rituel, et nous avons toujours soin de les confesser auparavant.

3. Pour les catholiques avec des hérétiques ou des infidèles nous confessons auparavant, pour plus grande sureté, la partie catholique et nous nous contentons de demander ensuite le consentement des deux parties.

4. Pour les autres nous ne demandons que le consentement.

5. Nul doute que nous puissions, en vertu de nos pouvoirs, marier des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques ou des infidèles. Mais pouvons nous, en sureté de conscience, comme simples officiers civils recevoir le consentement d'un hérétique avec un hérétique, d'un hérétique avec un infidèle, d'un infidèle avec un infidèle qui ne prétendent se marier que d'après les sens et les termes de la loi civile qui admet le divorce?

6. Lorsque les deux parties que nous avons mariées ne sont pas toutes deux catholiques, pouvons nous rémarier celle qui obtient un billet de divorce?

resp. 2. quod sponsi in tantum habent ius ad assistentiam parochi, in quantum hic tenetur ex officio incumbere eorum bono spirituali; unde cum in hoc parochi assistentia non conferret ad bonum, sed ad ipsorum ruinam, idcirco nec sponsi ius habent, neque parochus tenetur assistere: imo debet suam assistentiam negare, cum praecipua eius obligatio sit impedire peccata ovium suarum. Et quod dicimus de parocho, dicendum est etiam de testibus; qui tamen satis excusarentur a peccato, si assisterent coacti metu gravi, cum ipsi non teneantur, nisi ex caritate, impedire peccatum. Parochus autem etiam excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato.„

7. Si (ce qu'a Dieu ne plaise) deux catholiques allaient se faire marier par les ministres calvinistes avec l'intention de ne se marier que d'après les sens et les termes de la loi civile, qui admet le divorce, pourrions nous remarier la partie qui obtiendrait du gouvernement la permission de se marier à un autre?

8. Notre conduite, dans ce cas, est de marier indistinctement, et même de remarier tous ceux, qui obtiennent du gouvernement la permission de se marier. Nous ne sommes inexorables qu'envers les catholiques, que nous aurions validement mariés, et qui voudraient en vertu de la loi du divorce, se marier de nouveau.

R. Ad 1. Providebitur in sequentibus.

Ad 2. Bene et rite se gerere.

Ad 3. Rationem (sive modum) ibi descriptum coniungendi contrahentes, de quibus agitur, minime vetari, dummodo detur consensus extra ecclesiam sine ulla omnino benedictione, quemadmodum recte de more iubet Benedictus PP. XIV de synod. dioeces. lib. 5, c. 5, § 5, et serventur conditiones de quibus infra.

Ad 4. Providebitur in sequentibus.

Ad 5. Quoad quaesiti partem primam, viderit S. C. de Prop. utrum Orator cum suis missionariis fruatur revera facultate dispensandi super mixtae religionis impedimentis et disparitatis cultus. In mentem tamen eiusdem Vicarii Apostolici hic opportune revocetur, matrimonia huius generis semper esse detestanda, nunquam a sacerdote catholico benedicenda: et contrahenda extra fores ecclesiae, praemissis prius tribus solitis conditionibus, quae sunt nimirum educatio totius prolis in catholica veritate, liberum exercitium religionis catholicae, et studium catholicae partis pertrahendi scilicet alteram ad verae fidei professionem.

Quoad 2. quaesiti partem, missionariis de quibus agitur, sub quocumque respectu consideratis, vetitum esse recipere consensum tam haereticorum cum haereticis, quam infidelium cum infidelibus inter se contrahentium. Quod si Vicarius Apostolicus praevideat superventura damna gravissima catholicae religioni ex recusata hac missionariorum assistentia; sciat ipse, missionarios in tali hypothesi non esse pro interim ob id inquietandos. Sed ipse quam citissime deferat omnia ad hanc S. Sedem, enunciando eidem diligenter et accurate quae et quanta forent damna quae in casu imminerent; referendo insuper exactissime omnes locorum, temporum, personarumve circumstantias; referendo tandem utrum nostri catholici sive alii quicumque scandalum patiantur ob memoratam sacerdotum catholicorum adsistentiam, ut S. Sedes matura deliberatione definire valeat utrum illius regionis missionariis possit

licite permitti ut intersint praefatis connubiis tamquam officiales, ut aiunt, civiles, sive tamquam testes qualificati et auctorizabiles, sola nimirum exhibita praesentia materiali et passiva, sine ullo approbationis signo et sine ulla benedictione.

Ad 6 et 7. Non licere nisi constet primum matrimonium fuisse nullum, sive ob legem divortii in pactum deductam, sive ob aliquod aliud dirimens canonicum impedimentum.

8. Praxim de qua agitur omnino esse vetandam, praesertim si agatur de mixtis matrimoniis fidelium cum haereticis et infidelibus.

Quoad assistentiam vero quam missionarii nostri praestant haereticis inter se contrahentibus et infidelibus, missionarios praedictos non posse licite iisdem assistere, prout responsum fuit supra ad partem secundam quaesiti quinti.

Ex Instr. S. C. S. Officii 18 Decembris 1872. — (Ad Vic. Ap. Oceaniae Centr.) Dubium circa applicationem dispensationum matrimonii.

... Amplitudo tua alia adiecit (dubia) « circa applicationem dispensationum matrimonii, quorum *primum* hoc fuit: Quidam neophytus ex infideli insula oriundus revertens in suam patriam, ubi forsan viam fidei praeparabit, postulat, utrum ipse possit matrimonium inire in illa insula valde distanti, ubi nullus est missionarius, nullusque recursus ad missionarium erit possibilis per unum, vel duos, vel tres annos. Neophytus continere non posset, praesertim inter dissolutos mores paganorum, et longe a Sacramentis. Ibi vero nulla invenitur puella baptizata, aut, si qua sit, haec illi forsan non convenit. Quaeritur, utrum valide, utrum licite in eo casu particulari, et pro uno aut altero tantum, dari possit illi neophyto dispensatio anticipatim super impedimento disparitatis cultus absque nominatione personae, quae est ipsi unienda, quae quidem nondum est determinata. Si negative, utrum pronuntiari possit impedimentum disparitatis cultus, quod est ecclesiasticum, in eo casu non existere? » S. Congregatio respondit: « Ad *primum*. Quoad primam partem Negative, et ad mentem. Mens est, ut consulatur SSmo, ut provideat per opportunas facultates Vicario Apostolico concedendas pro duobus vel tribus casibus dispensandi neophytum sive per se, sive per suum Adiutorem anticipatim absque nominatione personae super impedimento cognationis spiritualis, quatenus mulier convertatur, et, deficiente alia persona catholica, ab ipso baptizata fuerit, quatenus vero converti renuat, ab impedimento disparitatis cultus, sub hisce tamen in

hoc altero casu conditionibus eidem neophyto imponendis, ut omni studio curet conversionem mulieris a se electae, et interim promissionem iuratam ab ea exigat, se curaturam ut proles educetur in religione catholica, neque ullum unquam illaturam esse impedimentum sive sibi, hoc est ipsi neophyto, sive proli in religionis christianae exercitio. Quoad alteram partem, Provisum in prima.» Praedictas vero facultates Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est pro tribus casibus.

Alterum dubium hoc fuit: «Quidam missionarius concessit dispensationem super impedimento, quin cogitaverit de absolutione a censuris facienda: censura autem innodatus erat coniungendus. Utrum valida sit illa dispensatio, si confessarius ipse illam concesserit. Utrum valida etiam sit, si illam dispensaverit alius sacerdos, qui non cognovit censuram.» S. Congregatio respondit: «Ad *secundum*. Quoad confessarium, qui dispensaverit in actu confessionis post impertitam absolutionem: Affirmative. Quoad sacerdotem qui dispensaverit extra confessionem: Negative.»

S. C. S. Officii 15 Iunii 1875. — S. Ludovici in Amer. Sept. Dubium quoad omissionem clausulae in facultatibus etc.

An dispensatio super impedimentis matrimonialibus ab Ordinario iuxta consuetas facultates Apostolicas concessa, quamvis graviter illicita, tamen valida sit quando data sit informis propterea quod tenor facultatis a S. Sede delegatae, vel tempus *ad quod*, expressa non sint, vel quia telegraphice paucis verbis, vel oretenus tantum concessa sit. Dubium hoc oritur ex omissione clausulae *alias nullae sint* in facultatibus ordinariis Americae nunc concessis, quae clausula olim in huiusmodi facultatibus expresse apposita fuerat.

R. Affirmative, dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel, si rapta, in potestate raptoris non existat. Clausulas vero servandas adamussim esse quantum tamen rerum, temporum, locorumque adiuncta ferre possunt.

Instr. S. C. S. Officii 17 Februarii 1864. — (Ad Episcopos Regni Hannover.) De matrimoniis ineundis inter haereticos.

Non latet, quibusdam in locis haereticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo se sistere solent coniuges aut etiam debent, ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti coniuges, prolesque censeantur legitimae. Tum vero urgentibus haere-

ticis, aut lege civili imperante, non improbatur, quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat implendum. Etenim ad dubium olim sic expressum: – Utrum catholicus coram proprio catholico parocho cum haeretica contrahens, licite possit, urgentibus haereticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici professio habeatur, aut colligatur, et, quidqid minister haereticus in casu peragit, civilis dumtaxat et politica gratulatio sit et censeatur; – per S. Congregationem responsum fuit: – Affirmative.

Verum enim vero quotiescumque minister haereticus censetur veluti sacris addictus, et quasi parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare, eo quia adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, pars catholica ritui haeretico re consociaret, unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio. Ea propter etsi perniciosa haec consuetudo inoleverit ita ut a clero de facili corrigi non possit, nihilo tamen secius, omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane Benedictus XIV aperte docet non licere contrahentibus se sistere coram ministro haeretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris, et contrahentes peccare mortaliter et esse monendos.

Opportune itaque ab te instructi et commoniti parochi ac missionarii, edoceant fideles, qua publicis in ecclesiis catechesibus, qua privatis instructionibus, circa constantem Ecclesiae doctrinam et praxim, ita ut salubriter a mixtis contrahendis nuptiis, quoad fieri possit, avertantur, sin autem abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram haeretico ministro sacris addicto, id quod omnimode illicitum et sacrilegum est. Ita responsum fuit Ordinario Treviren. sub fer. IV die 21 Aprilis 1847.

Sciant insuper parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse; sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris in quas incurrunt.

Verumtamen ad gravia praecavenda mala si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nec ne adire ministrum haereticum: et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum; ac insuper ex adiun-

ctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, immo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones, atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, nec non de universa prole in religione catholica educanda. Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam praestitus iam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur: parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit.

Sacra igitur Congregatio plurimum in Domino confidit Te praemissis prudenter ac firmiter inhaerentem effecturum, ut inviolabilis doctrinae sartum tectum servetur depositum, catholicorum mores fidei respondeant, damna apprehensa arceantur, et fideles doctrina atque exemplo roborati incedant per semitas iustitiae.

S. C. S. Officii 11 Ianuarii 1888. — Ep. Vizagapatam. Dubia de matrimonio ineundo iuxta ritum gentilium.

1. Potestne Episcopus consentire ut duobus catechumenis qui maxima urgentur necessitate matrimonium inter se quamprimum et iuxta ritum gentilium contrahendi, ne scilicet puella a parentibus cogatur nubere viro pagano et uxorato, suadeatur ut, more gentilium, praetermissis sollicite caeremoniis idololatricis, contrahant?

2. Contingit aliquando ut mulieres a viris suis haud aegre obtineant facultatem ut filias suas baptizandas curent. Licetne Episcopo, antequam eas admittat, illis significare, nuptias, postquam baptizati fuerint, celebrandas fore in Ecclesia? an satis est ut eos christiana doctrina instruat, quin specialium huiusmodi obligationum mentionem faciat?

R. Ad 1. Prout proponitur, Affirmative.

Ad 2. Catechumenos ante baptismum generatim monendos esse de obligatione ritibus superstitiosis, et nominatim iis qui a gentilibus in celebratione nuptiarum coluntur, renuntiandi; posse tamen Episcopum, si in casu particulari graves rationes suadeant ut haec monitio post baptismum differatur, eos servatis servandis baptizare. Quod si ambo parentes infideles sint, baptizandos esse, dummodo in singulis casibus non praevideatur ullum adesse grave perversionis periculum, et dummodo non constet parentes ob superstitionem filios offerre baptizandos.

Decr. S. C. SS. Rit. 3 Martii 1818. — Dubium quoad Missam pro sponso et sponsa.

Per generale decretum die 30 Decembris 1783 editum, et a fel. rec. Pio Papae VI confirmatum die 7 Ian. 1784, declaratum fuit, in celebratione nuptiarum quae fit extra Dominicam vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrat dupl. primae vel secundae classis, etiamsi fiat Officium et Missa de festo dupl. per annum sive mai. sive min. dicendam esse Missam pro sponso et sponsa in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam; in diebus vero Dominicis aliisque festis de praecepto ac duplicibus 1. vel 2. classis dicendam esse Missam de festo, cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa. Verumtamen cum interea nonnulla excitata fuerint dubia circa rubricam in hac celebranda Missa servandam, et parochorum sensus sit varius, quippe quia aliqui, eidem Missae Hymnum Angelicum adiiciendum censent, cum ℣. *Ita Missa est* in fine, alii vero etiam Simbolum Nicaenum legendum putent, ea freti ratione quod haec Missa ceu solemnis et pro re gravi haberi debeat; ideo ad amputandas controversias et dubitationes, utque ab omnibus unus idemque conveniens ritus servetur, Sacra Rituum Congregatio... re mature discussa, declaravit atque decrevit, quod firma remanente dispositione praefati decreti quoad designationem dierum, quibus Missa votiva pro sponso et sponsa celebrari potest, eamdem esse votivam privatam, proindeque semper legendam sine Hymno Angelico et Symbolo Nicaeno, cum tribus orationibus, prima videlicet eiusdem Missae votivae propria, ut habetur in fine Missalis, 2. et 3. diei currentis, ut in Rubrica *(Tit. VII. num. 3. De Commemorat.) Benedicamus Domino* in fine, et ultimo Evangelio S. Ioannis. Et ita decrevit die 28 Februarii 1818.

Facta autem... relatione Sanctissimo Dno N. Pio VII Pont. Max. Sanctitas Sua praefatum decretum approbavit, confirmavit, mandavitque praelo tradi, et publici iuris fieri.

S. C. SS. Rit. 20 April. 1822. Derthonen. — Dubia quoad Missam pro sponsis.

1. An huiusmodi Missa (pro sponso et sponsa) dici possit diebus duplicia excludentibus, ut infra octavam Epiphaniae, in vigilia Pentecostes, et infra octavam privilegiatam SS. Corporis Christi.

2. An commemoratio Missae pro sponso et sponsa, dicenda, prout ex dicto Decreto, in Missis de duplici 1. vel 2. class., dici debeat sub unica conclusione cum Oratione festi, vel sub altera conclusione?

3. An talis commemoratio pariter dici debeat, vel sub altera conclusione: prout solet de aliis commemorationibus occurrentibus in diebus Dominicis et festis de praecepto?

4. Quo loco, quando aliae occurrunt commemorationes, ut in proximo quaesito, commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda sit sub secunda conclusione, an scilicet ultimo loco?

R. Ad 1. Negative quoad Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecostes, et Octavam privilegiatam SS. Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar Octavae Epiphaniae.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 3. Ut in antecedenti.

Ad 4. Faciendam primo loco post alias de praecepto.

S. C. SS. Rit. 31 Augusti 1839. Montis Pessulan.
De nuptiis celebratis tempore prohibito.

1. Quando nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, debetne fieri commemoratio Missae pro sponso et sponsa per Collectam, Secretam et Postcommunionem?

2. Licetne recitare supra sponsos preces seu orationes in Misssali positas post orationem Dominicam, et *Ite Missa est?*

3. Quando praedictae orationes non sunt recitatae in Missa nuptiarum, debentne recitari extra Missam elapso tempore prohibito?

R. Serventur Rubricae Missalis ac generalia memorata decreta, quibus edicitur ut, quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis locum habere nequit solemnis benedictio nuptiarum, ita pariter inhibetur commemoratio pro sponso et sponsa in Missa occurrente, neque orationes resumendae extra Missam, tempore prohibito iam elapso.

S. C. de Prop. Fide C. P. pro Sin. 21 Iulii 1841. Vic. Ap. Tunk. Occid.
De benedictione nuptiarum.

1. Benedictio nuptialis quae est in Rituali prohibeturne dari tempore vetito? An vero hoc tempore prohibetur tantum benedictio quae est in Missali?

2. In quantum affirmative ad primam partem praefati dubii, an saltem cum permissu Vicarii Ap. licite possit dari tempore vetito benedictio Ritualis tam iam matrimonio iunctis, quam iungi intendentibus? In quantum autem affirmative ad secundam partem primi dubii an Vi-

carius Ap. permittere possit ut, eodem tempore vetito, illa Missalis benedictio detur, saltem iam matrimonio iunctis in absentia sacerdotis et absque illa benedictione? Quod si negative ad duplicem partem huius secundi dubii, humiliter postulo hanc facultatem.

3. Benedictio quae est in Missali potestne dari illis qui sine illa benedictione iam matimonio iuncti in primis nuptiis, quando mulier iam gravida est, vel iam filios peperit? Item iis, qui hic et nunc de praesenti matrimonium contrahunt in primis nuptiis, quando sponsa cognoscitur gravida, vel iam ante matrimonium filios ex fornicatione genuit?

4. Quando datur benedictio nuptialis iis qui iam valide matrimonio iuncti sunt, debetne recitari formula: *Ego vos in matrimonium coniungo,* sine renovatione consensus? Quid quando dubitatur (ut saepissime) an iam valide contraxerint necne?

5. Estne necessarium ut qui iam valide matrimonio iuncti sunt, sint ambo in statu gratiae, ut licite possint recipere benedictionem nuptialem, sive quae in Rituali, sive quae in Missali est, et quam petunt non ad validitatem eorum matrimonii, sed tantum ne Sacramenti dignitas vilescat, et ut fructus spirituales ex hac benedictione recipiant? In praefato casu sacerdos potestne et debetne illos adhortari ut sese praesentent ad benedictionem nuptialem recipiendam? Quid, si una pars est absolutionis capax, altera non?

R. Ad 1. Negative ad primam partem, dummodo non adsit consaetudo non contrahendi matrimonium, etiam sine solemnitate, tempore vetito; affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative ad primam partem, quatenus adsit supradicta consuetudo; negative ad secundam, sed supplicandum SSmo pro facultate. Quam benigne concessit ad formam concessionis pro Vicario Apostolico Sutchuensi anno 1796.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Ad primam partem: Detur instructio anni 1806 (1). Ad secundam partem, consulat probatos auctores.

Ad 5. Ad primam partem, convenit; ad secundam, provisum in prima.

(1) Ita se habet instructio an. 1806: « Trattandosi di sola benedizione di nozze » supposte valide, e già validamente contratte, il sacerdote, richiesto dai coniugi della » benedizione nuziale, dovrà piuttosto ai coniugi dichiarare che una tal benedizione » benchè utile e salutare, non è però necessaria alla validità e insolubilità del loro » coniugio, e recitare perciò sopra gli sposi ciò che prescrive il Rituale Romano, pre- » scindendo dal richieder loro la rinnovazione del consenso, e dal proferir le parole: » *Ego vos coniungo etc.* »

EPISTOLA ENCYCLICA Sanctissimi Dni Nostri Leonis Divina Providentia Papa XIII ad Episcopos Polonos quos laudat pro perpessis persecutionibus favore fidei et excitat ad constantiam.

Caritatis providentiaeque Nostrae peculiare testimonium quod aliis catholicis gentibus per intervalla exhibuimus, ut, datis ad earum Episcopos singularibus litteris, documenta Apostolicae exhortationis impertiremus, id similiter vobis ex opportunitate praestare posse, iamdiu Nos ingens desiderium tenebat. Equidem populum istum, genere, sermone, religioso ritu varium, uno Nos omnem, quod alias ediximus, eodemque studio complectimur et fovemus; neque unquam nisi iucundissime de ipso cogitamus, cuius et praeclara spirat memoria gestarum rerum, et magnam erga Nos coniunctam cum fiducia pietatem constanter agnovimus. — In ceteris enim laudibus, laus merito manet eximia patribus illis vestris, qui, tremefactà Europa ad impetus hostium christiani nominis praepotentium, pectorum suorum praesidia inter primos, insignibus praeliis, opposuerunt, iidem religionis et civilis cultus vindices acerrimi fidissimique custodes. His de promeritis palam est a Nobis non multos ante menses cum gaudio commemoratum, tunc scilicet quum nonnulli vestrum, Venerabiles Fratres, pia fidelium agmina peregre ad Nos salutatum gratulatumque adduxistis; ex qua pulcherrima fidei testificatione, pergrata adfuit occasio ut avitae religionis decus, per multos rerum et difficiles casus integrum, vividum, Poloniae vicissim gratularemur. — Iamvero sacris eius rationibus si, quantum erat in Nobis, nihil antea prodesse destitimus, id posse vel amplius cupimus, atque in praesentia efficere consilium est; eà nimirum causâ, ut sollicitudinis in vos Nostrae apertior extet coram Ecclesia declaratio, utque etiam vestrum omnium animi in catholicae professionis officiis, roborata virtute, subsidiis auctis, confirmentur et praestent. Hoc autem facere instituimus alacriore quidem cum spe, propterea quod cognitum perspectumque habemus qua vos, Venerabiles Fratres, sollertia interpretes voluntatis Nostrae et ministri esse consueveritis, et quo proposito in summis vestrorum gregum bonis tuendis augendisque elaboretis. Quos autem in ipsis praestabiles fructus expetimus, ita Deus, qui ad alloquendum movit, benignus idem secundet.

Beneficium divinae veritatis et gratiae, quod humano generi religione sua Christus Dominus attulit, tantae excellentiae utilitatisque est, cum quo aliud nullum in ullo genere ne conferri quidem possit, nedum possit aequari. Cuius virtus beneficii, multiplex, ut omnes norunt, et saluberrima, mirum in modum affluit ad singulos et ad universos, ad societatem domesticam et ad civilem, ad prosperitatem caducae vitae iuvandam et ad felicitatem adipiscendam vitae immortalis. Ex quo continuo appareret, gentes catholica religione donatas, sicut maximo bonorum omnium in ea potiuntur, ita officiorum omnium maximo adstringi eiusdem colendae et diligendae. Simul vero apparet, rem non esse eiusmodi, quam ad suum cuiusque arbitrium vel singuli vel civitates recte se praestare posse confidant, verum qua dumtaxat ratione, qua disciplina, quo ordine ipse definivit et iussit religionis divinus auctor: videlicet magisterio et ductu Ecclesiae, quae ab ipso tamquam *columna et firmamentum veritatis* (1) constituta est, eiusque singulari ope per omnes aetates viguit, vigebitque, rata promissione, perpetuo: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi* (2). — Iure igitur genti vestrae tam clarus religionis honor ab avis et maioribus ideo stetit, quod Ecclesiae matri summa semper adhaesit fide, parique in obsequio Pontificum romanorum et in obedientia sacrorum Antistitum, quos illi pro potestate designarent, immota perstitit semper. Inde quam multa ad vos commoda et ornamenta profluxerint, quam praesentia in trepidis rebus solatia ceperitis, quanta habeatis etiamnum adiumenta, vosmet gratis tenetis animis, grate profitemini. — Manifestum quotidie est, quaenam gravissimarum rerum in populis imperiisque consequantur momenta, Ecclesia catholica vel observata et digno loco habita vel per iniuriam contemptionemve laesa. Quum enim in doctrina et lege Evangelii ea contineantur quae ad salutem perfectionemque hominis, tum in fide et cognitione, tum in usu et actione vitae, usquequaque proficiant; quumque eam doctrinam et legem Ecclesia, divino a Christo iure, tradere possit et religione sancire; ipsa propterea, divino munere, vi magna pollet moderatrice humanae societatis, in qua et fautrix est generosae virtutis et lectissimorum bonorum effectrix. — At Ecclesia vero, cui divinitus romanus Pontifex praeest, tantum abest ut, ex au-

(1) I Tim. III, 15.
(2) Matth. XXVIII, 20.

ctoritatis tanta amplitudine, quidquam sibi de alieno arroget iure aut cuiusquam obliquis studiis conniveat, ut potius de iure suo saepe remittat, indulgendo; atque summis et infimis sapienti consulens aequitate, sese omnibus gubernatricem et matrem exhibeat sollertissimam. Quapropter illi iniuste faciunt qui hac etiam in re veteres contra ipsam calumnias, iam toties refutatas planeque contritas, in lucem nituntur revehere, nova vituperationis specie confictas: neque ii minus reprehendi, qui eâdem de causa diffidunt Ecclesiae, eique suspicionem conflant apud rectores civitatum et in publicis legumlatorum coetibus, a quibus nempe laus plurima ipsi debetur et gratia. Nihil enim omnino ea docet aut praecipit quod maiestati principum, quod incolumitati et progredienti populorum vitae, ullo modo officiat vel adversetur; multa immo ex christiana sapientia assidue profert ad communem eorum utilitatem sane quam conducibilia. In quibus haec memoratu digna: principatum qui teneant, eos imaginem divinae in homines potestatis providentiaeque referre; eorum inperium debere iustum esse et imitari divinum, bonitate temperatum paterna, atque unice emolumenta spectare civitatis; ab ipsis rationem Deo iudici aliquando reddendam, eamque pro celsiore dignitatis loco graviorem: qui vero sint sub potestate, debere constanter reverentiam et fidem servare principibus, tamquam Deo regnum per homines exercenti, eisdem obtemperare, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (1), pro ipsis adhibere *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones* (2); debere sanctam custodire disciplinam civitatis; ab improborum machinationibus sectisque abstinere, nec quidquam facere seditiose; omnia conferre ad tranquillam in iustitia pacem tenendam. — Ista et similia praecepta institutaque evangelica, quae ab Ecclesia tantopere suadentur, ubi in pretio sunt et re ipsa valent, praestantissimos ibi fructus afferre non cessant, eosque afferunt in illis gentibus uberiores, in quibus Ecclesia liberiore utitur sui muneris facultate. Eisdem vero refragari praeceptis et Ecclesiae ductum recusare, idem est ac refragari voluntati divinae et insigne beneficium abiicere; nihil ut in civitate vere prosperum honestumque permaneat, permixta delabantur omnia, anxiâ calamitatum formidine et rectores et populi occupentur. — Habetis quidem,

(1) Rom. XIII, 5.
(2) Tim. III, 1-2.

Venerabiles Fratres, de his rerum capitibus iam fusius a Nobis tradita per occasionem praescripta: eadem tamen visum est summatim revocare, quo navitas vestra, novo quasi auspicio freta auctoritatis Nostrae, impensius in idem feliciusque contendat. Illud certe optimum faustumque fuerit in gregibus vestris, si afflatus caveantur turbulentorum hominum, pessimis artibus nihil iam non scelestissime audentium ad evertenda delenda imperia; si nullae officiorum partes, quae civium sunt bonorum, desiderentur; si ex fide Deo debita et sacra, fides erga rem publicam et principes efflorescat.

De societate item domestica, de iuventutis et sacri ordinis institutione, de modis optimis christianae tractandae caritatis, diligentiam acuite. — Integritas et honestas domesticae convictionis, ex qua praecipue sanitas funditur in venas societatis civilis, repetenda est primum a sanctitate coniugii, quod secundum Dei et Ecclesiae praecepta initum sit, unum et individuum. Tum oportet iura et officia inter coniuges inviolata esse et quanta maxima fieri possit concordia et caritate expleri; prolis tuitioni commodisque, potissimum educationi, parentes consulere; suo ipsos documento vitae, quo nihil praestantius est neque efficacius, antecedere. Institutioni tamen liberorum rectae probaeque nequaquam illi arbitrentur se posse, ut par est, prospicere, nisi summopere evigilando. Neque enim ab iis tantum scholis lyceisque defugiendum est, ubi doctrinis error de religione, deditâ opera, admisceatur, vel ubi propemodum dominetur impietas, sed ab iis etiam in quibus de christianis institutis et moribus, perinde ac de importunis rebus, nulla sit praeceptio nec disciplina. Nam quorum ingenia litteris et artibus erudiuntur, eosdem profecto necesse est pariter cognitione cultuque erudiri divinarum rerum, utpote qui, admonente ipsa et iubente natura, non minus quam civitati, multoque amplius, debeant Deo, quique idcirco in lucem suscepti sint, ut civitati servientes, ad mansuram in caelo patriam iter dirigant suum studioseque conficiant. In hoc autem cessandum minime erit, procedente cum eorum aetate cultura civili; quin etiam eo insistendum enixius, tum quod iuventus cupiditate sciendi, ut nunc praesertim agitantur studia, vehementius quotidie urgetur, tum quod eidem maiora quotidie impendent de fide pericula, magnis iam deploratis tanta in re iacturis. Quod vero de ratione sacrae doctrinae tradendae, de magistrorum probitate et peritia, de libro-

rum delectu, quasdam Ecclesia censet vindicare sibi cautiones, quosdam modos praefinire, id sane suopte iure facit; neque id potest non facere, pro eo quo tenetur gravissimo officio providendi ne quid usquam irrepat, ab integritate alienum fidei morumve, quod christiano populo noceat. — Sacram porro institutionem, quae impertiatur in scholis, ea confirmet et compleat quae certis temporibus praescriptisque habeatur in curiis ac templis, ubi eiusdem fidei caritatisque germina, quasi in solo suo, uberius nutriuntur et proveniunt.

Haec satis per se ipsa monent, singulari opus esse diligentia et opera ad informandum ordinem clericalem; qui, divino oraculo, talis succrescere debet atque sacrum ita tenere propositum, ut *sal terrae* et *lux mundi* habeatur et sit. Utraque laus, quae doctrina sana vitaeque sanctimonia praecipue continetur, in adolescente quidem clero potissime accuranda est, neque tamen minus est custodienda et provehenda in clero adulto, qui proxime incumbit *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (1). — De sacris seminariis clericorum bene est Nobis cognitum, Venerabiles Fratres, minime partes deesse vestras; ut, potius quam admoveamus incitamenta, comprobationem testari deceat vobis eisque omnibus quorum ipsa laetantur procurandi et docendi labore assiduo. Sane, temporibus quae inciderunt tam Ecclesiae iniquis, quum hostes veritatis invalescunt, quum corruptelarum pestis iam non serpit occulta, sed impudens in omnia grassatur, si plura quam antea levamenta et remedia expectanda sunt a sacerdotali ordine, is nimirum maiore quam antea cura et exercitatione comparandus est ad bonum certamen fidei et ad parem virtutis omnis dignitatem. Quae de ratione dirigenda studiorum sunt a Nobis identidem normae praestitutae, in re praesertim philosophica, theologica, biblica, probe nostis: ad eas instate ut sese magistri perdiligenter componant, neve ullam praetermittant ex doctrinis ceteris, quae gravioribus illis ornamento sunt, et sacerdotalibus muniis addunt commendationem. Instantibus similiter vobis, moderatores disciplinae et pietatis (homines qui esse debent integritate et prudentia spectatissimi), sic rationem temperent vitae communis, sic alumnorum animos conforment exerceantque, ut virtutum congruentium quo-

(1) Eph. IV, 12.

tidiani in ipsis progressus eluceant: atque huc illud etiam spectet, omnem ut addiscant matureque induant prudentiam in iis attingendis quae civilis sint potestatis. Hoc sane modo ex sacris illis veluti palaestris et castris nova continenter militia, eaque optime instructa, prodibit, quae suppetias veniat laborantibus in pulvere et sole, atque defessos emeritosque integra suppleat. Verum, in ipsa sacrorum munerum perfunctione, facile videtis quantum periculi virtus vel solida offendat, et quam sit humanum languescere in propositis ab eisque deficere. Itaque eo simul pertineant curae vestrae ut sacerdotibus appositae praebeatis quo studia doctrinae recolere possint et augere, in primis quo contentius possint, redintegratis interdum animorum viribus, et perfectioni vacare suae et aliorum sempiternae saluti prodesse. — Talem vos, Venerabiles Fratres, rite in oculis vestris eductum atque probatum si habueritis clerum, sentietis profecto vobis pastorale munus, non allevari solum, sed etiam abundare optatis in grege fructibus: quorum licet sperare copiam a cleri maxime exemplo et actuosa caritate.

Eiusdem caritatis praeceptum, quod *magnum* in Christo est, omnibus ex quovis ordine commendatissimum sit, idque singuli perficere studeant, quemadmodum Ioannes monet apostolus, *opere et veritate:* nullo enim alio vinculo aut praesidio constare ad firmitatem familiae et civitates possunt, neque, id quod pluris est, christianae dignitatis merita adipisci. Quae Nos considerantes, deplorantesque tam multa mala et acerba, eo posthabito dimissove praecepto, publice et privatim consecuta, saepenumero in eadem re Apostolicam vocem edidimus: singulariter fecimus per litteras encyclicas, quarum initium est *Novarum rerum,* ubi principia retulimus, ad causam de conditione opificum ex veritate et aequitate evangelica dirimendam aptiora. Ea ipsa nunc renovatâ admonitione inculcamus. Sancta movente et ducente caritate, quantam catholica instituta, sodalitia artificum, mutuo opitulantium consociationes, id genus plura, vim habeant virtutemque vel ad leniendas tenuiorum aerumnas vel ad infirmam plebem recte erudiendam, apertum experiendo est: qui autem consilium vel auctoritatem, pecuniam vel operam ad ista conferant in quibus vertitur multorum salus, etiam sempiterna, ii verissime de religione et de civibus suis promerentur egregie.

Ad haec, genti Polonae universe dicta, certa quaedam subiicere libet, quae singulatim, pro locorum in quibus versamini conditione, usui fore censemus; atque adeo ex his ipsis quae dedimus monitis quaedam libet eo altius in animis vestris defigere. — Vos primum, ut plures numero, qui Russico imperio paretis, iure est quod catholicae professionis nomine collaudemus, hortatione muniamus. Caput est hortationis Nostrae, ut istum constantiae animum in sancta fide colenda retineatis acriter et foveatis, in qua id bonum habetis, quod principium et fons est, ut diximus, maximorum bonorum. Hoc utique christianus animus ceteris rebus omnibus longe anteponat oportet; hoc ipsum, ut sunt divina iussa et splendida sanctorum hominum facta, nec ullis fractus difficultatibus deserat, et summis viribus laboribusque custodiat; eiusdemque virtute fultus, solatium et opem, quoscumque humanae res eventus adducant, aeque certissime ac patienter a Deo memori expectet. — Ad Nos quod attinet, rerum vestrarum quae sit conditio, equidem pro munere Nostro, habemus compertum; valdeque ista delectat fiducia quam in Nobis, filiorum instar, plurimam collocatis. Sic igitur, admonemus, fallaciis omnino reiectis quae contra benevolentiam et sollicitudinem in vos Nostram nequiter serantur, hoc sit vobis penitus persuasum, nihil Nos minus quam Pontifices decessores, sicut pro ceteris popularibus vestris, ita pro vobis suscepisse et intendisse curas; qui etiam, vestram ut sustineamus fiduciam, omnia parati sumus et laboriose conniti et persequi confidenter. Iuvat memoria repetere, inde Nos a Pontificatus exordiis, de re catholica istic relevanda cogitantes, opportune apud Imperiale Consilium officia interposuisse ut ea contenderemus quae simul dignitas huius Apostolicae Sedis, simul rationum vestrarum patrocinium viderentur deposcere. Quibus ex officiis consecutum est, ut anno MDCCCLXXXII certa cum illo pactionum capita sint constituta: haec inter, Episcopis liberam fore copiam moderandi ad canonicas leges seminaria clericorum; tum Academiam ecclesiasticam Petropolitanam, quae Polonis quoque patet alumnis, iurisdictioni plene tradendam Archiepiscopi Mohyloviensis, atque in melius adducendam, ad ampliorem cleri et religionis catholicae utilitatem: accepta praeterea fide, quamprimum abrogatum aut mitigatum iri singulares eas leges, quas clerus vester severiores sibi conquerebatur. Illo ex tempore nunquam Nos, vel capta vel quae-

sita occasione, pacta conventa expostulare desiimus. Quin immo easdem expostulationes ad ipsum deferri placuit potentissimum Imperatorem, cuius et exploratum in Nos amicitiae animum et studium iustitiae excelsum obtestati enixe sumus in causa vestra; neque intermittemus rogationes ad Ipsum per tempus adhibere, eas potissime commendantes Deo, quippe *cor regis in manu Domini* (1). — Vos autem Venerabiles Fratres, pergite dignitatem sacrosanctaque iura religionis catholicae Nobiscum tueri: quae tunc vere proposito potest constare suo et beneficia afferre quae debet, quum iustae securitatis libertatisque compos idoneis praesidiis instruitur ad actionem, quantum oporteat, explicandam. Quoniam vero ipsi perspicitis qualem dederimus demus operam tranquillitati publici ordinis conciliandae in gentibus continendaeque, iidem agere ne cessetis, ut sublimiorum potestatum observantia et publicae obtemperatio disciplinae in clero pariterque in ceteris firme consistat: atque ita, omni prorsus offensionis vel reprehensionis causa submota, omnique specie insimulationis in reverentiam conversa, catholico nomini sua laus maneat et accrescat. — Item sit vestrum in id incumbere, ut quidquam ne desit de summa fidelium salute neque in administrandis curiis, neque in pabulo divini verbi impertiendo, neque in alendo religionis spiritu; ut pueri et adolescentes, maxime in scholis, sacra catechesi diligenter imbuantur, idque, quanto magis fieri possit, operâ sacerdotum, quibus sit a vobis id legitime demandatum; ut cultui divino et decor sacrarum aedium et festus sollemnitatum honor plane congruant, unde fides haurit bona incrementa. Rectissime porro feceritis, praecavendo discrimina, si qua forte hisce in rebus instare videantur: ob eamque causam ne dubitetis ratas ipsas cum hac Apostolica Sede conventiones graviter quidem prudenterque appellare. Talia nimirum et discrimina abesse et convenientia bona contingere, non Polonis tantummodo, sed cunctis qui sincera publicae rei caritate ducantur, gratum esse et optabile debet. Ecclesia enim catholica, quod principio docuimus quotidieque eminet, sic nata institutaque est, ut civitatibus et populis, nihil admodum detrimenti, sed multiplices vero et decoras utilitates in rerum etiam mortalium genere, nunquam non pariat feliciter.

(1) Prov. XXI, 1.

Vos deinde qui in ditione estis inclitae Domus Habspurgensis, reputate animis quantum augusto Imperatori, religionis avitae studiosissimo, debeatis. Iusta igitur in Eum fides gratumque obsequium luculentius a vobis in dies pateat: pateat studium non dissimile ea persequendi omnia, quae ad catholicae religionis incolumitatem et decus vel iam sunt optime constituta vel tempora et res provide constituenda suadeant. — Universitatem Cracoviensem, vetustam atque nobilem doctrinarum sedem, valde optamus integritatem et praestantiam tueri suam, atque etiam aemulari laudes talium Academiarum, quas insignis Episcoporum cura et liberalitas privatorum non paucas, faventibus Nobis, per haec ipsa tempora excitavit. Quemadmodum in illis, ita in vestra, sollertiâ dilecti Filii Nostri Cardinalis Episcopi moderante, gravissimae quaeque disciplinae cum fide amico foedere coëuntes et, quantum ab ea luminis mutuantur et firmitatis, tantum subsidii ad ipsius defensionem referentes, utinam iuventuti lectissimae magis magisque in partes omnes sint profuturae. — Item vestra magni interesse debet, Nostra certe interest maxime, vigere apud vos in omnium existimatione ordines Religiosorum; qui, virtutis quam consectantur perfectione et doctrina varia fructuosoque in excolendis animis labore commendati, tamquam apparatiores copiae praesto sunt Ecclesiae, eisque non minus civitas ad honestissima quaeque adiutoribus optimis omni tempore usa est. Nominatimque Galiciam respicientes summa voluntate perantiquum commemoramus Basilianum ordinem, in quo instaurando peculiaria quaedam consilia et curas iampridem Ipsi posuimus. Non mediocrem enimvero laetitiae fructum ideo capimus, quod expectationi ille Nostrae alacri religione obsecundans, nititur pleno gradu ad superiorum temporum gloriam, quum ecclesiae Ruthenae multis modis extitit salutaris: cuius eiusdem salutis auspicia, Episcoporum vigilantiâ et curatorum industriâ, iam ex ipso praeclariora in dies nitescunt. — Hic autem quoniam de Ruthenis incidit mentio, eam sinite iteremus cohortationem, ut vos cum ipsis, quamquam originum rituumque dissimilitudo intercedat, arctius voluntates amantiusque societas prout eos condecet quos regionum, civitatis, maximeque fidei sociat communio. Hos enim sicut Ecclesia benemerentes habet et diligit filios, eisque legitimas consuetudines ac ritus proprios sapienti consilio permittit, non aliter vos, praecedente clero, sic habete et

colite ut fratres, quorum sit cor unum et anima una, eo demum conspirantium, ut uni Deo et Domino amplificetur gloria simulque fructus omnis iustitiae multiplicentur *in pulcritudine pacis*.

Libenti pariter animo orationem ad vos convertimus, qui provinciam incolitis Gnesnensem et Posnaniensem. Siquidem hoc inter cetera gratum est recordari, quemadmodum ex civibus ipsis vestris, omnium ut erant vota, ad illustrem sancti Adalberti sedem virum eveximus pietate, prudentia, caritate eximium. Gratius est autem videre, qua vos obedientia, quo amore gubernationi eius miti operosaeque unanimi studeatis; ex quo vere sperandum, religionis catholicae statum fore apud vos bonis auctibus quotidie laetiorem. Eadem vero spes quo magis affirmetur optatisque plenius respondeat, non sine causa iubemus vos magnanimae aequitati confidere serenissimi Imperatoris; cuius praeterea propensam in vos ac benevolam mentem ex Ipso coram haud semel pernovimus, sane adfuturam vobis, in verecundia legum, in omnique recte factorum christiana laude perseverantibus.

Haec, Venerabiles Fratres, praescripta et hortamenta gregibus quisque vestris sic nuntietis velimus, ut vestrâ etiam operâ fructuosiora eveniant. In his agnoscant carissimi filii quam magno ipsorum gratiâ affectu caritatis urgemur; haec autem ipsi, ut optatissimum Nobis est, pari accipiant observantia et pietate. Quae quidem si diligenter, id quod pro certo habemus, constanterque coluerint, profecto poterunt quum fidei ex temporum gravitate pericula declinare, tum patrum memorabilia decora custodire, animos et exempla referre, manantibus inde ad huius quoque solatium vitae emolumentis quam optimis. — Secundam autem divini auxilii copiam, precatoribus adhibitis gloriosissima Virgine Maria, Ioscpho sanctissimo, cuius hodie solemnibus christianus populus gaudet, sanctisque Caelitibus Poloniae Patronis, vehementer Nobiscum, quaesumus, implorate. Huius rei auspicium atque praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem, vobis et clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX martii an. MDCCCXCIV Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ROMANA ET ALIARUM.

Die 24 Februarii 1894.

Per Summaria Precum.

COMPENDIUM FACTI. Postquam decretum *Vigilanti* (1) ad compescendum missarum mercimonium publici iuris evasit, et rogante Emo Praefecto S. C. de Propaganda Fide a SSmo ad ecclesiam quoque orientalem extensum est, statim plures ex variis partibus supplices libelli oblati sunt, hi ad dispensationem impetrandam contra latae legis dispositiones, illi vero ad quaedam dubia in practica legis applicatione diluenda.

Porro ad dispensationes quod attinet post editum decretum haec norma servata est, scilicet, quaelibet postulatio ad negotia in futurum agenda aut ephemerides evulgandas ope missarum, generatim in suspenso retenta est; et tantummodo permissum ut negotia incoepta aut associationes antecedenter bona fide ad annum vel ad semestre iam initae explerentur, adiectis tamen debitis cautelis ad quoslibet vitandos abusus.

Nunc autem de his precibus in merito sententia est ferenda: videndum scilicet an et quomodo eisdem satisfieri possit.

Quo vero ad dubia proposita principaliora duabus instantiis continentur; altera Episcopi Premisliensis, altera Episcopi Conversanensis, quae proinde ex integro exscribuntur.

Haec itaque in primis Premisliensis Praesul: « Decretum S. Congregationis Concilii datum Romae die 25 Maii 1893, quo damnantur et gravibus poenis mulctantur abusus, Missarum celebrationem spectantes, per illustrissimum Archiepiscopum Leopolitanum rit. lat. nuper ibi communicatum, Orator paratus est publicare in sua dioecesi.

(1) Relatum fuit pag. 56 Voluminis huius.

« Ast quum in praefato decreto non fiat mentio responsionis, neque S. Poenitentiariae Ap. e 6 Octobris 1862, neque eiusdem S. Congregationis Concilii e 24 Aprilis 1875, quibus ecclesiasticis viris ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda stipendiis Missarum uti permittitur, quum e contra in eodem decreto dicatur, « *revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis praesenti decreto utcumque adversantibus* » –; eapropter humillime infrascriptus Orator, antequam decretum publicet, enixe petit informationem, utrum recentissimo decreto revocatae censeri debeant supradictae responsiones.

Praeterea quaerit orator: « An illicite agant ecclesiastici viri, quibus quidem a fidelibus Missarum stipendia non dantur immediate, sed qui eas eleemosynas sponte oblatas, ab aliis sacerdotibus vel Episcopis extraneis, e Gallia verbi gratia vel e Polonia Russiaci imperii, rogant aut oblatas acceptant, easque deinde sacerdotibus celebrandas offerunt, stipendii autem loco dant eis libros bonos a se editos vel diaria religiosa aequalis pretii ?

« Item viri ecclesiastici, qui volentes aedificare Ecclesiam novam vel vetustam restaurare, deficientibus sumptibus comparant sibi ab Episcopis vel monasteriis vel beneficiatis abundantiorem numerum stipendiorum Missae, et deinde rogant alios sacerdotes, ut certum numerum eiusmodi Missarum, tempore debito gratis celebrent, stipendio earum pro fabrica Ecclesiae retento ».

Haec itaque Premisliensis Praesul. Conversanensis vero haec definienda poscebat :

« I. Non ostante il prefato Generale Decreto del 25 Maggio 1893, può seguirsi la norma tracciata da codesta medesima Sacra Congregazione il dì 24 Aprile 1875, ch' è come segue » :

« An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diariorum religiosorum, qui sacerdotibus missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio ipsis respondente in casu ? — Resp. Negative dummodo nil

detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacumque studiosa collectione Missarum, et docto cui de iure de secuta Missarum celebratione, facto verbo cum Sanctissimo ».

« II. Nel caso di risposta affermativa, la clausola *exclusa quacumque studiosa collectione Missarum* può interpretarsi, come si è solito fino ad ora, nel senso che sieno vietati gli inviti a stampa e gli altri modi sconvenienti ? »

Supplex hic libellus Conversanensis Episcopi Iulio mense vertente oblatus fuit ; et paulo post, scilicet Septembri mense, in ephemeride « *il Monitore Ecclesiastico* » quae sub auspiciis eiusdem Episcopi Conversani prodit, commentarium in decretum *Vigilanti* edebatur, quod librorum venditoribus, editoribus ac diariorum directoribus valde arrisit et novorum dubiorum occasionem praebuit.

Quae cum ita essent res omnis, tam quoad preces pro dispensationibus, quam quoad dubia, una simul subiecta fuit sapienti EE. PP. iudicio, exquisito tamen prius voto unius ex consultoribus.

Disceptatio Synoptica

Votum Consultoris. Non sine dolore evolvi, quae de mercimonio Missarum relata sunt in expositione praecedente Decretum *Vigilanti studio*, et melius ac manifestius in postrema a Riño Secretario exarata. Ex utraque colligitur quanta sapientia S. haec Congregatio Decretum renovaverit S. M. Pii Papae IX, adiectis poenis transgressoribus infligendis, ut tandem aliquando incommodum vere dolendum dissipetur, et penitus auferatur. Mercimonium ulterius dissimulandum non erat, et si hodiedum, sub specie honestatis, necessitatis, et religionis conatur obtrudi, vel simpliciter insinuari, expedit non fraena laxare, vimque decreti iam lati quomodolibet enervare, sed illud sartum tectumque servandum est, ne lamentata incommoda renoventur. Quod si

indulgentia concedenda sit, eo quia necessitas, aut vera utilitas cogunt, concedatur utique, sed talibus praepedita obstaculis, ne unquam vergat in praeiudicium decreti....

Proinde duo ad trutinam sunt hic revocanda, nimirum an recentissimo decreto revocata sit, quam vocant declarationem, responsio scilicet a S. C. C. data in *Tarbien et aliarum* (1) die 24 Aprilis 1875 *ad dubium VI:* et quid respondendum sit supplicibus libellis, quibus plures enixe petunt ut eis fas sit antiquo uti favore. Duobus dubiis, speculativo et practico respondeo.

Ad I^am^. quaestionem quod attinet notum Emis Patribus apprime est, sensum S. C. semper constanterque fuisse associationes, et eo magis aliud commercii exercitium, ope missarum et abusus periculum aliisque de causis, decreto anni 1874 vetitum omnino fuisse.

Quin dicatur subsequenti anni 1875 responsione ad dubium VI in *Tarbien.* id iterum permissum fuisse. Quandoquidem in eo casu non agebatur de generali quodam dubio speculative resolvendo; sed de responsione ad supplicem libellum duarum ephemeridum *Acta S. Sedis* et *Le Missioni Cattoliche.* Et quod de privilegio his duabus ephemeridibus concesso, utique sub certis limitationibus, tunc dumtaxat ageretur, etiam ex eo evincitur, quod post responsiones ad varia dubia in ea causa proposita Emi Patres hanc clausulam censuerunt addendam: « Facto de praedictis omnibus verbo cum SSmo ».

Hoc argumentum quidam effugere tentant, et ad sophisma recurrunt, speciem praeferens veritatis, quod si serio consideratur, nullius est roboris, et ad persuasionem ingerendam ineptum. Articulus VI, aiunt, non continet privilegium, nec indultum, sed per se simplex declaratio est, prout verba insinuant.

Ita Admonitor Eccl. Conversani, cui plures adhaerent. Acceptant autem conditiones appositas, *dummodo nil detra-*

(1) Habes relatam Vol. VIII, 350. Recole etiam pag. 107 eiusdem Voluminis.

hatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum, et tempus celebrationis, exclusa quacumque (1) *collectione Missarum, et docto cui de iure de sequuta Missarum celebratione.* Non nego responsum cit. speciem declarationis habere praesertim si casus intimius non examinetur, nec attendantur ea quae superius dicta sunt.

Ceterum ab oppositoribus sciscitarer: poteratne Congregatio respondere negative? Potuisse puto, et ipsi certissime non negabunt. Cur autem posset? dicam aperte, ratione periculi. Ideo ad quaevis incommoda praecavenda, S. Congregatio conditiones superius notatas in sua responsione inseruit.....

Confirmo ex scopo decreti, qui aperte colligitur ex ipsa praefatione. Praemittuntur enim haec verba: « *ad cohibendam pravam quorumdam licentiam, qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit eaque Pio PP. IX fel. rec. approbante edi* etc. ». Vigetne hodie necessitas illa cohibendi licentiam? Et sacra Congregatio decretum renovans additis poenis, aerem ne verberavit, in incertum pugnans? Si decretum noviter promulgatum est, novoque robore firmatum, non aberraret, qui assereret callida ingenia non defuisse, qui effugia et tergiversationes invenerunt, ut decretum eluderent. Eludebant sane non pauci, et ex litteris et informationibus datis apertissime constat. Illi autem qui inter mercatores non recensentur, et benigna concessione utebantur, erantne piaculi lamentati immunes? Puto plures utpote prudentes, honestos, religiosissimos sartas tectasque servavisse conditiones in articulo VI notatas. Absit ut velim, omnes omnino tanti criminis habere ut reos. Ast ab omnibus servabantur? – melius dicam – servari poterant?

Praetereo tempus et locum celebrationis, cum impossibile sit emptores ephemeridis, in eo loco morari, ubi haec im-

(1) Animadverte verba « exclusa quacumque collectione missarum ». Ita sane reperitur scriptum in actis Sacrae Congregationis. Quapropter errant qui in edenda hac responsione scribunt « exclusa quacumque *studiosa* collectione missarum ». Verbum enim *studiosa* dicendum est interpolatum.

primitur. Et en necessitas privilegii, quo fiat potestas missam celebrandi alio in loco. Pariter quoad tempus, valde difficile erit normam servare, quae traditur a theologis. Postrema conditio qua dicitur *exclusa quacumque collectione Missarum*, quomodo observari possit ab editoribus ephemeridum, me nescire profiteor. Quid significet illud verbum *collectio*, facili negotio concipitur. Quid procurant ephemeridum editores? colligere tot eleemosynas, quot necessariae sunt, ut antiquis et novis emptoribus ephemeridis satis fiat. Iamvero quonam modo, non occurret incommodum colligendi Missarum acervum, ut novis petentibus fiat satis? Atqui collectio haec prohibita est a Benedicto XIV, in sua Constitutione quae incipit *Quanta cura*. Quae collectio aliud incommodum ingerit, de quo iam dixi, scilicet non satis faciendi obligationi intra brevê tempus.

Demum rem ipsam confirmo ex medio seu melius ex ratione quae in decreto *Vigilanti* inseritur, ut finem habeant, nec amplius nominentur, mala quae proveniunt ex collectione missarum. Notentur haec verba: *Cum experientia docuerit, mala quae deplorantur, ex eo potissimum originem vires-que ducere, quod in quorumdam privatorum manus, maior missarum numerus congeritur quam iusta necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres..... sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni, quae reliqua sunt..... propriis Ordinariis tradant.* Si haec verba quidpiam valent, non solum studiosam collectionem prohibent, sed quamcumque et quocumque modo fiat. Miror curnam decreti *Vigilanti studio* commentatores, huic clausulae nullo modo attenderint, eamque omiserint, ac si eos non afficeret. Nihilominus praetereunda non erat. Poterat enim eorum inquisitioni lucem afferre.

Haec quae plus iusto rigorosa videntur, omittere nolui, eo quod qui interpretantur decretum *Vigilanti* pro modulo

suo, iam in suis ephemeridibus promulgarunt, nihil immutatum esse, et omnia procedere sicut ante decretum, ac si istud conditum sit ad solatium, non ad inducendam obligationem. Istine decreto obtemperant studiosam collectionem prohibenti ?

Ad II. vero quaestionem deveniens quid nempe respondendum sit supplicibus libellis indulgentiam iam datam poscentibus, praemitto hic Ecclesiam omnem sollicitudinem exercuisse, quam Benedictus XIV merito *incredibilem* vocat, ut a re de qua agitur, quamlibet negotiationis speciem efficaciter propulsaret. Cuius gratia saluberrima decreta edere consuevit, et in particularibus casibus mentem suam aperuit, atque manifestavit, removens quidquid tanto sacrificio iudicavit indignum. Dignitati enim et excellentiae sacrificii incruenti prospicere debet, et umbram scandali a christiano populo propulsare, cui si suspicio ingeritur, eleemosynas sacerdoti oblatas cum mercibus permutari, et celebrationem Missarum laicis committi, notitiam excipit suis auribus offensivam.

Insuper de avaritia nostra plura dicuntur, et de Missarum eleemosynis, quae facile et absque scrupulo dissipantur, dicteria promulgata sunt, quin necesse sit S. Congregationem indulgentiam bonitatemque ostendere, illaque reddere credibilia. Quod eveniret, si dissimularet lamentata incommoda, et viam, aut etiam cuniculum quod illis exhibet occasionem, obsignare negligeret. Locutio haec nec severa, nec nimis rigorosa videbitur : si ita iudicaretur, severitati et excessivi rigoris insimulanda erit Ecclesia, quae toties per Romanos Pontifices diligentem et accuratam celebrationem Missarum urgere et inculcare non destitit. Si autem non obstantibus tot Constitutionibus Pontificiis, incommoda non cessarunt, quid eveniet, si ipsa Congregatio, mollis et plus aequo indulgens demonstraretur? Si articulus ille VI tollerabilis certo, et conditionibus munitus, irreprehensibilis erat, nihilominus in praxi anterioribus et toties lamentatis abusibus praebuit occasionem, quid si Sacra Congregatio reticeret, et quod de-

terius esset, aut propria auctoritate sanciret, aut remisse agens, fontem abusuum conservaret? Incommoda iam late grassantur et invocant instantissime remedium efficax et opportunum. Remisse agere, et indulgentia uti, hodie, non expedit. Praesulum relationes huic Congregationi datas ante Decretum *Vigilanti* attentissime legi et diligenter evolvi, et omnes ad removendos abusus qui interveniunt in celebratione Missarum rigorem severitatemque agnoscunt. Nec immerito. Gravia etenim mala non facilitate curantur, sed legibus convenientibus et accommodatis. Si quis in lamentationes erumperet, responderem, si lex gravis est atque molesta, abusibus ipsam tibi parasti. *Lex autem quantuncumque dura servanda est.* L prospexit ff. qui, et a quib.

Et revera si qui indulgentiam Congregationis implorant, vere catholici sunt prout profiteri non desinunt, et Ecclesiam non fucato sed fideli prosequuntur amore, omnium primi obedientiam decretis S. Congregationis exemplo suo et facto demonstrent. Certo ex indulgentia negata damnum non leve paterentur, verumtamen iisdem non deberet esse molestum, cum vicibus repetitis palam edixerint, se velle Ecclesiae incolumitati ac bono prospicere, eiusque iura defendere, propria utilitate semota. Nihilominus hodie modo diverso loquuntur, et omnes repetunt ore concordi, negato privilegio commutandi diaria cum eleemosyna pro celebratione Missarum, non posse certamen prosequi contra hostes Ecclesiae, quia hoc fonte sublato, certo peribunt. Fere omnes, litteras commendatitias Ordinarii sibimet procurarunt, ut gratiam imploratam faciliori modo obtineant.

Eorum lamentationibus parum attendendum esse putarem, et si licet candide manifestare quod sentio, responderem, expedit obedire decretis, sublata spe obtinendi umbram dispensationis et privilegii. Si sunt *de semine virorum illorum per quos salus in Israel facta est*, non insistent, et *victoriam loquentur*. Sed reverentia, quam debeo iis, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, aliter respondendum esse insinuat. Ipsi enim litteris datis diario-

rum conservationi prospiciunt, et indulgentiam implorant. Severitas itaque temperanda est, adhibita diligentia, et conditionibus appositis lamentata incommoda removentibus, quantum fieri potest. Conditiones sequentes possent apponi.

Firmis manentibus conditionibus iam latis circa stipendii quantitatem, locum et tempus celebrationis Missarum:

1. Excludendi sunt a privilegio quod concedi potest, ii omnes, qui libros permutant cum eleemosynis Missarum, et quidquid superest, piae causae, aut locis piis, aut Seminariis largituros esse promittunt. Hos omnes comparo usurariis, quaestum inhonestum exercentibus, ut eleemosynas pauperibus largiantur.

2. Excludendi sunt, qui huc usque libros cum eleemosynis Missarum commutaverunt sub fucata ratione scientiam promovendi, et adiuvandi sacerdotes paupertate detentos. Non defensoribus istis Ecclesia indiget, et catholica scientia eorum subsidio privata, non deficiet.

3. Includenda diaria tantummodo et ephemerides, quorum auctores litteras commendatitias ab Episcopo sibimet procurarunt, sicque dum beneficium obtinent a S. Sede, etiam ab Ordinario repetent, eique obsequium, reverentiam, obedientiamque praestabunt.

4. Non omnia autem Diaria etiam ab Episcopo commendata beneficium consequantur, sed ea tantum, quae ratione temporis, doctrinae, et diffusionis illud mereri censentur.

5. Privilegium autem *indefinite* nemini concedatur, sed certo tempore circumscriptum, ex. gr. ad triennium et non amplius. Petendi necessitas in mentem revocat privilegium esse non ius. Triennium dico, quia opportunius mihi videtur, cum de gratia agatur, ad quam concedendam necessitas ipsa impellit.

5. Si admonitio de privilegio obtento in ephemeride facienda est, alioquin lateret, et nullimode proderet, fiat quidem, at invitati remittantur ad sacerdotem adsistentem ab Ordinario designandum, qui Missarum eleemosynas ipse recipiet, satisfactionem procurabit et quotannis administrationis

suae rationem reddet Ordinario, qui postea certiorabit hanc S. Congregationem. Eo ipso enim quo Ordinarii litteras commendatitias expedire non dubitarunt, eisdem non debet esse molestum quotannis attendere, an omnia rite procedant, et certiorem reddere S. Congregationem, cui diaria catholica commendarunt.

Haec quae pro ingenii mei exiguitate scripsi, et quidem in re tam salebrosa, libenti animo submitto sapientiae et prudentiae vestrae Emi Patres. Interim S. Purpuram humiliter exosculor.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo dubia et postulationes essent dimittendae.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die 24 Februarii 1894, censuit respondere: *Ad dubia proposita ab Episcopo Premislien. providebitur in casibus particularibus. — Ad dubia Episcopi Conversanen. nihil esse respondendum. — Ad reliquas postulationes: ad mentem.*

PINNEN.

INDULTI IUBILATIONIS

Die 16 Decembris 1893.

Compendium facti. Sacerdos Petrus Leopardi, archidiaconus cathedralis ecclesiae Pinnensis supplici libello refert: sese, tum gravis aetatis causâ, tum ob longos, favore Dioecesis, labores perpessos, quiete indigere; ideoque S. Vestram exorare ut privilegio iubilationis a choro donetur.

Hae supplices litterae remissae sunt ad Episcopum Pinnensem pro informatione et voto, ut, audito Capitulo inspectisque libris fallentiarum, referret de continuo ac laudabili servitio chorali ab oratore praestito per annos quadraginta, de numero canonicorum habilium, qui actu choro inserviunt,

et de detrimento, quod ex petita concessione eiusdem chori servitio sit obventurum.

Capitulum in conventu diei 4 Octobris anni currentis, ad triplex quaesitum sequenti modo rescribere censuit, scilicet:

« *Ad primum,* servitium chorale postulantis, subductis fallentiis, ascendere ad annos 28, et menses 8, et dies octo.

« *Ad secundum,* quoad canonicos, qui actu inserviunt, quinque nunc esse addictos parti, ad quam pertinet orator.

« *Ad tertium,* Nullum obventurum esse discrimen servitio chorali ex concessione expetitae iubilationis, ob gracilem valetudinem, et aetatem oratoris maturam.

Ex parte autem sua canonicus Leopardi haec scribere censuit Rño Praesuli: augmentum excessivum fallentiarum, repetendum esse ex hoc, quod non fuerit in computatione subductum biennium transactum Neapoli ad consequendam lauream Theologiae, praevio apostolico indulto, et litteris dimissorialibus Episcopi.

Cum quatuor causae numerentur in *cap. I Sess. 23* Conc. Trident., ex quibus clericis abesse a residentia licet, nempe christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas, Doctores communiter tradunt, huic ultimae causae accenseri quoque debere, quasi speciem maioris generis, rationem studiorum, Reiffenstuel *lib. 5, tit. 4.*

Quia frui quisquis praebendatus poterat vacationibus conciliaribus, quum servitium chorale esset quotidianum ab anno 1848 ad annum 1860.

Canonici iuxta Concilii Tridentini veniam, trimestribus in singulis annis vacationibus perfruuntur..., tempus huiusce absentiae, utpote a iure permissae, subduci non solere, ut aperte traditur in fol. causae *Praenestinae Iubil. 17 Decembris 1808.*

Ob fallentias, quibus indebite oneratus, quando officio iudicis functus sum in causa beatificationis ven. Nuntii Sulpritii. Fallentias ab anno 1860 ad annum 1892 repetendas

esse non a mala voluntate, sed ex facto quod officio vicarii generalis duorum Episcoporum functus sim. Quod si sacra Congregatio indultum iubilationis denegaret, peterem indultum abessendi a choro infirmitatis causa, absque amissione distributionum.

Episcopus in suis ad S. C. C. litteris has animadversiones confirmat, et de Oratore amplissimum fert testimonium, aiens, servitium chorale illius dici posse continuum, quia numquam defuit recreationis causa, sed ut impleret onus vicarii generalis amplae huius Dioecesis.

Disceptatio Synoptica.

Iubilationis indultum denegandum videtur. Sciunt omnes de iubilationis indulto silere sacros canones. Nihilominus ex benignitate Ecclesiae, deducto argumento ex leg. *A muneribus ff. de vacat. et excusat. muner.* iamdiu usus obtinuit quiescere aliquando et frui emeritorum stipendiis is valeat, qui *assidue* et *laudabiliter* continuo quadraginta annorum spatio chorale servitium expleverit. Garcias *de benef. par. 3 cap. 2 n. 134;* Benedictus XIV *de Syn. dioec. lib. 13 cap. 19 n. 13* etc.; S. C. C. in Ravennaten. *Iubilationis 31 Ianuarii 1824* etc.

Quae conditiones rigide servari solent, et ea fuit constans S. Ordinis praxis, ut iubilationis indultum minime concedatur nisi plene doceatur de laudabili et continuo 40 annorum servitio. Licet enim materia iubilationis sit quodam respectu favorabilis, utpote quae est aequissimum praemium labori ac servitio donandum, ac tendit in utilitatem ipsius Ecclesiae, *Gerunden. Iubil. 15 Febr. 1772* § *Ad primum;* sub alio tamen respectu est etiam odiosa, quia per eam Ecclesiae servitium imminuitur; unde factum est ut, continuo plenoque deficiente servitio, non modo negavit, sed concessum etiam indultum rescidit S. C., veluti admonemur in *Placentina Iubil. 28 Iulii 1787*; in *Constantien. Iubil. 4 Maii 1737.* Haec namque indulta non ex iustitia, sed ex gratia et ae-

quitate tribuuntur, ceu traditur in *Feltren. 11 Ianuarii 1721* etc.; proinde requisitae conditiones debent plene et concludenter iustificari.

Ad huius doctrinae tramites videretur optatum indultum Archidiacono Leopardi denegandum esse, cum ingentissimus fallentiarum numerus appareat.

Praeterea animadvertendum est tempus, quo Orator abfuit causâ studiorum, numquam ad effectum iubilationis computandum fore, etsi pontificio fuerit auctus indulto, ut discusso articulo, statuit S. C. *in dubiis Iubilat. 17 Dec. 1718 ad 1. dubium.*

Alterum praeterea et maius obstaculum in themate occurrit, inspecto temporis spatio, quo absens a choro fuit idem Canonicus cum Vicarii Generalis munere fungebatur; cum S. C. C. *die 18 Dec. 1627 in Bitecten.* decreverit, quod distributiones quotidianae non debentur Canonico inservienti Episcopo in officio Vicarii, etiam pro illis horis, quibus ratione officii vicariatus non intervenit choro.

Iubilationis indultum concedendum videtur. Ex altera vero parte perpendant EE. PP. in computatione fallentiarum a die 2 Iunii 1848 ad 30 Iunii 1860 inclusum etiam fuisse tempus vacationum trimestralium a Concilio Tridentino concessum; nec non quam plurimas fallentias forsan ab Oratore compensatas fuisse ex servitio, quod ipse praestitit a die 2 Iunii 1888, quo quadragenarius annus expletus est, usque ad praesentem diem. Et revera S. C. tempus prorogati servitii ultra annos 40 pluries admisit in compensationem omissi vel interrupti servitii intra tempus quadragenarium, ut in *Signina 4 Febr. et 11 Mart. 1786; in Placentina 18 Martii 1809.*

Praeterea videtur in iure in concedendo iubilationis indulto hanc probari distinctionem, ut si quis ex causa necessaria Ecclesiae et Chori servitio non vacaverit, iubilationem nihilominus consequatur; si vero ex causa voluntaria, tunc per servitium diutius protrahendum fallentiae compensari debeant. Ad rem S. C. C. *ad dub. Iubilat. 17 Dec. 1718,*

et in Bononien. 22 Novemb. 1823 § *Licet (inter Sum. pr.)*. Haec porro regula Oratoris favore obtinere videretur, cum per eum non steterit quominus durante muneris Vicarii Generalis tempore Choro inservierit, ut fidem faciunt verba Rmi Praesulis, cuius testimonium quanti valeat non est qui ignoret.

Tandem tempus, quo Orator abfuit a Choro ut munus Iudicis in processu Beatificationis B. Sulpitii adimpleret, ad iubilationis effectum esse computandum putarem, cum ex Decr. S. RR. C. *diei 27 Febr. 1887* statutum sit: « *quod canonici qui intersunt Processibus tum Ordinariis, tum Apostolicis habeantur tamquam praesentes in Choro, mutato officio; et ideo omnia percipiant emolumenta etiam eventualia.* »

His omnibus in themate perpensis, EE. VV. erit iudicium ferre quid porrectae preces mereantur; quod si ulteriori servitio oratorem adhuc indigere iudicaverint pro iubilationis indulto, perpendant utrum donari saltem mereatur peculiari indulto exemptionis a choro ob infirmam valetudinem. Non raro enim, denegata gratia iubilationis, concessum fuit a Sacro Ordine indultum abessendi a choro, prout *in Firmana Iubil. 13 Septembris 1862.*

Quibus adductis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, re discussa sub die 16 Decembris 1893, censuit respondere: *Episcopo cum facultatibus, ut quatenus addito ulteriori servitio ultra quadragesimum annum, deductisque fallentiis de iure deducendis, constet de continuo et laudabili servitio quadraginta annorum, indultum iubilationis largiatur; secus indultum abessendi a choro propter infirmitatem.*

CAMERACEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 20 Ianuarii 1894.

Sess. 24 cap. 1 De ref. matr.

Compendium facti. Margarita Tabary quadrilustris puella, sincera pietate et mira ingenuitate praefulgens, die 15 Aprilis 1884 matrimoniali foedere sine amore, ut fertur, iungebatur Alphonso Laleu, unum supra triginta annos nato, viro depravato ac religionis contemptori. Nuptiae celebratae fuerunt coram parocho et testibus, servata in omnibus SS. Concilii Tridentini forma, in ecclesia cathedrali Cameracensi; at infausto sidere.

Quandoquidem Alphonsus iam primis contuberniis diebus graviter uxorem vexare coepit obscenis modis obscenioribusque sermonibus, et meretriciis amoribus indulgere.

Hinc, praesertim ex parte mulieris, aversio, contemptio, odium neoconiugum thalamum occupaverunt; eoque uxoris aversio progressa fuit, ut post 27 menses a viro discedit et ad paternam domum advolavit, quin unquam, ut asseritur, adduci potuisset ad coniugale debitum reddendum. Hoc contigit mense Iulio anni 1886. Vir furens mulieri indixit ut coniugale contubernium restitueret. Margarita vero in suscepto proposito perseverante, Alphonsus laicum tribunal adivit, atque allegans, uxorem et maritale domicilium deseruisse et matrimonium consummare renuisse, divortii sententiam petiit et facile obtinuit.

Septennio circiter elapso a dissociata cohabitatione, labente nempe anno 1892, SSmo Margarita supplicavit, ut secum dispensare dignaretur super matrimonio rato et non consummato.

Disceptatio Synoptica.

Mulieris defensio. Qui actricis defensionem suscepit, praemissa factorum narratione, tres in partes orationem suam

dispescit, in quarum prima de matrimonii inconsummatione, de dispensandi causis in secunda, et de difficultatibus obiectis in altera agit. Et a primo capite exordiens, praenotare satagit in themate talis ac tanta argumentorum copia haberi, ut ne minimum quidem dubium de matrimonii inconsummatione superesse possit. Imprimis enim Margarita in iudiciali examine iurata fassa est absque ulla haesitatione matrimonium nunquam consummatum fuisse; et tempore quidem non suspecto, quum de matrimonio dissolvendo non ageretur, id affirmaverat Eugeniae Julien.

Quam quidem confessionem plurimi faciendam esse, vult defensor, cum nemini lateat, compertum in iure esse, alicuius iusiurandum in ius interpositum, veritatis praesumptionem inducere ita, ut pro veritate habeatur, donec de honestate iurantis nullum dubium adest. In themate vero singularis actricis veracitatem ac probitatem laudat Margaritae parochus, et Henricus Lecocq; quibus concinunt alii testes, qui septimam Margaritae manum constituunt vel, illa exposcente, vocati sunt.

Et quidem sufficeret, ait patronus, allegare haec testimonia septimae manus, cum ius induxerit, quod ex iis iudex rite edoceatur quaenam coniugibus matrimonii dissolutionem exposcentibus fides habenda sit, et iudicium tutâ conscientiâ ferre possit; sed ut omnem prorsus dubitationem removeat ea, quae quidam ex testibus ab ipso vinculi Defensore productis, testati sunt.

Praeterea, pergit orator, ne ipsos quidem testes cum Alphonso arcta propinquitate coniunctos de Margaritae veracitate dubium movere potuisse, sed tantum a iudicio faciendo abstinuisse, affirmantes se illam haud satis cognoscere; ex quibus omnibus dicendum est Margaritae confessionem de matrimonii non consummatione tanta veritatis evidentia nitescere, ut pro veritate merito haberi possit.

In primis enim actricis tutor animadvertit, certum omnino exploratumque esse, a Margaritae animo decipiendi voluntatem longe abfuisse. Si eam habuisset, in suo mendacio per-

stitisset; agebatur enim de intima cum viro conversatione, quae sua natura nullos habet testes; nec ullum sane argumentum allatum fuerat, quo suae affirmationes infirmarentur. Solum obiiciebantur ea, quae Alphonsus per suum procuratorem coram iudice laico asseruerat quaeque Margaritae procurator enixe negaverat.

Quamvis ergo in Margaritae relatione aliqua contrarietas irrepsisset, id potius simplicitati et perturbationi, qua eius animus afficiebatur, quam malitiae tribuendum foret, nec certe ex eo fides eius verbis debita imminueretur. Sed si Margaritae responsiones attente et rite interpretentur, perspicue apparebit, asserit orator, ne umbram quidem contrarietatis in illis adesse.

Enimvero Margarita affirmavit se nunquam eodem cubiculo usam fuisse cum viro suo, sed nunquam affirmavit suum cubiculum a cubiculo viri adeo longe distare vel adeo separatum esse, ut illud vir sive die, sive noctu ingredi non posset; vel Alphonsum sua sibi sponte uxoris cubiculo interdixisse; ergo denuo interrogata addidit, quae in priori relatione omiserat, sed cum illa minime pugnant. Quamvis enim cubiculum suum viri cubiculo proximum esset; quamvis rarissime, bis in duobus annis, vir illud noctu ingressus fuisset, et tribus horis in eodem lecto cum uxore concubuisset, tamen verum erat quod Margarita asseveravit, commune sibi cum viro cubiculum non fuisse.

Quae autem, sequitur defensor, de sua cum viro conversatione in priori Margaritae relatione leguntur, neque falsa sunt, neque cum eis pugnant, quae, iterum vocata, coram iudice enarravit. Oscula et amplexus, quibus Alphonsus et Margarita aliquando indulserunt sive inter sponsos, sive inter fratrem et sororem benevolentiae causa omnino licita sunt. Corporalis vero contactus, qui bis in duobus annis intercessit, et qui certe interdicitur inter fratrem et sororem, naturam consortii non immutavit; ergo potuit Margarita tuta conscientia affirmare se cum Alphonso consuetudine quasi fraterna versatam fuisse.

Tandem tertium contrarietatis caput, quod Insulanus vinculi assertor in Margaritae responsionibus invenisse arbitratus est; quae enim affirmavit Margarita: « il a fait des demandes, mais pas pressantes aussi qu'il l'a affirmé »; illis aperte adversari videntur quae ante asseruerat: « Il y avait des simples allusions assez délicates »; ex ipsis Margaritae responsionibus corruere asserit orator.

Nam iudex Margaritam interrogaverat: « Veuillez nous dire en détail ce qui s'est passé ensuite à la célébration du mariage au point de vue qui nous occupe. » Haec reposuit « dans les premiers temps pendant environ un mois Mr. Laleu ne m'a rien demandé. Il me savait de l'aversion, au lieu de chercher à se rapprocher il s'est éloigné. » Tunc vinculi Defensor ex officio sciscitatus est an vir illam sollicitaret ad copulam: et Margarita dedit responsionem: « Non, mais il y avait des simples allusions, assez délicates, me faisant entendre qu'il nous faudrait un jour sortir de cette réserve. » Sed haec sane responsio de primis illis consortii coniugalis temporibus intelligenda est, de quibus Margarita loquebatur: nullum enim extat indicium aliud illam sensisse.

Tota igitur veritas his verbis complectitur quibus Margarita paullo post seipsam ab omni mendacii suspicione purgabat: « Pendant le premier mois il n'y a eu que des allusions: après le premier mois il y a eu des instances et des incidents assez violents, même très-violents. »

Nec, progreditur patronus, obiici potest malam Margaritae fidem ex eo saltem argui posse, quod quaedam in priori relatione obticuerit quae exprimere debuisset. Attendi enim debet ingenitam sexus timiditatem, Margaritae commotionem dum infaustam elapsi temporis memoriam eliciebat, a qua eius abhorrebat animus, et vulnera recrudescebant, quae vix consanuerant.

Praeterea confessio Margaritae mirifice confirmari animadvertit defensor, ex confessione Alphonsi coram iudice laico per eius procuratorem facta, quae ita sonat: « Il s'était heurté à une résolution arrêtée chez Madame Laleu de ne

pas consommer le mariage..... Madame Laleu, pressée par son mari, lui avait déclaré qu'elle ne voulait pas avoir d'enfant, et cette volonté était restée immuable. » Quam Alphonsi extraiudicialem confessionem, coram adversario factam, probationis vim habere, deducit orator, ex lege *cum de indeb. ff. de probat., cap. 10 de prob. tit. 18, lib. 2 Decr.*

Nec certe eius probandi vis imminuitur quia Alphonsus confessionem non per se, sed per suum procuratorem edidit, quia confessio procuratoris nocet domino, quum vel vi specialis mandati, vel, ut in casu contingit, per viam contentiosae iurisdictionis facta sit. *C. 1, De post. praelatorum l. I, tit. V decr.; c. Dilectus, De capellis mon. lib. III, tit. XXXVII.* Reiffenstuel *lib. II tit. XVIII § 4 num. 90.* Schmalzgrueber *Ius eccl. universum p. III tit. VIII cap. III § 2.* Nec tandem obiici potest confessioni per procuratorem Alphonsi, eius nomine elicitae, non ipsam Margaritam, sed eius procuratorem interfuisse; verbis enim Reiffenstuel respondi potest: « Non solum tunc censetur adversarius esse praesens, quando ipse personaliter interest factae alterius confessioni, sed etiam quando adest ipsius nuncius seu negotiorum gestor » *(loc. cit.);* a fortiori ergo quum verus adest procurator, qui cum habeat mandatum, domini vice legitime fungitur.

Ceterum, adnotat orator, Alphonsus confessionem suam coram iudice ecclesiastico confirmavit, quum sententiae divortii exemplar iudici tradidit, certe unica mente, ut de illis quae coram iudice laico affirmaverat in sententia ecclesiastica ferenda ratio haberetur.

Nec satis; at clarius hanc confirmationem desumi adurget ex schedula, qua Alphonsus uxoris petitioni matrimonii dissolutionem exposcentis libentissime accedit, et iudici una cum divortii sententia exhibita; matrimonii enim dissolutionem efflagitari ab Alphonso, qui « avait pris connaissance des lois canoniques, » idem porro erat agnoscere illud nondum consummatum fuisse.

Demum si quis Alphonsi confessionem, ex schedula ab

illo iudici exhibita desumptam, suspectam dicere vellet, quia nunc et ipse Alphonsus matrimonii dissolutionem a Summo Pontifice contendere videtur; patronus responderet, prorsus idem Alphonsum affirmasse, tempore quidem non suspecto, nondum nempe dissociata coniugali consuetudine. Sane Theophilus Tabary, Margaritae pater, magistratus vitae integritate praestans, quem nemo sane mendacii et periurii insimulare auderet testatur: Alphonsum sibi per litteras autumavisse matrimonium non fuisse consummatum.

Ulterius, pergit defensor, coniugum confessioni mire congruit Margaritae corporis inspectio. Observat autem in themate praescriptiones canonicas adamussim servatas fuisse, et obstetrices unisona voce Margaritam integram proclamasse.

Neminem autem latet, adurget patronus, solam hymenis praesentiam gravem virginitatis praesumptionem parere etiam illis, qui in iudicio virginitatis emittendo quam maximam cautelam adhibendam esse putant. Ita Severinus Pinaeus « Cum flos virgineus (nempe hymen) integer est, virginitatis notam univocam et omnibus certissimam praebet; » cui concinit Devergie *Med. leg. cap. III, qu. 7,* Casper. *Trait. prat. de méd. leg. cap. II* § *1;* Maschka *Med. leg. vol. III:* quorum assertiones brevitatis causa non referuntur.

Sed haec praesumptio plenae probationis vim adipiscitur, si praeter hymenis praesentiam, omnia alia illa signa concurrant, quae ad virginitatem detegendam ab auctoribus indicantur. Haec omnia signa obstetrices, a medicis rite edoctae, invenisse testatae sunt.

Quod si omnia haec argumenta reiicienda putarentur, quia in rarissimis casibus contigisse fertur, obstetrices vel medicae artis peritos in suo proferendo iudicio longe a veritate aberravisse, recoli debent verba Cosci: « Infallibiles probationes in rerum natura non habemus, ne publica quidem instrumenta dum falsa esse possunt, et uti falsa quandoque evincuntur. Sed quae in iure legitimae probationes renuntiantur in iudicio pro veritate haberi debent » *de sep. thori l. 3. c. II.*

Frustra autem, censet patronus, Insulanum vinculi Defensorem, ut huiusmodi argumentationis vim evertat, quosdam ex testibus allegare, qui affirmarunt Alphonsum et Margaritam aliquando copulam pertentasse.

Siquidem aliquando etiam coniuges corporales contactus inter se habuisse ingenue fassi sunt; sed longissime abest ut matrimonium consummatum fuisset. Hoc ipsa Margarita iuravit: hoc Alphonsus non semel fassus est: hoc inspectio corporis confirmavit: hoc ipsi testes, quorum testimonio vinculi defensor innititur, aperte asseruerunt.

Nec sententiae vinculi assertoris suffragari potest, qui autumat matrimonium imperfecte consummatum uti consummatum habendum esse. Tunc solum enim matrimonium vere consummatum dici potest, cum copula perfecta intercessit, cum effusione virilis spermatis in vas mulieris. Postremo observat defensor, falso allegatur gravissima praesumptio consummationis ex conversatione coniugum vigore iuventutis pollentium orta. Nam ut haec praesumptio vim suam exerat requiritur a sacris canonibus coniuges per tres noctes in coniugali toro insimul concubuisse. At in casu nostro Margarita cum Alphonso duabus tantum noctibus eodem lecto concubuit, ne integris quidem, sed tribus tantum horis. In odiosis autem stricta interpretatio est adhibenda.

Sed quamvis coniuges per tres noctes concubuissent, haec praesumptio contrariis argumentis penitus elideretur. Id tenuit Rota, quam allegat Coscius: « Haec praesumptio tollitur per probationem contrariam resultantem ex confessione viri facta coram SS. D. N. ad cuius instantiam fassus fuit matrimonium non consummatum fuisse. Licet enim praesumptio dicti capitis sit violenta, idest iuris et de iure, tamen admittit probationem in contrarium ex confessione in praeiudicium ipsius confitentis » *de separat. thori loc. cit.* Si haec praesumptio excludatur ex confessione coniugis, quanto magis excludi dicendum est, si accedat corporis inspectio, quae virginitatem demonstravit, quum haec adeo longe gravius praebeat argumentum, ac ipsa utriusque coniugis confessio.

Huc autem rebus perductis, omne quoad primam suae thesis partem tulisse punctum confidit patronus, et ideo ad alteram transvolat quaestionis partem; et praemittendum censet, ex gravissimorum auctorum sententia, mutuum coniugum consensum sufficere, ut Summus Pontifex dispensationem concedere possit. Haec est vulgatissima Hostiensis sententia: « Possunt sponsi de praesenti ante carnis copulam, auctoritate Pontificis sese ad invicem absolvere, sicut legitur in sponsalibus de futuro. Et posset reddi ratio quia ante carnis copulam, utroque consentiente in dissensu, contrarius actus congruus intervenire potest; » in *can. IX ex publico de convers. coniug. super verbo consummatum;* et confirmant permulti alii optimae notae scriptores. Gregorius Loper *lib. V tit. 10 p. 4.* De Luca *de mat. lib. 4 disc. 9* § *62, 63* etc. Quod etiam rationi congruere adnotat patronus. Siquidem matrimonium contractus naturam habet, proinde ipsi accommodari potest illa regula, quam romanus iurisconsultus contractibus aptaverat « Res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur »; quum ergo contractus sit « duorum in idem placitum consensus » consentaneum est, ipsum mutuo contrahentium consensu dissolvi.

Haec porro regula in matrimoniali contractu eo progredi non potest, ut veniam det coniugibus coniugale consortium pertaesis, mutuo consensu divertendi. Obstat enim suprema illa lex, quam Deus ex ipso humanae societatis exordio Adamo edixerat « Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una ». Quae matrimonium omnino indissolubile fecit.

Id tamen illa regula efficere debet, ut quum matrimonium consummatum non fuit, multo facilius Pontificis animus induci possit ad indulgendam dissolutionem, quum illam uterque coniux efflagitat (De Iustis *De disp. mat. lib. II cap. IX* § *28,* Sanchez *De sacr. mat. lib. II disc. XVI* § *9*).

Post haec, ait defensor, primam causam repetendam esse ex consensus levitate. Et sane in nuptiis conciliandis imprudentissime egerunt parentes. Sciebant Alphonsum illicitis

amoribus indulsisse: id ille revera non negaverat; sed asserit se ab illis iam abstinuisse; promittit se ad bonam frugem rediturum: eius verbis plena fides adiungitur: ne aliqua quidem mora necessaria putatur, ad dignoscendum an vera esset eius assertio, an firmum eius propositum.

Sciebant Alphonsum nulla aestimatione gaudere, et tamen illi ingenuae puellae sors concreditur, forsan, prosequitur defensor, quia quum esset opibus instructus, felicitatem in divitiis positam esse aestimabatur. Tanta parentum imprudentia ab omnibus improbatur: infelix coniugii exitus ab omnibus prospicitur.

Neque minori levitate Margaritam in dando consensu egisse, actricis tutor ostendit, primo iurata depositione ipsius mulieris; cui consonant plene parentes et testes.

Et haec porro repugnantia, subdit patronus oriebatur ex summa, inter Margaritam et Alphonsum, ingenii et morum diversitate.

Et revera: haec ab ineunte aetate sive ex domesticis exemplis sive ex praeceptis monialium S. Bernardi, quibus eius instituendae cura commissa fuit, sincerae pietatis studio, singulari erga Deum cultu, imbuerat animum. Ille religionis adeo parum studiosus, fere aspernator, ut ante matrimonium Margaritae aegre permiserit ut bis in anno sua peccata sacerdoti confiteretur. Haec, tanta vitae ingenuitate, tanta morum integritate praefulgens, ut, etiam post civile divortium ipse invidorum livor nihil eius famae detrahere potuerit. Ille tam corruptis moribus foedatus, ut nulla prorsus aestimatione gauderet. Haec puella suavis ingenii, quamvis propositi tenax; ille vir naturâ intolerans et iracundiae deditus. Haec insigni parentes pietate prosequebatur; ille, dum adhuc coelibem ageret vitam, patrem percusserat et paternam domum, quia vitiis diffluebat, deserere debuerat, uti affirmavit Ludovicus Varé, vir eius patris familiarissimus.

Quod si ex dictis deduci nequit, Margaritam haud *plene* matrimonio consensisse, nemo tamen negabit ne *libere* quidem omnino consensisse. Margarita enim ad sponsum eli-

gendum suum sponte non movit animum, sed parentum suasionibus et instantiis inducta. Ergo Margarita in actu matrimonii plene consensit quia parentum voluntati acquieverat, sed libere non consensit, quia sponte non agebat: et parentibus quasi repugnandi nescia, tunc annuebat, quum quaequae alia eius loco abnuisset. Propterea, quum nullus certe contractus tam necessario exposcat ut contrahentes libere consentiant quam matrimonium, et mens sacrorum canonum sit, ut qualiacumque incitamenta absint « Matrimonia plena debent securitate gaudere », *(cap. cum locum 14 De spons. et mat.)*, concludit orator sufficientem adesse causam, quae Pontificis animum moveat ad dissolutionem indulgendam matrimonii in quo alter ex coniugibus temere et inconsulto consensit, et accedit morum et ingenii summa diversitas.

Alteram dispensationis causam in discordia et in insuperabili Margaritae erga coniugem aversione collocat patronus, quam abunde probatam ex actricis et testium depositionibus autumat.

Nec ipsi mulieri haec asserenti fides neganda est, etsi Alphonsus omnia quae Margarita asseruerat, in schedula Iudici Ecclesiastico exhibita enixe negaverit. Quaerit enim defensor, si falsum Margarita affirmaverat, curnam Alphonsus, ut eam periurio convinceret, et suae famae consuleret, Deum testatus non est, se fuisse calumniis obrutum? Ergo Alphonsi silentium Margaritae assertiones confirmare ipsi videtur. Unde, concludit patronus, potius credendum esse Margaritae, quae Deum testata est, se vera dixisse, et testes omnes mendacii incapacem renuntiarunt, quam Alphonso, qui dum totam veritatem se dicere nolle affirmaverat, iniuratus negavit, quod Margarita iurata asseruerat.

Praeterea, pergit orator, omnem dubitationis aleam evanescere dicendum est si prae oculis habeantur depositiones testium, qui, ut ceteros omittat, ex sua scientia testati sunt. Sane mercatores, quorum officinam vel tabernam Margarita ventitat, affirmarunt se ex ipsa Margaritae vultus moestitia, dum adhuc viro conviveret, deprehendisse, quam gravibus

curis eius angeretur animus, quam cito imprudentiae suae poenas lueret: illamque pristinam serenitatem recuperasse, simul ac a viro discessit.

Neque tribui potest Margaritae culpae flagitiosa Alphonsi vita, obsistendo viro illam ad copulam sollicitanti: nam mense ab initis nuptiis vix effluxo, Margarita ex ipsa Alphonsi confessione comperiit, quam turpiter ille fidem coniugalem infrangeret, thalamumque violaret; et tunc quum Alphonsus, ut id assequeretur quod neque conviciis neque obiurgationibus obtinere potuerat, violentia usus fuerit, Margarita vim vi repellere coepit; quod tamen, Margaritae ad peccatum tribui non potest, cum « frangenti fidem, fides servanda non est » *Cap. 4, 5, 8 De div. tit. 19, lib. 4 Decr.*, et coniux innocens possit in utroque foro auctoritate propria discedere, quum de alterius adulterio constat.

Insperabile autem esse, asserit patronus, quod aliquando coniuges inter se reconcilientur. Et revera Margarita affirmavit; id Alphonsus agnovit, quum et ipse matrimonii dissolutionem a Summo Pontifice contendere coepit: id testes fere omnes fatentur.

Haec autem irreconciliabilis animi dissociatio iustam causam ad dispensandum praebere tradunt auctores. Et reapse haec dissociatio rixas inter coniuges, inimicitias inter eorum familias, et gravissima scandala parere solet. Caietanus *tom. I, tr. 28;* Sanchez *De Sacr. matr. lib. 2, disp. 15;* Corradus in *Prax. disp. lib. 8, cap. 7, n. 27;* Ursaya *Discept. 9* § *14*, aliique plures, quam DD. sententiam S. C. C. praxi confirmari dicit orator.

Postrema denique causa petitur ex periculo incontinentiae, in quo mulier versatur. Spiritualem enim utilitatem petentis dispensationem, uti iustam causam retinendam docent Coscius *De sep. a th. cap. 16 lib. 1,* § *259;* Corradus *loc. cit.* § *27;* De Luca *De matr. lib. 4, disp. 9 etc.* Quod autem hoc periculum in casu verificetur indubitanter patere censet patronus: id enim Margaritae mater asseruit, Vicarius Capitularis Cameracensis, parochus Lecocq, et Scalbert.

Praeterea vehementer miratur defensor, quod Insulanus vinculi assertor urgens animae periculum neget, eo quod Margarita septem circiter annis postquam a viro discessit, tam incorruptam egit vitam, ut etiam culpae suspicionem effugerit proindeque et in posterum eadem morum integritate vivere posset. Nam impune dari potest Margaritam, cohibitis aestuantis libidinis motibus, usque adhuc incorruptam permansisse; non enim exinde consequeretur, diem numquam adventurum in quo, enervatis animi viribus, virtus collabetur.

Demum in tertia orationis suae parte nonnullis difficultatibus ab Insulano vinculi defensore obiectis occurrit patronus.

Affirmabat vinculi defensor dissolutionem matrimonii concedendam haud esse, quia verteret in damnum ipsius Margaritae. Nam facile evenire potest ut Alphonsus, quamprimum resciverit, Margaritam ad novas nuptias convolasse, furore correptus, insidias caedesve moliatur. Sed actricis tutor, observat ipsum Alphonsum, civile divortium efflagitantem, sibi et uxori novi matrimonii contrahendi in laico foro facultatem quaesivisse. Ipsum coram iudice ecclesiastico professum esse, se uxoris desiderio matrimonii dissolutionem inhiantis accedere. Irasceretur ergo quia ipse voti compos factus est.

Frustra pariter, prosequitur defensor, obiicitur, ex matrimonii dissolutione scandalum oriri, eoque praesertim quod quum coniuges praedivites sint, dictitari posset dissolutionem fuisse comparatam. Nam ridiculum foret, Margaritae preces reiicere quia in Cameracensi Dioecesi potiusquam in Parisiensi ortum habuit. Tota Gallia enim eiusdem regitur legibus, tota iniquae legi, quae divortium invexit imperio subditur; et si aliquando contingere potest ut *pusillorum scandalum* aspernendum sit, id sane contingit in casu in quo coniuges, dum disiuncti vivunt, occasionem peccandi saepissime inveniunt et arripiunt.

Ulterius, pergit orator, sive Vicarius Capitularis Cameracensis, sive parochus Cameraci, sive parochus urbis Dun-

kerque, ubi nunc Margarita versatur, qui certo certius dignoscebant, quaenam ratio huius scandali habenda sit, illud aspernendum omnino esse affirmarunt.

Animadversiones defensoris sacri vinculi. Totis e contra viribus contendit Sacramenti vindex, non liquere neque de matrimonii inconsummatione, neque de iustis dispensandi causis. Et praeprimis observat ex Margaritae et Alphonsi per biennium cohabitatione, ex sponsis iuventute florentibus, ad opus maritale idoneis, ex viro deperiente uxorem formosam, violentissimam consummati matrimonii praesumptionem consurgere. Recolit quae Pignatelli in suo opere *Consult. canonic., in consult. 148 num. 21 tom. 1* docet: « Quae omnia probanda sunt probationibus concludentibus; immo superabundantibus *ex cap. 1 De frig. et malefic.* Et maxime respectu non consummationis (matrimonii) cum in hoc casu supponatur cohabitatio et condormitio quinque mensium. Ex qua resultat praesumptio iuris et de iure pro consummatione, iuxta Bald. in *l. Deo nobis, n. 7 De episc. et cleric.*, et advertunt doctores, et communiter in *dict. cap. Laudabilem* »; et ceu inter plura tenuisse refert S. C. in Neapolitana *matrimonii 2 Aug. 1845* § *Quin:* « Et reapse corporis perfecta structura de qua actum est superius, virilis aetas, iuvenilis ardor, quo deperiit Caietanus iuvenem adlectam, formosam, biennalis utriusque condormitio, eae circumstantiae sunt, quae praesumptionem iuris et de iure pariunt quod consummatio sequuta fuerit. »

Neque sacramenti vindicem movet impensum Margaritae studium, ut inficietur coniugum *condormitionem*, nam dum id pertentat, et cum semetipsa et cum excussis testibus apertissime pugnat. Profecto in primo examine Margarita impavide affirmat: Nos vitam ducebamus uti frater et soror; numquam eodem usi fuimus cubiculo: etiam in itinere; ast altero in examine urgenti iudici an permaneret in eadem sententia, Margarita reposuit: utique duobus usi sumus cubiculis, sed ius sibi reservabat vir adeundi meum die noctuque. Praeterea dixerat mulier vivebamus sicuti frater et so-

ror; dum e contra in altero examine, ad incitas redacta, professa est; fuimus in eodem lecto una et altera vice per duas aut tres horas.

Pariter neque magis sibi cohaerere Margaritam, putat defensor, dum ut matrimonii consummationem, non obstante condormitione, excludat, in medium affert tum Alphonsi erga se, tum suam erga Alphonsum agendi rationem.

Interrogata tandem a sacramenti assertore utrum persisteret in affirmatione suae contradictionis, Margarita intrepide respondet utique iuxta meam sententiam; nempe « pendant le premier mois il n'y a eu que d'allusions; après le premier mois il y a eu des instances et des incidents assez violents, même très violents. »

Vehementissimam matrimonii consummati praesumptionem, ex coniugum cohabitatione ortam maiorem omnino vim nancisci asserit defensor, ex irritis et inanibus conatibus queis Margarita matrimonii consummationem inficiari captiose molitur. Siquidem Margarita adeo passim atque aperte in iudicio, sub iuramenti sanctitate sibi non contradixisset, cum econtra facta plane ac dilucide enucleare absque ullo ingenii labore potuisset, si veritatem minime reformidaret.

Huc accedit viri testimonium, qui iudici sistens ait: sese non opponere petitioni dissolutionis matrimonii, a Margarita peractae; sed veritatis amore haud probare posse motiva, quibus petitio innititur; nam, inspectis sacris canonibus, nihil reperisse quod nostram fulciat petitionem: et ideo si gratia concedatur, id erit ex sola bonitate SSmi Patris.

Testimonium autem hoc, iuxta vinculi assertorem, testimoniis Margaritae praevalet, primum, quia sic decretum est in *cap. 1 de frigid. et maleficiat.* reddita ratione: – quia vir caput est mulieris. – Deinde, quia Alphonsus, dum matrimonium consummatum denuntiat, non modo haud lucrum, sed potius detrimentum reportat. Margaritae enim dispensationem super matrimonio solicitanti et ipse consentit. Margarita versa vice ex confessione sua emolumentum persentit: et proin « Confessio ea, cum sit in confitentium favorem,

nihil probat. » Sanchez *de matrim. lib. 2, disp. 45, n. 33.* Demum, Margaritae obstat satis tritum adagium « semel mendax, semper mendax. »

Incassum autem praesidium ex adverso quaeri, subdit defensor, in testium depositionibus, quia stultum est, Margaritam iudicare ex ore testium septimae manus, cum in actis prostent quae sat superque sunt, ut ea ex ore ipsius iudicetur.

Frustra autem obiicitur, Alphonsum apud laicum magistratum per procuratorem suum professum fuisse matrimonium inconsummatum. Nam Alphonsus Margaritam ad saeculare tribunal tertio cohabitationis anno rapuit, quia illa obsequiis coniugalibus facere satis recusabat. Ideoque de re ille agebat ab inconsummatione matrimonii disparatissima. Veri namque haud absimile est quod Margarita, etsi primum matrimonii consummationi consenserit, elapso tamen biennio, viro resistere statuerit.

At etiam dato, ait defensor, quod Alphonsus in laicali iudicio inconsummatum matrimonium proclamasset, cum constet gravamina omnia ab Alphonso ad saeculare tribunal deducta, a Margarita formiter denegata fuisse, ergo et inconsummationem per procuratorem negavit: quae proinde a limine praesentis iudicii repellenda est, quia confessio procuratoris nocet domino, quum vel vi specialis mandati vel per viam contentiosae iurisdictionis facta sit.

Specimen insuper in actricis corpore peractum haud commovet vinculi defensorem, quia tum obstetrices cum medici haesitant et virginitatem pro certo affirmare non audent. Quae haesitatio rectum obstetricum iudicium demonstrat. Nam, teste eximio Zacchia, *quaest. medic. legal. lib. 4, tit. 2, q. 1, n. 14:* Virginitatis nullae dantur certae et inseparabiles notae: cui concinit Barzellotti in *medicina legal. cap. 4, § 43.* Proinde « res haec, ut ait Sauchez *de matrim. lib. 7, disput. 113, n. 10, et disput. 108, n. 8,* est difficillimae probationis.... eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utantur, quibus virgines appareant. » Unde Honorius III in

cap. 13 de probat. professus est: « saepe manus falluntur et oculi obstetricum ».

Insuper in themate praesto esse dicit defensor, argumenta specialia et gravissima, quae obstetrices iure optimo reddunt de Margaritae virginitate incertas.

Ulterius, pergit orator, recognitio corporis Margaritae peracta est septem ferme annis post dissociationem vitae coniugalis. Iam vero nil prohibet quominus tam diuturno temporis intervallo argumenta violati claustri virginalis in puella aetate florente evanuerint. Ad rem salutaris artis peritus Barzellotti in *op. cit.* § *32:* et praeiverat clarissimus Zacchias in *cit. oper. quaest. medic. legal. lib. 4, tit. 2, q. 3, n. 5.*

Post haec de dispensandi causis disserit Orator, et primo sustinet levitatem consensus, qua iuxta adversum patronum, actrix matrimonium contraxisset inverosimilem apparere. Non solum enim per sex, vel septem menses, ut ipsamet Margarita fatetur, matrimonii tractatus perdurarunt, sed praeterea familiae nupturientium antiqua consuetudine devinciebantur, omnes ad rem facientes notitiae comparatae sunt impenso studio, Margaritae voluntas secreto colloquio ab Alphonso exquisitâ diligentiâ explorata est.

Quoad secundam ex adverso allatam causam defensor animadvertit, Alphonsum Margaritam non solum haud aversare, sed, nullum non movisse lapidem, ut uxorem ad cohabitationem restaurandam adduceret. Imo gravissima mala ac etiam homicidia timenda sunt, si Margarita alias nuptias conciliare audeat; testes vero, quos Margarita inducit ad probandam suam aversionem in Alphonsum, sive eiusdem aversionis causam, nil ponunt in esse, vel quia loquuntur de factis quae ab ipsamet Margarita tempore suspecto acceperunt, vel quia, cum testimonium dicunt, studium partium produnt.

Eapropter, concludit Sacramenti vindex, causa ob quam Margarita ab Alphonso discessit et ob quam ad eum redire recusat, ea est quae a parocho Raymundo Scalbert enunciatur hisce verbis: « Elle (Margarita) avait seulement un caractère un peu indépendant et un peu fier. »

Tertiam demum quod attinet causam, vinculi defensor negat urgens animae discrimen. Sane non periclitatur Alphonsi anima, qui, ex teste Happe intentionem contrahendi matrimonium non habet. Quo vero ad Margaritam, res dilemmate conficitur: aut illa veritati vim adhibet, dum affirmat se per ultra duos annos una cum viro, quem libere sibi elegit vixisse tanquam fratrem et sororem; dum occentat: « Je lui faisais entendre que je n'y tenais pas: Il a essayé, mais je me suis débattue »; aut a veritate aberrat, cum asserit se non posse continere: quinimo, si vera dicit, si cordi sibi est aeterna salus, in promptu est remedium: ad virum suum revertatur.

Quibus praeiactis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu?

Resolutio. Sacra Congr. Concilii re cognita, sub die 20 Ianuarii 1894, censuit respondere: *Affirmative.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

FANEN.

PRAELATIONIS

Die 25 Augusti 1893.

Compendium facti. In oppido seu *terra Mondavii* dioecesis Fanensis Bulla s. m. Leonis XII an. 1828 super pia haereditate Fattori duae mansiones gratuitae institutae fuerunt adolescentibus in Seminario dioecesano conferendae ut infra: « Ac insuper duas in Seminario puerorum ecclesiastico

Fanensi mansiones pro duobus in eo alendis *dictae terrae* adolescentibus ab eodem Episc. Fanensi designandis ».

His mansionibus an. 1890 et 1891 vacatis, Vincentius Barbadoro e praedicta terra ab Episcopo Fanensi petiit, ut ad unam ex his nominatus maneret suus filius Rainerius, iam a quatuor annis alumnus in dioecesano Seminario: at Episcopus ratus non esse necessarium quod concurrentes essent oriundi de Mondavio, sed tantum sufficere quod inibi domicilium stabile haberent, neglecto adolescente Barbadoro, in electione praetulit duos alios iuvenes, nempe Hieronymum Stortoni non natum in dicta terra, sed solum inibi domicilium fixum habentem, et Hyacinthum Perugini.

Contra hanc Episcopi agendi rationem Vincentius Barbadoro querelas movit apud S. Congreg. Episc. et Regul. Super hoc recursu accepta informatione Episcopi Fanensis una cum ipsius deductionibus, S. Congregatio contrarium prorsus recurrenti responsum emisit sub die 1 Decembris 1890 prout sequitur: *Attenta informatione Episcopi, reponatur.*

Huic rescripto non acquievit Barbadoro, sed novum recursum S. Congregationi exhibuit, nonnullis documentis suffultum, praecipue quoad imperitiam in lingua latina filio suo appictam: novum hunc recursum cum deductionibus Moderatores Congregationis transmiserunt Episcopo Fanensi, qui literis 7 Aprilis 1891 respondit sibi perfacile esse ostendere nullo iure fulciri praetensiones recurrentis; sed ad hoc opus esse, ut sibi communicarentur documenta seu allegata adversae partis: quae documenta ex iussu S. Congregationis ei missa sunt, non in originali, sed in apographo, suppressis subscriptorum nominibus: et noviter instanti Episcopo pro habendis documentis in originali tantum permissum est, ut valeret deputare personam idoneam ad ea examinanda in Archivio Congregationis.

Interim Episcopus aliis literis diei 5 Septembris monebat S. Congregationem se allegationes transmissurum fore post ferias autumnales, cum hoc tempus sibi esset necessarium ad colligenda documenta. At elapsis feriis Episcopo suas de-

ductiones non afferente, et aliunde Barbadoro iterum iterumque instante pro sollicita quaestionis solutione, die 21 Februarii 1893 S. Congregatio iussit causam poni in folio et scribi Episcopo Fanensi quod partibus assignantur 30 dies ad transmittenda, quatenus habeant, ulteriora iura.

Disceptatio synoptica

Defensio Barbadoro. Hic in sua allegatione typis edita sustinet mansionem gratuitam suo filio Rainerio prae Hieronymo Stortoni conferendam esse, quia originarius et domicilium habet in terra Mondavii, quia pauper, et quia vocationem habet ecclesiasticam in eaque perseverat.

Quoad primum observat in facto esse rem tam apertam quod nedum eius filius, sed etiam tota familia habeat originem et domicilium in dicta terra, ut neque ipse Episcopus ambigat; potius insistendum esse dicit in iure. Age vero si verba Bullae Leoninae expendantur « pro duobus in eo alendis dictae terrae adolescentibus »; haec denotant *originem* et non *domicilium* iuvenis nominandi. Primo scatet ex pluribus decisionibus Rot. « Si dico quod talis sit de Perusio, quid significat? An qui habeat ibi domicilium vel habeat originem? et credo quod significat, secundum comunem usum loquendi, *originem et non domicilium*, item Rota coram Caprara dec. 650, n. 1 et passim ». Congruunt etiam plures decisiones S. Congreg. Concilii inter quas *Viterbien. Subsidii dotalis* 21 Iunii 1766. Deinde ita esse intelligenda verba Bullae suadet consuetudo non interrupta 60 annorum: hoc enim temporis spatio, iuxta testimonium Praesidis Congregationis Charitatis, ceu constat ex regestis Administrationis, praefatae mansiones Fattori semper collatae fuerunt adolescentibus oriundis ex Mondavio, ut ut passim alii iuvenes in hac terra extarent, qui tamen admissi non sunt, quia tantum domicilium et non originem praeseferebant.

Demum Barbadoro id arguit ex pia intentione Benefactoris, qui beneficia conferre voluit in suos concives et non in ex-

traneos, secus enim dictum fuisset in genere « pro duobus adolescentibus » ; proinde standum eius dispositioni « *Uti legassit, ita ius esto* », et cum lex sit clara, nullam exceptionem vel interpretationem admitti posse iuxta doctrinam Card. De Luca *De Regular. discurs. 68, n. 3: Ubi in verbis nulla ambiguitas est, nulla debet admitti voluntatis quaestio nec uniuscuiusque observantiae, quae non datur in verbis claris.* Hinc errare Praesulem Fanensem, iuxta Barbadoro, cum dicit *indifferens* esse quod candidati sint oriundi ex Mondavio vel inibi stabile domicilium habeant.

Post hoc Barbadoro accedit ad refutandas Episcopi accusationes, praesertim quoad imperitiam filio suo appictam in lingua latina. Verum est quod filius suus cecidit in primo et secundo examine linguae latinae in regio Gymnasio ; sed hoc non ei succensendum, potius id derivare ex mala methodo docendi et incapacitate magistrorum Seminarii Fanensis : probat suam assertionem epistola Professoris Licei Fanensis, qui dicit Magistros Seminarii ignorare methodum regiorum Gymnasiorum in edocendo latino idiomate : quin imo si magistri vellent, non possent, quia et ipsi vacare debent studiis theologicis et sic eis deest tempus.

Sed pressius et directe confutans assertionem Episcopi, Barbadoro observat filium suum non ita imperitum et indoctum esse in lingua latina ut vellet Episcopus : sane praeter quam quod filius suus praefert aptitudinem in aliis scholasticis disciplinis, ex testimonio Rectoris Seminarii patet quod in media menstrua intra annum quoad linguam latinam supra decem puncta meriti, septem retulit : hoc autem ingerit fundatam spem in posterum suae promotionis ad superiores classes.

Quoad alteram obiectionem factam ab Episcopo quod adolescens Barbadoro non perseveret in vocatione ecclesiastica, pater reponit, quod etiamsi Rainerius hoc propositum patefecisset, id profecto contigisset ex eo quod sibi denegata mansione in Seminario, videret omnem viam interclusam ad prosequenda sua studia : deinde ad omne dubium summovendum circa hoc punctum affert laciniam epistolae diei 11 Oct. 1890

in qua filius aperte fatetur se velle perseverare in sancto proposito suscipiendi statum ecclesiasticum, licet alii ei contraria dederint consilia.

Accedens demum Barbadoro ad tertium punctum, nempe ad defectum paupertatis in filio, advertit iniuriâ conditionem paupertatis in candidatis ab Episcopo exigi. Nam eam non praescribit Bulla, cum simpliciter dicat « pro duobus dictae terrae adolescentibus » absque coetuum personarum distinctione hinc recurrit adagium — *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus;* idque fortius tenendum quia in eadem Bulla quando fundator duas dotes instituit pro puellis, expresse requisivit conditionem paupertatis: proinde si in prima institutione fundator non expressit, eam noluisse censendus est. Hucusque allata Barbadoro dicit confirmari a consuetudine quae est optima legum interpres. Sane per annos quinquaginta praefatae mansiones collatae fuerunt pluribus iuvenibus, qui certe pauperes non erant et quorum nomina referuntur in supra adducto testimonio Praesidis Congregationis Charitatis.

Statuta autem a S. Congregatione nullitate nominationis ab Episcopo factae, Barbadoro sustinet aliis quatuor concurrentibus filium suum praeferri debere: 1° quia ipse solus quaerelas movit; 2° quia filius suus alios antecellit 4 annis in Seminario, *hinc prior in tempore potior in iure;* 3° quia ipse prae aliis in tenera adhuc aetate et recens in Seminarium ingressis, fundatiorem exhibet spem ecclesiasticis ministeriis perpetuo inserviturum; 4° sed potius argumentum quoad praelationem favore filii sui, deducit Barbadoro ex eo quod fundator Fattori instituit mansiones in Seminario, ut iisdem fruentes aliquando valerent assequi unam ex quatuor cappellaniis *in subsidium parochi* Mondavii ab eodem fundatore statutis: porro cum hae tenuem annuam assignationem habeant libellarum 200, facile quisque intellectu suo capit illas stabiliter obtineri non posse nisi a Cappellanis originariis e Mondavio: en ratio cur fundator voluit ut mansiones in Seminario conferrentur iuvenibus dictae terrae.

Sed Stortoni non est oriundus e Mondavio, inibi tantum commoratur ratione muneris quod pater suus exercet ceu magister scholae elementaris, quod officium precarium et nullum ius ad pensionem dans, fieri facile potest de die in diem ut relinquat, alicubi occupationem quaeritans. Ex quibus Barbadoro concludit, nominationem ab Episcopo Fanensi factam non esse attendendam et mansionem controversam filio conferendam.

Iura Episcopi Fanen. Aliter vero sentit Episcopus in sua scripta allegatione. Ipse praemittit quatuor ex allegata Bulla scatere 1° Episcopum Fanensem duas in Seminario mansiones erexisse, *auctoritate nostra instituat;* 2° ad has eligendos esse duos iuvenes e Mondavio sive inibi sint oriundi sive stabile domicilium habeant; 3° ius nominandi ad Episcopum Fanensem spectare, *ab eodem Episcopo nominandis;* 4° iuvenes eligendos praeseferre debere vocationem ad statum ecclesiasticum, ut consequi valeant unam ex cappellaniis Fattori, *qui ad sacrum presbyteratus ordinem promoti, idoneique reperti ad aliquam ex dictis Cappellaniis....*

Sed adolescens Stortoni, pergit Episcopus, praestat Barbadoro in annis Seminarii, in studiis, in vocatione ad statum ecclesiasticum: praestat in studiis quia Stortoni est in classe superiori seu 5ª Gymnasiali dum Barbadoro est in classe 3ª Gymnasiali; et insuper in 1° et 2° examine quoad linguam latinam fuit reiectus: Stortoni, attestante Seminarii Rectore, signa exhibet vocationis ecclesiasticae, non ita vero Barbadoro, qui dictitat suam decisionem circa statum post obtentam licentiam Gymnasialem distulisse, et parum est inclinatus ad pietatem. Hinc iure merito praelatus in nominatione mansit Stortoni.

Deinde hunc esse praeferendum Episcopus sustinet, nedum quia ipse praeit adversario in studiis et sic citius locum cedet aliis adolescentibus, sed etiam quia pauper est: pater enim ipsius cum stipendio menstruo 60 libellarum alere debet familiam, constantem quinque filiis et muliere parvulorum curatrice: e contra pater adolescentis Barbadoro ceu cancella-

rius Praeturae praeter incerta fruitur stipendio quolibet mense libell. 170; insuper adolescens avum habet satis divitem Aloysium Barbadoro, qui eum alit in Seminario. Iam vero quod mansiones gratuitae Fattori conferri debeant iuvenibus pauperibus nedum argui licet ex Bulla Leonina sed clare constat ex articulo 6 Regii Decreti circa relictum Fattori, et ex praescriptione Congregationis Charitatis 7 Iun. 1879, ubi expresse edicitur quod iuvenes nominandi sint *probatae paupertatis*.

Sed hisce rationibus omissis, Episcopus pro virili contendit suam nominationem esse manutenendam, eo quia ad tramites Bullae adolescens Stortoni iure merito dici potest terrae Mondavii ad quod praecipue respexit fundator Fattori: et ita probat. Ioseph Stortoni pater Hieronymi iuxta attestationem Municipii Mondavii est oriundus S. Andreae de Suasa fractionis illius Universitatis, a quo vico suos lares transtulit in Mondavium an. 1874 ut hic figeret stabile domicilium exercendo officium Magistri. Iam vero si vicus S. Andreae est fractio seu pars Municipii Mondavii, descendit quod illius incolae spectari possint ceu alii, efformantes Universitatem Mondaviensem; hinc Hieronymus Stortoni dici potest vocatus a pia institutione Fattori, ad hanc enim ius habent iuxta supracitatum Regium Decretum iuvenes *nati in territorio* Municipii Mondavii.

Praeterea ex facto quod pater Hieronymi Stortoni an. 1874 suum fixit stabile domicilium Mondavio ratione muneris, sequitur quod eius filius factus est subditus Episcopi Fanensis ratione domicilii. Sub nomine enim civium veniunt nedum nati in loco, sed etiam illi qui vel acquisiverunt domicilium vel nati sunt in suburbiis vel in villis eiusdem oppidi praesertim in materia favorabili, ita S. Rota dec. 982 cor. Malines « sub nomine civium veniunt tam veri oriundi quam etiam illi qui civitatem comparant vel *ex incolatu* aut ex retentione beneficii residentialis »; ita Ferraris Voc. *Cives* n. 87: « Civium appellatione veniunt etiam comitatenses seu forenses nati in suburbiis praecipue *in favorabilibus*..... Hinc filius

originem habens a patre nato in suburbiis seu villa, in collegium civitatis vel oppidi recipiendus est, cum per leges *qui in continentibus* et *qui ex vico*, natus in suburbiis vel continentibus, civis idem sit ac si in civitate vel oppido natus fuisset ». Cum igitur ex relatis iuribus adolescens Stortoni retineri optime possit uti civis *terrae Mondavii*, de validitate eius nominationis ad mansionem Fattori non videtur posse ambigi.

Quam doctrinam Episcopus dicit maius robur acquirere ex ipsis verbis Bullae, quae nullam distinctionem ponit inter natos in oppido vel in villis, et inter cives *ex incolatu*, sed tantum sese exprimit *pro duobus.... dictae terrae adolescentibus*. Atqui ita verba esse explicanda auctrix est citata Rota in Decis. 982, n. 8: « Quod ubi nomen civitatis seu loci est expressum *in genitivo* vel alio casu similis importantiae, tum dispositio non restringitur ad locum praecisum civitatis, sed capit etiam suburbium.... Sed quando de civitate facta est mentio cum praepositione *in* excluduntur ea quae sita sunt in suburbio ».

Neque aliter sensit S. Congregatio Concilii in *Lauretana Legatorum quoad partecipationem*, pluries proposita et novissime sub die 27 Aprilis 1873: inibi Clerus originarius loci vulgo *Castelfidardo* volebat excludere a partecipatione trium legatorum parochum Lombardi utpote non originarium dicti castri, sed tantum ibi domicilium habentem: et licet a patrono Cleri adduceretur in contrarium consuetudo immemorialis, tamen causa cecidit. Cum igitur expressio fundationis Barbacesare oppidi *Castelfidardo* et Fattori eadem sit, eamdem resolutionem esse debere deducit Episcopus.

His in iure et in facto enucleatis Episcopus progreditur ad refutandas difficultates ex adverso. Et in primis adnotat inutili prorsus labore Barbadoro eniti excusare imperitiam filii quoad linguam latinam, id tribuendo pravae methodo docendi vel inscitiae magistrorum in Seminario: si hoc verum esset subdit Episcopus etiam omnes alii condiscipuli in examine succubuissent; hinc potius derivare id oportet ex incapacitate filii: quare nil mirum est si parens sacerdos con-

silium ei dabat amplectendi cursum technicum; quo pretio item habenda sint asserta a Barbadoro circa vocationem filii ad statum ecclesiasticum, satis superque compertum esse ait Episcopus ex nuper disputatis.

Quod autem in contrarium oggeritur, nempe omnes iuvenes admissos ad mansiones Fattori fuisse originarios terrae Mondavii, hoc in facto falsum esse reponit Episcopus: et adducit exemplum adolescentis Rossi, qui dictam mansionem obtinuit ut ut natus Pergulae; auctoritatem Rotae in contrarium adductam pariter nullius pensi habendam esse: eadem enim duce Rota superius visum est discrimen quod intercedit inter dictionem *dictae terrae et de vel ex terra*. Hinc Barbadoro inutiliter tempus insumere probando decisionibus Rotalibus Stortoni dici non posse *terrae* Mondavii, et proinde nullum ius habere ad gratuitam mansionem in Seminario. Hae potiores utrimque rationes. Postea S. Congregationi suppositum est diluendum sequens

Dubium

An et quomodo sustineatur nominatio adolescentis Stortoni ad mansionem gratuitam Fattori, fundatam in Seminario Fanensi in casu?

Resolutio. S. Congregatio Episcop. et Regul. omnibus sedulo et mature perpensis sub die 25 Augusti 1893 sequentem protulit resolutionem: *Negative;* et addito ab iisdem Emis Patribus alio dubio prout sequitur:

An mansio gratuita conferenda sit adolescenti Barbadoro e Mondavio? Responsum fuit: *Affirmative.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

CADURCEN. De ministerio mulieris in litando sacro.

Die 4 Augusti 1893.

Rev. D. Vicarius Generalis Rmi. Domini Episcopi Cadurcen. S. Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Ob temporum nequitiam saepe contigit, ut nonnisi difficillime habeatur minister, qui missae inserviat, ita ut sacerdoti a sacro abstinendum sit, nisi ministerio mulieris utatur. Quum vero dubitetur utrum hoc in casu vera adsit necessitas, de qua in Decreto S. Rituum Congregationis diei 26 Augusti 1836, (1) hinc quaeritur:

An urgens dici possit necessitas in casu quo sacerdos sacrosanctum missae sacrificium celebrare non potest, quod minime necessarium est neque ad sacramentum pro infirmo conficiendum, nec ad praeceptum implendum?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, ita proposito dubio rescribendum censuit:

Negative.

Atque ita rescripsit ac declaravit die 4 Augusti 1893.

CARD. ALOISI-MASELLA.

CADURCEN. Praecipitur non esse executioni mandandum praecedens decretum.

Die 12 Ianuarii 1894.

Rme Domine uti Frater,

Novit A. Tua quod Dubio ab Ipsamet proposito circa mulieris ministerium in Missa, Sacra haec Rituum Congregatio negative rescribendum censuit die quarta Augusti, anno supe-

(1) *Veronen.* dub. 10. Potestne Sacerdos, omnibus prius sibi commode dispositis, quae ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis? Resp. *Affirmative, urgente necessitate.*

riore. Quum inde hac de re ad Eamdem nonnulla quaesita pervenerint, idem Sacrum Consilium nova in iisdem allata rationum momenta statuit perpendenda, atque interim praefati diei Rescriptum non esse executioni mandandum.

Haec dum pro mei muneris ratione A. Tuae communico, diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Amplitudinis Tuae

Romae, die 12 Ianuarii 1894

Uti Frater

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

TRIVENTINA. Dubia quoad cultum reddendum simulacro Deiparae Virginis.

Die 23 Februarii 1894.

Rmus Dnus Iulius Vaccaro Episcopus Triventinus sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit, nimirum: « Triventi in Ecclesia S. Crucis prostat, publicae Fidelium venerationi expositum, simulacrum Deiparae Virginis Perdolentis, nigris vestibus indutum, habituque consueto: ast sinistra manu Crucifixum gestans. Hinc quaeritur:

I. *Tolerari potestne cultus B. Mariae Virg. titulo de Cruce?*

II. *Quid dicendum de praefato simulacro?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *In sensu liturgico non expedire.*

Ad II. *Servetur Decretum Sacr. Concilii Tridentini quoad Sacras Imagines.*

Atque ita rescripsit die 23 Februarii 1894.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

PISCIEN. Dubium quoad canonicos qui deferunt annulum dum sacrum faciunt.

Die 9 Martii 1894.

Hodiernus Caeremoniarum Sacrarum Magister Ecclesiae Cathedralis Piscien., de mandato sui Rmi Episcopi sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

An sint inquietandi Canonici eiusdem Ecclesiae Cathedralis, qui ex antiqua consuetudine annulum deferunt dum sacrum faciunt, freti praesertim Sacrae Rituum Congregationis decreto diei 12 Februarii 1892, id quidem prohibenti; verum non adiecta clausula, non obstante quacunque consuetudine?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit, videlicet: *Standum esse omnino decreto superius citato.* Atque ita rescripsit et servari mandavit die 9 Martii 1894.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S.

VINC. NUSSI *Secretar.*

ROMANA seu MACERATEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Vincentii Mariae Strambi sacerdotis professi congregationis clericorum regularium excalceatorum sanctissimae crucis et passionis D. N. I. C. olim episcopi maceratensis et tolentinatis.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, et Caritate in Deum ac proximum, necnon de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, ac Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Testimonium a Iesu Christo editum de Ioannis Baptistae sanctimonia merito potest ad Venerabilem Dei Servum Vincentium Mariam Strambi referri, cum ipse in Ecclesia Catholica tamquam *lucerna ardens et lucens* fuerit, *in cuius luce* cultores fidei aequam *exultandi* causam omni tempore habebunt.

Centumcellis, piis honestisque parentibus anno MDCCXLV ortus, vel a prima aetate rerum divinarum amore, pietate in Deum, dilectione in proximum, morum innocentia ac suavitate, praeclare ostendit *sensum Christi* se habere, et *quae sunt spiritus* eminenter sentire. Sacerdotio initiatus, anhelans ab exemplo Pauli Apostoli ut in Iesu Christo per omnia cresceret, et quae Iesu Christi sunt impensius quaereret, paulo ante institutae Congregationi Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. I. C. nomen dedit, in qua omnibus admirationi fuit orationis et mortificationis spiritu, regularis observantiae zelo, prudentia, caritate, humilitate quibus altiora quaeque munia sibi concredita fidelissime gessit. Eadem vero hominum admiratio erga Ven. Vincentii sanctitatem latius vulgata est ob apostolicum ardorem quo in sacris expeditionibus ad animas in viam virtutis reducendas adlaboravit. Tanta enim cor eius urgebat Dei aemulatio in praedicatione scientiae salutiferae, in tollendis scandalis et vitiis, maxime in administratione Sacramenti poenitentiae, tanta fuit eius sollicitudo et benignitas in conciliandis inimicis et peccatoribus excipiendis, tot fructus omnis iustitiae retulit, ut ipsum iure ea deceat laus: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Maceratensium dein et Tolentinatium Episcopus, licet invitus renuntiatus, tum eo praeclarius, apparuit tamquam lucerna super candelabrum posita, lucem veritatis ardoremque virtutis late diffundens. Per viginti namque et amplius annos, ut novum ac perfectum pastoralis nativitatis exemplar, munere episcopali functus est; omnem siquidem operam impendit ad sanctam cleri institutionem, ad religionis et pietatis sensus in populo fovendos, nullique pepercit labori ut in commisso sibi populo sancti Evangelii semen salutares fructus quotidie uberiores afferret. Divina caritate permotus, seipsum rebus omnibus expoliavit, ut omnium necessitatibus subveniret: puellis, orphanis, aegrotis, periclitantibus mulieribus, et egenis benefecit, hospitiis quoque propterea institutis; ita ut eius memoria apud omnium ordinum cives in benedictione fuerit, qui ipsum ut sanctum reverentius in dies habebant et nominabant. Plures inter gravesque tribulationes quas, uti proprium est iustorum, expertus est, Ven. viri fortitudo tunc praecipue emicuit, quum ob iura Ecclesiae tuenda exilium patientia invicta pertulit, illius sententiae memor, quod *nobis datum est pro Christo, non solum ut credamus, sed etiam ut pro illo patiamur.* Senio tandem confectum Leo XII fel. rec. apud se in aedibus Quirinalibus revocavit. Ibi totus caelestium contemplationi deditus, quum vitam suam holocaustum pro supremi Ecclesiae Rectoris vita periclitante obtulisset, fere octogenarius apoplexia correptus, meritorum et dierum plenus, sanctissime obiit calendis ianuariis anno MDCCCXXIV. Sanctitatis autem fama, qua vivens gaudebat apud viros pietate et doctrina praestantes, ipsosque Romanos Pontifices, post Eius obitum latius diffusa

est, ob superna quoque prodigia, quae ipso deprecante, a Deo patrata ferebantur. Quapropter ordinariis et apostolicis inquisitionibus institutis, omnibusque peractis, quae ex Sacrorum Rituum Congregationis constitutionibus in hisce Causis gerenda sunt, ad dubium de Ven. Vincentii virtutibus discutiendum deventum est.

Triplici itaque actione hac super re disceptatum: prima pridie idus maias anno MDCCCLXXXIX apud cl. mem. Cardinalem Aloisium Serafini Episcopum Sabinen. Causae Ponentem; altera in Vaticanis aedibus XV calendas decembres anno MDCCCLXXXXI; ac demum in generali Conventu ibidem habito IV. calendas decembres superioris anni coram SSmo Dño Nostro Leone Papa XIII, in quo ab eodem Rmo Cardinali proposito dubio: « *An constet de virtutibus Theologalibus, Fide, Spe et Caritate in Deum et proximum, nec non de Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Vincentii Mariae Strambi in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* Rmi Cardinales Patresque Consultores suffragia singuli tulerunt. SSmus vero Dominus Noster, etsi de veteri sua erga Ven. Vincentium veneratione testimonium illustre reddiderit, sententiam tamen proferre distulit, atque in tam gravi negotio, ut caelestis luminis auxilium imploraretur hortatus est.

Hac vero die Dominica in Albis pacis hostia oblata, ad hanc Vaticani aulam accedens, et Pontificio solio assidens, arcessivit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Camillum Mazzella, novum Causae Ponentem, una cum R. P. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus declaravit: *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Vincentii Mariae Strambi, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Atque hoc Decretum in vulgus edi, et in Acta Congregationis Sacrorum Rituum referri mandavit calendis aprilis anno MDCCCXCIV.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

STRIGONIEN.

MATRIMONII

Die 16 Decembris 1893.

Sess. 24 c. 5 De reform. matr.

COMPENDIUM FACTI. Sigismundus Kubinyi cum Elisabetha Balassovich matrimonium die 10 Augusti anni 1889 in ecclesia Budapest-Arcensis rite contraxit.

Illico post initas nuptias, neoconiuges maritalis vitae consortium aggressi sunt, at licet una simul in eodem cubili condormiverint, matrimonii tamen consummatio locum haud habuisse videtur, ob mulieris impotentiam, quam si virum audias, absolutum, antecedentem matrimonio, perpetuam et insanabilem tres medici declararunt.

Sponsi tamen cohabitare perrexerunt usque ad diem 11 Aprilis 1890, qua Elisabetha maritale relinquens domicilium apud matrem Budapestini commorantem se contulit, neque amplius ad maritales lares rediit.

Vir autem, qui aegro prorsus animo ferebat mulieris impotentiam, et inutiliter iam tribus vicibus a parocho Budaarcensis provocatus et monitus fuerat ad vitam matrimonialem in pace et charitate restaurandam, die 19 Decembris 1890 tribunali archiepiscopali strigoniensi supplicem porrexit libellum, humiliter petens, ut matrimonium suum nullum irritumque declararetur ex capite impotentiae, ut ad alia vota matrimonialia transire libere posset.

Curia episcopalis strigoniensis curavit ut corpus mulieris a duobus medicis inspiceretur; qui unanimi suffragio eamdem renuntiarunt virginem, non vero impotentem neque respectu viri sui. Eadem Curia sub die 19 Februarii 1892 sententiam tulit huius tenoris: « Preces actoris repelluntur, validitasque matrimonii inter partes die 10 Augusti 1889 Budapestini

contracti sustinetur, iure actorem manente, ut ad S. Sedem Apostolicam pro dispensatione in matrimonio rato et non consummato recurrat. » Cohaerenter ad haec Sigismundus supplices preces SSmo obtulit pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

Disceptatio Synoptica.

Votum Canonistae. Quaeritur, ait Consultor, an matrimonium inter Sigismundum et Elisabetham fuerit validum, necne? Ex probationibus veritas esset elicienda, sed, fateor, istas non esse apprime claras, et dubitationem ingerere, cum dicta coniugum, licet iuramenti religione firmata, inter se non conveniant circa impotentiam, de qua in praesentiarum quaeritur, an existat, et in quo existat.

In causis matrimonialibus unum ex probationum generibus est primo quidem coniugum confessio; non tamen post initum matrimonium factorum enarratio probandi vim habet, sed cum aliis caute expendenda est. Iudicialiter ergo vocati supradicti coniuges comparuerunt et a iudice, seu defensore vinculi interrogati responderunt.

Actor seu accusator matrimonii Sigismundus deponit se ter copulam fuisse expertum, sed nullimode potuisse perficere ex crassitudine hymenis, quod impedimentum in sponsa est antecedens et perpetuum, solâ operatione periculosâ tollendum. *Ter* frustra copulam tentavit; sed sponsa *semel* tantum tentasse deponit. Interrogatus quare non potuit copulam perficere respondit « *ideo matrimonium consummare* non potui, quia iuxta asserta medicorum, doct. Christen, doct. Berenevy et doct. Bruk, hymen uxoris meae tantopere crassus est et impenetrabilis, ut sola operatione chirurgicâ periculosâ tolli queat. » At sponsa illico contra respondit: « Iuxta medicorum eorundem sententiam impotens non sum, et investigationi medicae memet quandocumque subiicio. » Circa incisionem chirurgicam, quam a sponsa fuisse recusatam asserit sponsus, ista respondit, ideo recusasse incisionem, quia superflua a medico Bruk iudicata fuit, qui *me sanam*

esse, et ad matrimonium aptam asseruit. Sigismundus interrogatus de causa turbatae pacis inter eos, respondit: « Causa fuit malum, quo uxor mea laborat, et desertio. » Negat id uxor: « Nullo malo laboro. » Quid inde colligendum ex hac concertatione?

In examine coram iudice delegato eadem ferme inter eos antilogia manifeste patet, et apparet, nisi quod reconventa deponit, se ex semel attentata cum actore copula contraxisse morbum, quem medicus ab eo derivasse iudicavit: nomen medici reticet. Id tamen praefracte negat actor, nam a pueritia maxime sanum se fuisse asserit. Denique reconventa interrogata, an cum viro suo convivere velit, respondit: *Non:* « Convivere cum viro meo non cupio nec volo; sed cum separatio iudicialis soli mihi damnum inferret, illam neque volo » (1).

Ex his autem coniugum depositionibus de verae impotentiae existentia non hucusque certe constat, cum una pars affirmet, altera vero neget, et ad invicem dissentiant: Testes autem contraria deponentes, uti iura clamant, regulariter nihil probant. Propterea, aliis deficientibus probationibus, Curia Strigoniensis, seu iudex delegatus corporalem feminae inspectionem indixit ad normam Bullae Benedicti XIV *Dei miseratione,* et Instructionis S. C. C. anni 1840 editae, quae praecipit: *Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti Physici, quos coniuges consuluerunt.* Propterea inspectio corporalis Elisabethae, facta est per *medicos*, ait Archiepiscopus, *huius Curiae viros catholicos, insignis doctrinae, et spectatae auctoritatis.* Non tamen vocatae fuerunt obstetrices, quae seorsim, et cum iuramento officium suum adimplere deberent, sicuti praecipit instructio an. 1840.

Medici itaque, quorum exotica nomina referuntur, diligenter, inspectis organis genitalibus Elisabethae, eam, licet cum aliquo sanabili defectu seu difficultate, *aptam esse, et non impotentem ad matrimonium,* sub iuramenti religione, scri-

(1) Mulier, via legali obtinuit ut vir eidem quandam pecuniae vim quotannis rependeret, donec illorum matrimonium nullum declaretur aut a S. Sede dispensetur.

ptis attestationibus iudicarunt, et insuper virginem adhuc esse, et omnino intactam. Ad acquirendam vero matrimonii inconsummationis certitudinem maximi esse momenti medicorum relationem hodie retinetur, cum triennale experimentum non amplius praescribatur. Quibus animadversis Curia Strigoniensis *validum* esse hoc matrimonium per sententiam pronunciavit.

Praevia igtur actuum processualium sanatione, si eâ indigere iudicabitur, ex supradictis colligitur: 1. Impotentiam in femina non existere, sed aptam esse ad coitum. 2. Ipsam esse adhuc virginem, et ideo matrimonium cum Sigismundo esse inconsummatum, sed *ratum* tantum mansisse.

Concedendo itaque quod inspectio sexualium partium in Elisabetha intactam demonstret, et de eius virginitate indubie constet, alia exurgit quaestio, an sit consulendum SSmo, ut in matrimonio hoc *rato* et non *consummato* dispensare dignetur. Quam dispensationem actor Sigismundus in causa succumbens implorat, et Emus Archiepiscopus videtur magnopere exoptare.

Ex supradictis, matrimonium inter Sigismundum Kubinyi, et Elisabetham Balassovich mansisse inconsummatum constat, nimirum ex iurata coniugum confessione, et ex inspectione muliebrium sponsae, quam virginem et intactam esse medicorum iudicialis relatio ostendit.

Causa gravis pro dispensatione obtinenda existimatur esse, cum alter ex coniugibus dissolutionem postulat, alter vero repugnat et adversatur. In themate femina cum viro suo convivere detrectat et separationem quidem petit, sed adversatur matrimonii irritationi, quia damnum temporale pateretur.

Cum ex animorum turbatione quaelibet reconciliationis spes evanuerit, uterque coniux invite ad continentiam adigeretur cum periculo incontinentiae et fornicationis, quam causam ad obtinendam dispensationem sufficere docet Cosci. *Lib. I, c. 16, 250.* Insuper, sicuti admonet Emus Archiepiscopus, vir spe frustratus vel in desperationem incideret, et etiam contra propriam vitam ageret, vel ad nuncium re-

mittendum catholicae religioni adduceretur, ad protestantes transeundo.

Votum Theologi. Duo sibi esse quaerenda proposuit Consultor: 1. nempe utrum de facto matrimonium sit tantum ratum et non consummatum: 2. utrum causae adsint, quae praedictam expostulant dispensationem.

Principio quidem ex tabulis processualibus duo tantum eruuntur argumenta ad probandam matrimonii inconsummationem, depositio nempe partium, et reiperitorum attestationes. Interrogatus namque Sigismundus Kubinyi, actor, utrum matrimonium consummare tentaverit, respondit: *Nocte eadem tentavi consummare matrimonium. . . Tres (vices) tentavi.* » Iterum interrogatus utrum consummaverit, negative respondit. Similiter altera pars, nempe Elisabeth Balassovich, interrogata utrum nocte prima matrimonii in uno lecto dormierint; an tentaverint consummare matrimonium, affirmative respondit; sed iterum interrogata utrum matrimonium consummatum fuerit, negative respondit.

Sed heic advertere iuvat, responsiones partium quasi uti extraiudiciales esse accipiendas, quia de veritate dicenda non praecessit iuramentum, neque de veritate dicta subsequutum est. Tribunalis praeses, muliere vocata, ei explicat causam evocationis, obiectum processus, illamque provocat, ut ad puncta interrogatoria *sincere* respondeat: sed de iuramento praestando ne verbum quidem facit. Regula econtra ad dignoscendum utrum matrimonium quodcumque sit tantum ratum, et non cosummatum eruitur ex Decret. D. Gregorii, *Lib. 4. de frigid. et malefic. tit. 15, cap. 5 Laudabilem.* In ipso legitur, quod ambo coniuges, *tactis sacrosanctis evangeliis,* affirmare debeant, numquam se invicem cognovisse, neque per carnalem copulam unam effectos fuisse carnem.

Ambo coniuges, qui matrimonium inconsummatum mansisse sunt confessi, plenam ne merentur fidem?

Ad hoc necesse foret, ut eorum responsiones lectae fuissent coram testibus *septimae manus,* uti S. C. C. Instructio mandat, dicens: « Deinde procedendum erit ad examen *se-*

ptimae manus, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. *in cap. Litterae Vestrae de frigid. et malef.* . . . Singuli, audita prius lectura examinis seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credat eum vera dixisse. » Verum quidem est partes interrogatas fuisse, utrum nempe alicui narraverint matrimonium consummari non potuisse. Mulier respondit: praeter matrem et aviam nemini dixisse. Vir autem adiecit narrasse pluribus amicis, quod matrimonium suum consummari nequiverit.

Primum igitur argumentum ex confessione partium desumptum, ad probandam matrimonii inconsummationem ob deficientiam nonnullarum solemnitatum a iure praescriptarum, non satis probare videtur.

Alterum argumentum ad probandum matrimonium mansisse tantum ratum et non consummatum, est procul dubio corporis mulieris inspectio, quam et Glossa, Decret. D. Gregorii, *Lib. 4 de frigid. et malef. tit. 15, cap. 5,* et instructio a Sac. Concilii Congreg. die 22 Augusti an. 1840 edita praescribunt. Duo igitur rei-periti a Curia vocati fuerunt ad inspectionem corporis mulieris peragendam, nempe D. Emericus Rapesak, et D. Alexander Feichtinger, qui ambo, praestito de more iuramento, haec quae sequuntur conscientiose deposuerunt. Doctor Emericus Rapesak, inspecto mulieris corpore, retulit, Elisabetham Balassovich non esse impotentem absolute, neque respectu viri sui, quia mulieris arctitudo certis remediis tolli potest: impotentiam hanc, non absolutam, matrimonium praecessisse, cum hymen intactus, neque ulli operationi subiectus sit. Tandem affirmavit quod, cum mulieris impotentia in sola arctitudine hymenis sit sita, arctitudinem hanc manu artis peritâ, sine periculo vitae, tolli possit. Supradictus medicus deponit circa impotentiam; sed de statu mulieris, utrum virgo sit an violata, alia verba non profert nisi sequentia: « *hymen intactus* ».

Quoad virginitatem Elisabethae Balassovich clarius se

exprimit clar. doctor Alexander Feichtinger. Ipse enim sub sacramenti sanctitate deposuit « hymenem intactum esse, externas eius partes semet invicem tangere, neque corruptas esse; quapropter coitus ordinarius cum pene virili perfectus, et matrimonium consummatum non est. »

Ex supradictis igitur clare eruitur, ex duobus argumentis ad probandam matrimonii inconsummationem in themate allatis, videlicet partium depositiones, et rei peritorum attestationes, solummodo secundum tantum indirecte probare virginalem mulieris statum; sed non satis. Licet enim reiperitorum attestationes videantur uti veridicae, et fide dignae esse admittendae, tamen inspectio directe ordinata fuit ad dignoscendam potentiam mulieris vel impotentiam, et non virginitatem. Si enim ad hoc secundum ordinata fuisset, tunc ne procul dubio aliae observari debuissent conditiones a iure requisitae, iúxta Instructionem S. C. C. diei 22 Augusti 1840: hinc videtur quod ex sola corporis mulieris inspectione moralis certitudo de matrimonii inconsummatione haberi nequeat.

Apostolica Sedes, licet in aliquibus circumstantiis, ab aliquibus solemnitatibus dispenset, tamen assueta non est dispensare super praestatione iuramenti tum coniugum, tum testium, de qua praestatione saltem per testes voluit certitudinem consequi. *Act. Sanctae Sedis, vol. 10. pag. 473.* De facto in causa matrimoniali Florentina, inter cetera desiderabatur iuramentum partium et testium. Cum haec causa proposita fuisset in generalibus S. C. C. Comitiis habitis die 28 Ianuarii 1877, EE. PP. dilata resolutione, iusserunt, Episcopum supplere acta processus iuxta sequentem instructionem, nempe . . . 3. *ut ex actibus processualibus constare faceret iuramentum praestitum fuisse a coniugibus ac testibus;* quod si fieri non potest, curaret, *ut coniuges ac testes omnes singulas eorum depositiones iureiurando confirment, et scriptis tabulis de praestito iuramento testimonium exhiberetur.*

Rebus sic stantibus, mihi videtur, ad dubium:

An sit consulendum SSño pro dispensatione matrimonii

rati et non consummati in casu – respondendum esse – *Dilata, et corroboretur processus.*

Verumtamen prosequitur Consultor; typis mandato praecedente voto, super causa matrimoniali a Curia strigoniensi definita, quum Curia eadem aliud necessarium documentum, nempe iuramentum a partibus praestitum de veritate in eorum fassionibus dicta, miserit, hoc procul dubio veluti processus corroboratio est habendum. Hinc ponderatis noviter deductis, idem consultor ad hanc descendit conclusionem: quum pateat matrimonium in themate mansisse inconsummatum, et iustae atque rationabiles causae adsint pro dispensatione obtinenda, videtur recurrendum esse ad Pontificem ad hanc postulandam gratiam.

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio. Iugale vinculum, quod, vertente anno 1887 augusti die 10, trigesimum octavum aetatis annum agens Sigismundus Kubinyi contraxit cum Elisabetha Balassovich in aetate annorum quatuor supra viginti constituta, ipse Sigismundus principio irritum proclamavit, uxorem ad opus denuntians ineptam, sed, cum inimicam sententiam tulerit, dispensationem super matrimonio, quod dicit opere incompletum, modo efflagitat.

Eximii consultores, theologus et canonista, quamvis in favorem actoris concludant, scite tamen enucleant quae locum petitae dispensationi pro re nata minime esse suadent. Eapropter, ne videar actum agere, non hisce immoror, at hisce innixus, responsum postulo: – *Dilata et coadiuventur probationes.*

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra Congr. C. re cognita sub die 16 Decembris 1893 respondere censuit: *Praevia sanatione actorum, affirmative.*

LUBLINEN.

MATRIMONII

Die 20 Ianuarii 1894.

Sess. 24 cap. 1 de reform. matr.

Compendium facti. Iam attigerat 24 aetatis suae annum Eleonora Majewska, quum die 7 Martii 1886 in ecclesia paroeciali oppidi Drazgów, dioecesis Lublinensis, iuxta ritum S. R. E. laeta nupsit pharmacopolae Ioanni Peretowski, 29 annos nato. Mutuus coniugum amor (ut mulier asserit) faustum huius matrimonii exitum ominabatur; sed contra accidit. Siquidem coniuges, si eorum dictis fides habenda est, consummationis matrimonii tentamina per quatuor hebdomadas continuas frustra aggressi sunt ob viri frigiditatem.

Hinc discordia cito subrepsit, et mutua animi aversio adeo excrevit, ut mulier corpore fracta et exacerbata, maritale reliquit domicilium et apud fratrem se contulit. Mox quinque diebus elapsis Eleonora, obsequuta compellationi fratris, iterum ad maritum rediit. Ast cum conatus officii coniugalis explendi aeque ac antea inefficaces evasissent, iurgiis, quae iampridem animos coniugum dissociaverant, acrius iteratis, Eleonora post tres circiter hebdomadas viro denuo valedixit; imo post paucos dies, 8 Iulii 1886, Lublinense Consistorium supplici libello adiit, postulatura, ut suum matrimonium nullum ex capite impotentiae declararetur. Affirmabat enim, virum per totum id tempus consummandum matrimonio imparem semper fuisse, licet omni nisu, adhibitis etiam in nosocomio S. Caroli Novo-Alexandriae medicamentis, id perficere contenderet. Consistorium primum sategit sponsos ad mutuam concordiam revocare; verum cum prudens eius consilium in irritum cessisset, tunc iudicium institutum est.

Verum opportune praemittitur haud bene liquere ex actis num iuxta formam a iure requisitam institutum et peractum

fuerit iudicium, nam acta ad S. C. C. transmissa compendii potius quam integri processus speciem praeseferunt. Deest enim accurata sessionum descriptio, quae a cancellario in similibus casibus exarari solet; desiderantur interrogatoria; testimonium septimae manus mulieris vix indicatur, et pro parte viri omittitur hac de causa, scilicet quia Ioannes in litteris ad Consistorium die 8 Aprilis 1887 missis, declaravit: « se consanguineis ac affinibus deficere, nec non nulla consuetudine cum vicinis vel cum quocumque alio iunctum esse, proindeque testes septimae manus et in merito causae suppeditandi copiam non habere. » Verumtamen in fine suae depositionis haec verba inveniuntur: « Ioannes dixit se ad testes suppeditandos obstringere, qui confessiones suas fide dignas esse approbarent, atque res ad causam pertinentes attestarentur. » Tandem videtur depositiones lectas haud fuisse deponentibus, ut eas approbare et subscribere possent.

Hisce praenotatis, acta processus resumenda sunt. Legimus vocatos fuisse ad examen mulierem, virum, testes, medicos et obstetrices: et hisce omnibus peractis et iuramento suppletorio de matrimonio non consummato a coniugibus obtento, Consistorium Lublinense die 26 Octob. 1888: « matrimonium Ioannis et Eleonorae de Majewska coniugum Peretowski, die 7 Martii 1886 in ecclesia paroeciali Drazgow, ut contractum cum impedimento canonico impotentiae physicae mariti, nullum declaravit. » A qua quidem sententia cum matrimonii defensor, ceu in iure praescribitur, appellasset ad Iudicium Metropolitanum Varsaviense; hoc Iudicium cum deprehendisset discordias medicorum inter se, nec non contradictionem opinionum eorum cum relationibus obstetricum, decretum Consistorii Lublinensis sustulit, eoque ipso, matrimonium Ioannis et Eleonorae validum agnovit.

Quod cum aegre ferret, actrix S. Sedem adiit, humillime etiam expostulans, ut ob exhaustas opes in processu suo gerendo, unum ex Antistibus Provinciae delegare dignaretur ad causam suam in tertia instantia discutiendam et definiendam. Huic libello die 7 Augusti 1890 rescriptum fuit, significans

ad Archiepiscopum Varsaviensem votum Rmi defensoris matrimonii ex officio, ut nova peritia in viro et muliere peragatur a tribus medicis, servatis rigorose cautelis praescriptis et opportunis.

Examen iussum, confectum fuit super corpus viri et mulieris a tribus medicis, iuxta instructionem defensoris sacri vinculi.

Disceptatio Synoptica.

Votum Theologi. Quamvis stilo Curiae quaestio in casu sub formula proponatur: *An sententia Curiae Metropolitanae Varsaviensis sit confirmanda vel infirmanda in casu;* nihilominus cum in hoc genere causarum optandum maxime sit, ut lites, quo citius fieri potest, finiantur; addi posset: et quatenus *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam: *An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.* Et primo videndum est: *An sententia Curiae Metropolitanae Varsaviensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?*

Resp. *Praevia sanatione actorum, provisum in 2°.* Quod actus sanari mereantur indubia res est, ii tamen tantum quibus processus constat principalis, ex quo scilicet lata fuit sententia sive Lublinensis sive Varsaviensis Consistorii.

Nunc, quare: *Provisum in 2°?* Rigorose loquendo reponendum esset: *Affirmative* ad 1am. partem, *Negative* ad 2am. Revera, Bened. XIV aeque admodum observat Const. *Dei Miseratione:* « Nulla humana praesumptione Catholicae Ecclesiae Sacramentum dissolvi posse, » et praesumptio esset, cum ex non satis probata in viro impotentia physica, antecedente, immedicabili, vel absoluta vel relativa, matrimonium rite contractum nullum declararetur; quod contigisse putamus in sententia Curiae Lublinensis.

Utique periti in ipsius Curiae Processibus uno ore asseruerunt « Impotentem Ioannem Peretowski, eiusque impotentiam antecedentem esse matrimonio, absolutam, et immedicabilem. » Verum unde haec communis conclusio?

Imprimis liquet relationem medicorum pluribus laborare defectibus, et conclusionem impotentiae, quam oporteret, minime posse praeparare certum est. 1°. Superficialiter admodum observatio facta, ex verbis ipsis et modo, quo se periti expediunt, dignoscitur. Maxime autem hoc dignoscitur ex varietate, qua ipsi res substantiales aestimant in casu.

Optime Iudicium Metropolitanum observat: « Attento quod medici inter se diversam membri virilis Peretowski magnitudinem affirmant, atque huius generis et tanti gradus diversitas excusari non potest. Cum enim medicus Dutkievicz membrum virile 5 pollices longum et sesquipollicem crassum esse dicat: Ciechonski 2 pollices longum, dimidium solummodo crassum esse assignet... manifestum est indagationem medicorum diligenter atque accurate confectam non esse ».

2°. Impotentia arguitur potius ex assertis Ioannis, quam ex vitio corporis eius: imo et postponendo fidei in homine, cui interest Matrimonio huic valedicere, quod contra ipsam impotentiam ex inspectione resultaret.

His consideratis unde auferri posset dubium in casu nostro de existentia impotentiae viri cuiuscumque generis ipsa sit, vel de eius saltem immedicabilitate? Hinc quaenam observationum peritorum conclusio, et consequenter quodnam iudicium Curiae Lublinensis debuisset esse? profecto pro validitate Matrimonii: *In dubio de impotentia antecedenti standum est pro valore Matrimonii, et coniugibus copula experiri permittendum est*, ait post Ligorium *n. 1103* Gury *De Matr. n. 856, 2.* Hinc triennium celebre a iure Canonico concessum non obstante maiori probabilitate pro impotentia perpetua, Gury *loc. cit.* Et *n. 855* iuri divino consentanee, ut omnium Theologorum sententia fert, animadverterat quod: *Impotentia consequens et impotentia antecedens temporalis Matrimonium non dirimunt; quia usus actualis matrimonii ad eius essentiam non pertinet, et sufficit ut consummatio vel fuerit possibilis tempore contractus, vel possibilis futura sit.*

Iure ergo antea dixi quod ad 1^um^ rigorose loquendo reponi deberet: *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Neque ex ulterius actis ex iniunctione S. C. Congr. iudicium immutare fas esset.

Processum indictum pro nova peritia corporum utriusque coniugis absolutum fuisse ad praescriptum Benedict. Constitutionis et instructionem S. Congr. iam advertimus.

Ab inspectione peritorum excerpam quae nostra praesertim intersunt. Dñus *Eduardus Perzowski* professor Universitatis et scrutator Anatomopathologus a 20 annis et ultra, ait, post scrupulosam indagationem in casu: « nulli adsunt in Ioanne Peretowski morbi generales, qui provocare possint impotentiam physicam. Sub respectu locali genitalia minime eum praebent aspectum, qui impotentiam statuere cogant. » Intelligi haec debent de impotentia absoluta. Quid de relativa? « Non obstante defectu signorum materialium, quae impotentiam demonstrent, coniicio eum relate ad uxorem esse impotentem. » Hoc tamen hic et nunc; prosequitur enim « Impotentia Ioannis Peretowski erga uxorem est relativa et acquisita. Num haec possit aliquando sanari, id determinare difficile est ». « Impotentia relativa Ioannis est naturalis proveniens ex generalitate eius organismi, ideoque matrimonium praecessit, atque de eius curatione difficile est quidquam dicere ».

Quae ab aliis adnotantur multum videntur favere impotentiam vel absolutam vel relativam, nec non etiam antecedentem Dñi Ioannis Peretowski. Verum impedit quominus opinionem et responsionem nostram referemus, quod iidem aiunt in quaestione de ipsius perpetuitate.

Postremam addam hic observationem, qua magis magisque confirmarer in allata ad primum dubium responsione. A peritis processus additionalis unanimiter dicitur: Ioannem Peretowski cum defloratis rem habere posse.

Ergo adhuc vim retinet Ioannes seminalem substantiam emittendi. Hoc in casu nonne periculosum admodum esset

nullitatis iudicium proferre cum receptum communiter apud Physiologos medicosque nunc sit; ad conceptum generationisque effectum nequaquam necessarium, ut vir seminalem humorem effundat iniiciatque in interiores usque feminei organi partes, sed satis quod eiusmodi humor ad externam eiusdem organi superficiem, seu ad vaginae os applicetur? Wallisnieri *Istoria della gen. dell' uomo part. 1. cap. 8 num. 7* et *part. 2, cap. 13, Dizionario Classico di Medicina esterna ed interna Venet. an. 1834* ad verbum *Impotenza tom. 17 pag. 89.*

Sufficere haec arbitror ad ostendendum quod rigorose loquendo ad 1^um^ Dubium: *An sententia Curiae Metropolitanae Varsaviensis sit confirmanda vel infirmanda in casu* reponi deberet *Affirmative* ad 1^am^ partem, *Negative* ad 2^am^.

Interest nihilominus Ecclesiam has causas citius quo fieri potest componi et finiri, utpote quae in animarum salutem maxime influunt. Puto ergo additionali processu innixus, consideransque potestatem in hunc finem Rom. Pontifici Dei providentiâ largitam, modum esse quo casui nostro arduo consulatur. Ideo, reponendo potius 1° Dubio: *Provisum in 2°,* discutiendum proponam, uti initio dictum est, Dubium alterum.

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Huic modo rem finiendi suffragantur DD. ita Pignatelli *Consult. 148 num. 14 tom. 1,* Card. De Luca *Discept. 7, num. 7 De Matrim.,* Coscius *423 cap. 2 num. 28 etc.,* et S. Congr. non alienam ab eo esse patet *Romana Nullitatis seu Dispens. Matrim. 12 Sept. 1833, Neapolitana Matrimonii 27 Mart. 1838, Leodien. Matrimonii 26 Iunii 1858, Neapolitana 2 Mart. 1861, Neapolitana Nullitatis seu Dispensationis Matrim. 14 Iun. 1862, Mechlinien. Matrim. 17 Dic. 1887* aliisque innumeris.

Dubio autem proposito reponi posse censeo: *Affirmative retito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione.*

Duo ostendenda essent in casu: 1° matrimonium revera consummatum non fuisse; 2° causas adesse, quibus gratiosa dari possit dispensatio.

Nemo ibit inficias quod matrimonii inconsummationem certo ostenderet existentia virginitatis in muliere. Ad hanc indubie asserendam maxime moveor iudicio peritorum in processu Varsaviae condito amussim iuxta instructiones S. C. die 22 Aug. 1840 et speciales in epistola ad hoc contentas ad Archiepiscopum Varsavien. sub die 7 Aug. 1890. Eodem iudicio, et scrupula tolluntur, quae hac super re haberi possent ex actis confectis antecedenter.

Quanti facienda sit peritorum auctoritas hisce in casibus notum est; in primis si peritiâ commendabiles et probatae iidem fuerint aestimationis: quod et petiit S. Congregatio ab Archiep. Varsavien. epistola citata: *tres medicos e peritioribus in arte sua, vitaeque integritate praestantibus*. Neque dubitari potest Archiepiscopum mandato haud paruisse cum videamus catholicos peritos assumpsisse, aetate provectos, et inter eos Dñum Petrum Przewoski professorem Universitatis et scrutatorem anatomo-pathologum a viginti et ultra annis.

Iamvero, qua firmitate post accuratissimam inspectionem iudicaverint in casu periti, Dñam Eleonoram virginitatem suam non amisisse, videre est 1° ex adiunctis et verbis, quibus rem totam prosequuntur, 2° ex eo quod, omni alia posthabita consideratione, eamdem virginitatem pro *ineluctabili* argumento habeant matrimonii inconsummationis, 3° ex modo et rationibus, quibus contrarias retundunt animadversiones primae inspectionis.

Nescio an clarius et sapientius in re ratiocinari possit. Eadem vero intima persuasio peritorum certo certius emergit ex eo quod praefatam virginitatem pro argumento habent ineluctabili matrimonii inconsummationis in casu. Et re quidem vera testes deposuerunt quod argumentum non consummati matrimonii est status virginitatis genitalium Actricis; et quod reus matrimonii non adimpleti in casu est procul dubio vir.

Attamen adversus hanc sententiam afferri possent quae post inspectionem adnotata fuerunt ab obstetricibus et peritis in processu ex quo sententiae prodierunt, primum generalis Consistorii Lublinensis pro nullitate matrimonii et dein in 2ª instantia Iudicii metropolitani Varsaviensis pro eiusdem matrimonii validitate. Haec tamen eos concludenter retudisse vel explicasse monstrabimus. Praemittimus 1° in ea inspectione omnia adimpleta fuisse quae S. Congr. praecipit in Instruct. diei 22 Aug. 1840. 2° Non medicos inspexisse, sed obstetrices tantum. 3° Inter tunc adnotata ab obstetricibus, et adnotata postea a peritis processus additionalis, discrimen praecipuum esse tantum quoad existentiam vel statum hymenis.

Quamvis de statu hymenis diversam protulerint sententiam, tamen obstetrices et medici suffragium tulerunt pro virginitate Eleonorae. Periti pro additionali processu statuunt causam discordantiae inter obstetrices super virginitate mulieris, in earumdem incompetentia et rei difficultate.

Pro dispensatione obtinenda super matrimonio non consummato afferri potest alienatio animarum, probabilis aut certa impotentia viri relativa. Hoc haud fundari nos posse ex hactenus dictis putamus pro declaranda nullitate, plurimum nihilominus valere certum est ad implorandam et obtinendam dispensationem. « Quando probabiliter etiam impotentia intercedit, dispensatio proprie et rigorose non est gratia, sed prudentialis potius iustitiae administratio » ait Ursaja *tom. 3 p. 2 disc. 21 num. 104.* Hac praecipue mota S. Congr. pluries *Affirmative* reposuit eidem dubio alias proposito uti videre est ex. gr. in *Neapolitana Nullitatis seu dispensationis Matrim. 14 Iun. 1862* et *Wladislavien. Matrimonii 22 Febr. 1890.*

Tandem ad dispensationem obtinendam, adducitur uti causa periculum valetudinis mulieris, et periculum fornicationis.

Votum Canonistae. Quaerit primo consultor qualenam iudicium tulerint medici pro nova peritia, iussa a S. C. C. die 22 Decembris 1890. Et respondet omnes istos artis medicae, insignes tum conscientiâ, tum scientia, absque haesitatione

declarasse virginem Eleonoram. Explicant contradictiones inter medicos et obstetrices et inter ipsos medicos, in primo iudicio. « Medici, dicunt, in priore inspectione assignaverunt non easdem dimensiones penis Peretowski propter vitiosum modum mensurandi non a puncto stabili ad alterum stabile sc. a vertice penis ad basim in ossibus, sed a vertice membri ad superficiem cutis, quae potest comprimi, nec non plus minusve repelli. Obstetrices discordabant circa virginitatem Eleonorae Peretowska propter pathologicum statum eius muliebrium indeque profluentem difficultatem in dignoscendis quaestionibus subtilioribus. » Brevius Bondy : « quod attinet differentiam in dimensionibus penis Ioannis Peretowski, haec provenire potuit unice ex discrepantia medicorum inter se quoad modum metiendi; obstetrices discordarunt propter incompetentiam ».

Quum non satis sit una inspecta hymenis integritate iam mulierem virginem proclamare – dicit enim Zacchias, *quaest. medico-legal., lib. 4 tit. 2 quaest. 2 n. 16* : « Prudentius fortasse agunt, qui loca ipsa considerantes, colorem volunt esse rubicundum ac naturalem, non ad livedinem quandam aut nigredinem declivem. Ipsius quoque uteri partes, nativa quadam validitate et renitentia dotatas esse volunt, non laxatas aut diffluentes neque humectas, sed exuccas. Cum quibus etiam universum corpus considerant : nam et ipsae carnes in corruptis laxiores sunt, in virginibus duriusculae et renitentiores. Colore item sunt vividiore, ubi violata virgo est, sensibiliter remittitur... Inter ceteras vero partes, mammae eorumque capitula observanda; mammas enim non diffluentes et laxas, sed in seipsas recollectas ; papillas autem nativo colore seu fusco quodam rubore perfusas; non livore aut nigredine labefactatas esse decet ; neque etiam circulo quodam nigriusculo notatas ». — medici Varsavienses omnia haec signa expenderunt et explicaverunt in favorem virginitatis Eleonorae.

Quum brevitas penis non possit esse argumentum absolutum impotentiae viri ad consummationem matrimonii —

scribit enim Zacchias, *loco cit. n. 28 seq.*: « Potest virgo deflorari, imo etiam concipere, absque eo quod hymen disrumpatur, ut concludunt nonnulli praedictorum auctorum. Hoc autem dupliciter evenire potest. Uno modo si membrana illa adeo dura sit, ut disrumpi a congressore non possit; tum vero si vir intra uteri collum semen effundat, et uterus illud attrahat per orificium quod perpetuo in ea membrana reperiri certum est et minime controversum, potest mulier concipere. Secundo modo, *si vir membrum habeat admodum breve* et membrana illa sit altius interiusque posita; tunc enim idem quod in superiori casu evenire poterit. Addam duos alios modos; unum si, virga tenui existente, hymenis orificium sit ampliusculum, nam absque hymenis dilaceratione mulier corrumpi potest et concipere... » — medici Varsavienses non sumunt argumentum pro impotentia temporali viri unice et potissime ex brevitate virgae, sed etiam ex aliis signis, et maxime ex non sequuta erectione penis. D. Markiewicz dicit, erectionem virgae in Peretowski posse quidem habere locum, sed ob causas quas affert, non in gradu sufficienti ad legitimum concubitum. Prewoski ad quaesitum: Potestne Peretowski ita erigere membrum virile, ut rem maritalem accurate cum seminis effusione intra vas muliebre peragere valeat? — respondet: « Nihil est quod demonstret ita esse non posse; ideoque Ioannem Peretowski statuo laborare impotentiâ relativâ; » i. e. possibilitatem non negat absolutam, puta cum mulieribus corruptis, sed relativam, cum coniuge sua. D. Bondy ad hoc idem quaesitum dicit: « Opinor, membrum virile Ioannis Peretowski non posse ita adaequate erigi, ut valeat uxorem suam deflorare ». Hanc vero erectionem virgae essentialem esse in consummatione matrimonii patet ex se, et a Canonistis extra dubium ponitur. « Si vir, inquit La Croix, *lib. 4, p. 3, n. 793,* vas femineum penetrare non possit, quamvis in illius introitu semen effundat... censeri debet impotentia, quia talis seminatio non sufficit per se ut tales coniuges, modo naturali censeantur fieri una caro ». Et Zacchias *loco cit. lib. 9,*

tit. 1, quaest. 1, n. 8, 5, ait : « Si debita coniunctio et insertio membrorum non sequatur, si verum semen vir non eiecerit... vel non debite penetraverit, nunquam haec copula erit apta ad generationem, nec per eam dici poterit matrimonium fuisse consummatum ».

Medici Varsavienses ultimo concludunt: Prewoski: « Impotentia relativa Ioannis Peretowski, matrimonium praecessit atque de eius curatione difficile est quidquam dicere ». Bondy: « Impotentiam hanc existimo incurabilem, ortam ante nuptias — Ioannem P. habeo pro incapaci ad concubendum perfecte cum mulieribus non corruptis ». — Markiewicz: « Difficile est statuere, num eiusmodi impotentia aliquando curari possit. Existimo Ioannem P. inhabilem esse ad fungendum officio maritali cum mulieribus non defloratis ».

Credendumne sit medicis et eorum observationibus fidendum sine periculo? — Si quaereremus de certitudine absoluta eorum observationum, sane negative respondendum esset. Ex citato Zacchia videtur sequi neque integritatem hymenis posse esse signum infallibile virginitatis. Postquam enim varios retulerit casus, ex quibus aliquot citavimus, qui ostendunt mulierem posse absque hymenis dilaceratione etiam concipere, dicit: « Vides ergo quot modis corrumpi possit virginitas, et tamen virgo incorruptissima intuentibus apparere, si his exterioribus signis fidem habeamus ». Neque, alia signa ex universo corpore desumpta possunt nobis absolutam certitudinem de conservata virginitate dare, ut videmus in relationibus medicorum Varsaviensium. « Quaedam exilitas mammarum, dicit Bondy, et laxitas muliebrium, prominentia labiorum ex maioribus, nec non perexigua laesio hymenis non possunt constituere argumentum amissae virginitatis, in casu vero provenire possunt ex conatibus tantummodo copulae ; quod autem laxitatem mammarum spectat, res haec occurrit saepenumero etiam apud virgines ». — At si abiiciendum esset testimonium medicorum ideo quod ex exterioribus signis nihil absolute certi erui potest, cur ad eorum artem recurratur? Testimonium medicorum potest

nobis tantum moralem dare certitudinem quod impotentia revera adsit et matrimonii consummatio secuta non fuerit, et haec moralis certitudo satis nobis est ad rem de qua agimus. Dicunt Canonistae, Reiff. in *lib. IV Decr.* § *VIII*, quod non tantum possit, sed debeat annullari matrimonium ubi dantur signa *moraliter certa* impotentiae. Neque periti de omnimoda certitudine iuramentum praestare tenentur, sed, uti docet Sanchez, sufficit, ut testificentur verosimiliter, iuxta aestimationem quam ex artis peritia assecuti sunt. Haec dicta sint ad difficultates praeveniendas, quae solent hac in re moveri.

Ex depositionibus iuratis coniugum, ex attestationibus medicorum, et ex depositione septimae manus habemus ergo in casu solidam ac plenam probationem certae impotentiae viri, antecedentis, insanabilis ac perpetuae, nam impotentia quae acquiritur ex abusu veneris et onanismo ex doctorum sententia est immedicabilis post exactos 30 annos. Hinc pronuntiandum esset pro nullitate matrimonii. Quum tamen S. C. C. in casibus similibus ordinarie eligat procedere per viam gratiae, relicta via iustitiae, consulendo nempe Sanctissimo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quaestio est an in nostro casu, posita non consummatione matrimonii, quae ex dictis sat probata mihi videtur, adsit causa dissolvendi coniugium ratum et non consummatum? Sufficit sane haec ipsa impotentia, quae iuxta Doctores, quum agatur in causa gratiosae dispensationis, satis si sit probabilis, ut Summus Pontifex illam existimare possit veram et ideo ad gratiam largiendam moveri. Si etiam de perpetuitate impotentiae dubium esset, tamen matrimonium dissolvendum esse dicit Coscius, *lib. 3 cap. 2.* « Diversimode autem se res habet, scribit, in quaestionibus nullitatis ex capite impotentiae, per quam matrimonium reipsa est nullum, suumque finem et effectum consequi nequit. Tunc enim quia agitur de inferenda iniuria eidem sacramento matrimonii, directe contraria procedit regula, nimirum quod in dubio standum est pro exclusione matrimonii eâ vivâ ratione,

quia in foro externo, in quo iudicat Ecclesia, tolerabilius et honestius est per canonicas probationes, et iuxta disciplinam Ecclesiae matrimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii occasionem incontinentiae praebere, et continuum confovere peccatum ».

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Eleonora Majewska, 24 annos nata, die 6 Martii 1886 nupsit pharmacopolae Ioanni Peretowski, in aetate annorum 29 constituto, quocum per duos circiter menses communione usa thalami, die 26 Iunii 1886 virum ineptum ad opus, et irritum matrimonium proclamavit.

Fortuna Eleonorae arrisit in prima iudicii sede, sed adversata ei est in altera. Nam metropolitana Varsaviae curia, die 16 Martii 1889, infirmata lublinensis curiae sententia, firmum renuntiavit matrimonium.

Nec dubium est quin curia varsaviensis rem acu tetigerit. Quidquid enim sit de decantata Ioannis impotentia, minime tamen constat eam esse *perpetuam* sive *insanabilem*.

Enimvero ex tribus archiatris, qui ex mandato curiae varsaviensis, seu potius S. C. C., corpus Ioannis recognoverunt, primus, nempe Ioseph Marchievicz, iudicialiter excussus, refert: « In praesenti facultas sexualis Ioannis Peretowski perinde erga uxorem quam etiam erga alias mulieres est valde *dubia* ac *probabiliter* non valet consummare actum copulationis... Difficile est statuere num eiusmodi impotentia aliquando curari possit ».

Alter peritus, Eduardus Przewoscki concludit: « Impotentia Ioannis Peretowski erga uxorem est relativa et acquisita. Num possit aliquando sanari id determinare difficile foret ». Tertius autem medicus cognitor, Eduardus Bondy, perpetuitatem impotentiae potius quam pro certo affirmare, coniectare videtur. Ait enim in iudiciali examine: « Cum matrimonium in casu *non sit consummatum, cumque saepe occurrant eiusmodi patientes*, impotentiam hanc existimo insanabilem ».

Lectissimi consultores theologus et canonista confugiunt

ad dispensationem super matrimonio, quod ipsi autumant inconsummatum, innixi testimonio praedictorum medentium qui, postquam corpus Ioannis perlustraverant, ad Eleonoram conversi, eam verbis plus minusve involutis virginem proclamant. Sinite itaque Pàtres Emi ut istis medicorum testimoniis paulisper immorer: exinde enim liquet quam parum in eis fidendum sit.

Sit initium a perito Iosepho Marchiewicz, qui concludit: « Ex his concipio persuasionem, stante prorsus legitima conformatione genitalium, fuisse iteratos conatus et attentationes concumbendi, id quod evincitur ex laesione hymenis, conatus tamen huiusmodi fuisse irritos, prout demonstrant non detrita labia maiora atque minora, nec non notabilis elasticitas et resistentia atque angustia ostii, quod post plenum atque iteratum copulationis actum foret magis apertum et penetrabile ».

Age modo; medicus iste necessarios primum existimat ad amittendam virginitatem et matrimonium consummandum *iteratos copulationis actus*, cum certum exploratumque sit unum tantum copulationis actum sufficere. Deinde, putat *non detrita labia maiora:* imo in genitalium descriptione nitide ait: « *Labia pudenda maiora sunt rosea, laevia conteguntque labia minora* ». Postremo, nititur in *angustia ostii.*

Ast obstetrix Sophia Czubaszkowa, prima ex tribus, quae iussu curiae lublinensis corpus Eleonorae in prima iudicii sede perlustrarunt, renuntiat: « Labia maiora demissa et aperta, ex quibus aliquantulum prominent labia minora obscurioris coloris, hymenem virginalem deesse et tantum eiusdem signum adesse ». Catharina Sandecka altera ex tribus obstetricibus iurat: « Labia maiora distracta in medio esse obscurioris coloris, satis a se distare, ita ut inter ea minora labia promineant »: tertia demum obstetrix, Bogumila Szadkowska affirmat: Labia maiora, aliquantulum a se distantia, esse rosei coloris, eiusdem coloris esse et labia minora aliquantulum extantia »: peritus Przewoski ait: « La-

bia minora magna prominent ex maioribus in extremitatibus conspicuis.... labia pudenda maiora satis parva, nec stricte cohaerentia ». Quae omnia complectens medicus Cieconski ait: « Labia pudenda maiora bene evoluta detrita, non convenire inter se solide et de iis minora labia prospicere coloris obscuro-rosei bene evoluta ».

Quo vero ad assertam *angustiam ostii* praefata obstetrix Szadhowska testatur: « Aditum in vaginam esse liberum, qui indicem complecti possit »; obstetrix Sandecha: « Aditum in vaginam aliquantulum esse arctum, laevem, pallido-rosei coloris »; Czubaszkowa: « Vaginam in aditu e dextra parte esse sensibilem, ligaturam deesse »; medicus Przewoski fatetur: « Ostium hymenis, satis magnum, permittit penetrare summitatem indicis ». I nunc et crede, sodes, perito Boudy, qui matrimonium inconsummatum censet « attento praesertim tam angusto ostio » perito Przewoski, dum affirmat: « Hymen adest *citra omnem controversiam*... Margo hymenis liber *nusquam praesefert scissuras* ».

Tene itaque facta supra excripta quippe quae uno velut ore testantur a tribus Lublini obstetricibus et partim etiam a Varsaviae medicis: ac statim comperies obstetricem Czubaszhowa iure optimo merito affirmasse: « Eleonoram consummasse matrimonium physico modo, » et obstetricem Sandecha: « Eleonoram virginitatem amisisse ». Neque me movet obstetrix Szadhowska, quae apud iudicem deponit: « Eleonoram esse virginem, fundans iudicium suum in existentia membranae virginalis ex parte, cuius divulsio fieri potuit conatu consummandi matrimonium aut aliis ex causis ».

Quae cum ita sint ad inscriptam rogationis formulam « *An sententia curiae metropolitanae varsaviensis diei 16 Martii 1889 sit confirmanda vel infirmanda in casu* » submisse postulo responsum: « *Sententiam esse confirmandam* ».

Quibus adductis in utramque partem, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Metropolitanae Varsaviensis diei 16 Martii 1889 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio Sacra C. C. re discussa sub die 20 Ian. 1894 censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam; sed attenta postulatione procuratoris mulieris, consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta Sacra Congregatione.*

Ex quibus colliges: I. In dubio de impotentia antecedenti, de rigore iuris standum esse pro valore matrimonii.

II. Impotentiam antecedentem aut consequentem, matrimonium non dirimere si temporalis sit; et sufficere si copula fuerit possibilis tempore contractus vel possibilis futura sit, quum usus actualis matrimonii ad eius essentiam non pertineat.

III. Quando proceditur per viam gratiae seu per dispensationem impertiendam a Romano Pontifice, tunc, probata inconsummatione, matrimonium dissolvi potest etiamsi de perpetuitate impotentiae adesset dubium.

IV. Tolerabilius enim et honestius esse iuxta disciplinam Ecclesiae matrimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii occasionem incontinentiae praebere et continuum confovere peccatum.

V. In themate, iuridice evicta inconsummatione matrimonii ex integritate corporis mulieris, et ex impotentia, saltem relativa, viri, firmâque permanente sententiâ Varsaviensi pro validitate, gratia dispensationis indulta fuit.

AQUIPENDIEN.

ADIUDICATIONIS REDITUUM

Die 20 Ianuarii 1894.

Sess. 24 cap. 15 De ref.

Compendium facti. Post deletionem civitatis Castri, sub anno 1649 ad Aquipendium ecclesia cathedralis translata fuit, eiusque capitulum, partim ex bonis praebendarum capitularium aliorumque beneficiorum et ex aliis piis fundationibus dirutae civitatis, constitutum fuit.

Huius patrimonii reditus divisi sunt in septem canonicatus, quorum caput archidiaconus. Verum cum ecclesiae servitio septem hi canonici insufficientes visi sint, Innocentius X an. 1651 capituli Aquipendiensis institutor, alios sex adiecit canonicatus, et, decursu temporis, alius seu quartus decimus accessit. Ita constitutum capitulum viguit usque ad annum 1873, quo subiacere debuit legibus regni Italici eversivis ecclesiastici patrimonii. Innocentii X bullam erectionis, quae diu latuit, e latebris archivii ecclesiae cathedralis non integram sed eiusdem magnam partem in lucem vindicavit Victorius Costantinus, huius ecclesiae archidiaconus et in causa actor.

Causa vero vertitur inter dictum archidiaconum et alios canonicos, quorum praebendae coaluerunt ex bonis dirutae civitatis Castri.

Ratio controversiae haec est. Quando Innocentius X ex bonis civitatis Castri constituit septem praebendas, ex communi massa bonorum archidiaconatui, utpote dignitati, attribuit 110 scuta, aliis canonicatibus 60 tantum scuta.

Certum est quod tractu temporis Bullae Innocentianae aliqua mutatio facta est. Nam inter canonicos habentes praebendas e Massa Castrensi Pontifex non numerat canonicum Theologum, quem imo videtur constituere et dotare ex bonis huic Massae extraneis. Tamen an. 1729 Episcopus Barnabei in Constitutionibus Capitularibus recenset canonicum Theo-

logum inter canonicatus Massae Castrensis: at tempus factae permutationis ignoratur. Item pro distributionibus quotidianis non fuit servata dispositio Bullae, sed adhuc pro secutis fallentiis quisque solvit certam pecuniae summam, quae cedit diligentioribus in chori servitio.

Sed quod huius quaestionis est pene caput, mutatio facta est etiam in quantitate redituum tribuendorum praebendae Archidiaconi; cum enim Pontifex eidem assignaverit 110 scuta, aliis 60, postea invaluit mos ut Massae communis reditus dividerentur in octo partes aequales, quarum duae Archidiacono, aliae reliquis sex canonicis cederent. Insuper unusquisque ex his canonicis propriam habet *distinctam* praebendam, quam quisque sibi administrat, dum pro Massa Castrensi canonici unum ex ipsis eligunt administratorem. Sed quando facta sit praebendarum divisio, nulla memoria docet.

Haec omnia testatur Episcopus in litteris S. C. C. datis, die 17 Decemb. 1892, qui Episcopus etiam asseverat, hanc redituum divisionem *ab immemorabili* servatam esse.

Verum res non parum deturbarunt leges regni Italici, patrimonium Ecclesiasticum usurpantes. In primis lex diei 15 Augusti an. 1867, promulgata in provincia Romana die 19 Iunii 1873, non patitur nisi duodecim canonicos esse in Ecclesia cathedrali. Hinc cum unus ex septem canonicatibus Massae Castrensis vacasset per obitum Canonici Ioannis Rocchi, fiscus eius praebendam suppressam declaravit sibique reditus attribuit, et ita ad sex tantummodo reduxit praebendas provenientes ex bonis civitatis Castrensis. Dein alium hisce bonis extraneum canonicatum suppressit et ad duodecim canonicos redegit.

Postea, ad praescriptum legis iam citatae, bona omnia Capituli immobilia alienavit et proventuum loco cessit totidem Debiti Publici syngraphas. At tum immobilia alienata, tum reliqua mobilia aliam subierunt subtractionem in applicatione facta taxae *trigesimi pro centenis* (30 %) super universis bonis Massae tum singulae praebendae. Attamen haec retentio partiali obnoxia fuit restitutioni ob legem diei 19

Iunii 1873, quae statuit eam esse applicandam tantummodo illi parti annuorum redituum canonicatus, quae excederet libellas 800; quod si integer annuus reditus excederet libellas 1,600, nullam taxae diminutionem locum habere.

Fiscus in hisce exequendis legis dispositionibus ita se gessit, ut praebendae archidiaconatus, utpote excedenti libellas 1,600, integram taxam trigesimi pro centenis applicaverit; reliquis quinque praebendis ex Massa Castrensi, quippe quae non excederent hanc summam, taxam applicavit tantum pro ea parte, libellas 800 excedente.

Sed aliam quoque differentiam fecit in modo retentionis huius taxae; nam quoad quinque praebendas, effecit, ut taxa integre gravaret massam communem non singulam praebendam; taxam enim praelevavit a proventibus bonorum immobilium massae Castrensis alienatorum retinens sibi, in tradendis syngraphis Publici Debiti, summam correspondentem etiam taxae solvendae a particularibus quinque praebendis. E contra a reditibus Archidiaconatus directe taxam trigesimi pro centenis exegit. Unde factum est ut, ita diminuta Massa communi, indirecte Archidiaconus pro rata diminutionis solverit hanc taxam etiam pro reliquis canonicis massae Castrensis. Verum fiscus non modo massam communem ita diminuit, at divisio redituum provenientium ab alienatione bonorum mobilium facta est adamussim nova methodo, adeo ut Archidiaconus non amplius praebendam aliis duplo maiorem, nec aequalem inter se habuerint reliqui quinque canonici.

Rebus ad hunc statum redactis, Archidiaconus Victorius Constantinius censuit se hanc procedendi rationem ratam habere non posse, unde, an. 1891, die 16 Iunii, recursum habuit ad S. C. C. petens ut, remota quacumque redituum divisione a Gubernio Italico facta, in pristinum restituatur antiqua, a consuetudine immemorabili confirmata praebendarum divisio, ita ut inter canonicos massae castrensis septem aequales fiant partes, quarum duas partes habeat Archidiaconus et alias reliqui canonici, qui ad hunc effectum massae

restituere debeant eam taxae partem ab eadem massa pro quinque minoribus praebendis exactam.

Fundat suam petitionem praecipue in dispositione Innocentii X, capituli Fundatoris, qui de omnibus bonis dirutae civitatis castrensis, capitulo tributis ait « *in unam massam redigimus* » in Bulla citata. Unde Archidiaconus deducit, onera a fisco massae imposita deberi a singulis eiusdem massae praebendis in aequali parte sustineri, non diversimode uti idem fiscus peregit.

Disceptatio Synoptica.

Iura Canonicorum. Imprimis canonici praecipuas capituli Aquipendiensis phases enarrant, postea quaestionis meritum ingressi advertunt, Innòcentium X non confecisse ex bonis Castrensibus massam, canonicis communem in *sensu iuris*, hac in materia, sed ex *cumulo* horum bonorum singulis praebendis aliquam proventuum partem tribuisse. Revera, aiunt, Archidiacono adiudicat Pontifex 110 scuta, aliis 60.

Confirmant hanc animadversionem ex sententia Episcopi Alexandri Fidelis, qui cum S. C. Congreg. an. 1692 referret de statu praebendarum capitularium quoad distributiones, nulla facta distinctione inter canonicos de Massa castrensi, et alios qui certissime distinctas et separatas habent praebendas, ita loquitur: « In hac cathedrali ecclesia nullae adsunt distributiones quotidianae, sed archidiconus prima dignitas habet reditum taxatum in Bullis erectionis in annuis scutis 110, archipresbyter in scutis 100, poenitentiarius et theologus in scutis octoginta pro quolibet, ceterique novem canonici in scutis sexaginta pro unoquoque. » Et omnibus aequalem taxam scutorum duodecim imposuit.

Instant, non solum hunc Episcopum proximiorem tempori erectionis Capituli ita interpretatum fuisse mentem Institutoris Massae castrensis, sed ipsos canonicos huius Massae, tunc temporis, eamdem mentem factis significasse. In hoc propositum allegant quemdam actum capitularem coram

Episcopo Leti habitum die 4 Sept. ann. 1657 in quo canonici Episcopo memoriale porrexerunt, ut in *unam mensam* plures *mensas* capitulares redigeret. Ergo, concludunt canonici, mensam castrensem aequiparandam mensae aliarum praebendarum quae certissime distinctae existunt: quocirca illud verbum « Massae castrensis » improprie assumunt.

Insuper adducunt, cuiusdam canonici Angeli Maldacchini affirmationem in congressu Capitulari anni 1684 exhibitam circa aliquem censum Massae castrensis, quem sibi pertinere asserit « *prout ex divisione olim facta* ». Item consimiles attestationes afferunt aliorum canonicorum sibi adiudicantium uti proprium certum Censum Massae castrensis.

Sed, ne haec divisio massae castrensis ex ipsa adversariorum confessione videatur tangere solummodo bona mobilia, referunt canonici facta comprobantia hanc divisionem etiam in immobilibus peractam fuisse. Hoc testatur, aiunt, supplex libellus ann. 1728, Episcopo Barnabei oblatus a can. theol. Palombella et a Ioan. Andrea Cosimelli, bonorum castrensium conductore.

Quia vero administratio massae castrensis adhuc est communis pro omnibus praebendis, canonici asserunt, hoc factum fuisse ob naturam horum bonorum, quae admodum distant a canonicorum residentia et subduntur servituti iuris pascendi, antea exerciti a Rev. Camera apostolica, postea a nobili familia Capranica. Ex quibus omnibus concludunt, fundamento destitui archidiaconi petitionem, supposito innixam, massam castrensem revera *pro indiviso* canonicos castrenses obtinere et participare.

At ulterius procedentes canonici, asserere non dubitant quod, *dato etiam, sed non concesso,* massa castrensis sit singulis praebendis vere communis, tamen si non summum ius, certe aequitatem postulare ut redituum divisio retineatur modo introducta. Hoc probare contendunt ex inconvenientibus necessario derivantibus, si divisio in pristinum restituatur.

Insuper advertunt: quid iuris de pensionibus, praebendis

ita a gubernio determinatis, a legitima potestate impositis? Non solum pensionati aegre vel nullimode ferent pensionis *pro rata* diminutionem, sed credendum est pensionem nunquam impositam fuisse, si praebenda iam redacta foret ad limites ab archidiacono invocatos.

Denique advertunt ab ipsa aequitate reductionem ab archidiacono efflagitatam repelli; cum archidiaconi praebenda, non obstantibus fisci surreptionibus, adhuc dives et sufficiens undequaque sit, e contra aliorum canonicorum iam miserae praebendae si, praeter fiscum, patiantur etiam archidiaconum eas resecantem, omnino evadent insufficientes, canonum et temporum habita ratione.

Post has aequitatis animadversiones canonici iterum iuris obtrudunt exigentias, adnotantes archidiaconi petitionem obsistere etiam Bullae fundationis, archidiaconatui decernenti non partem duplo maiorem, sed solummodo maiorem; huic enim tribuit 110 scuta, aliis 60. Qui mos certe, aiunt, usque ad annum 1693 custoditus fuit, uti patet ex verbis Episcopi Alexandri Fidelis.

Tandem canonici oppositores suas deductiones concludunt advertentes, ipsam Sanctam Sedem in Bullis conferendis et taxandis non recognoscere in archidiacono reditus praebendales, quos sibi adiudicat.

Iura Archidiaconi. Hisce canonicorum allegationibus iam respondit archidiaconus per libellum, typis evulgatum, in quo et directe urget rationes suae instantiae et adversariorum impugnat argumenta. Explicatis redituum capitularium modernis conditionibus, citat eam Bullae Innocentianae partem se referentem ad constitutionem praebendarum castrensium et praecipue notat ea Pontificis verba « *in unam Massam redigimus* ».

Bona vero castrensia appellari Massam ad excludendam praebendarum divisionem probat ex statutis capitularibus, factis ab Episcopo Barnabei an. 1729 et a capitulo universo approbatis, quae haec habent: « Septem ex praedictis canonicis inter quos archidiaconus et theologus *peculiarem habent Mas-*

sam eaque dicitur castrensis, quod ex bonis canonicatuum aliorumque beneficiorum castrensium sit conflata ».

Fatetur ignorari tempus et decretum quo aliis praebendis duplo maior evaserit archidiaconatus, sed asseverat huic iuri suffragari *immemorabilem* consuetudinem.

Ergo, inquit archidiaconus, vel haec recognoscenda legitima redituum divisio, usu immemorabili conservata, vel amplectenda et introducta ab usurpatore gubernio. Atque principibus laicis etsi piissimis, advertit, hoc prohiberi *ex cap. Quae in ecclesiarum, et ex cap. Ecclesia Sanctae Mariae, De Const.* ut Innocentius III decernit: « Laicis super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid motu proprio statutum fuerit quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existat ».

Contra canonicos asseverantes, verbum *Massa* in constitutione Innocentiana non opponi divisioni praebendarum, advertit actor, hanc interpretationem esse gratuitam, imo contrariam genuinae significationi verborum.

Instat idem actor, hanc interpretationem non confirmasse Episcopum Alexandrum Fideli in suo rescripto, numerando singulam praebendam canonicorum et eamdem taxam omnibus imponendo ad constituendas distributiones quotidianas; nam tunc Episcopus pro scopo habebat non definire originem et naturam praebendarum, sed solummodo omnes praebendatos indiscriminatim supponere taxae ad habendas quotidianas distributiones.

Praeterea actum capitularem ab adversariis allatum in quo ipsi canonici castrenses aequiparant Massam vel mensam castrensem reliquis aliis praebendis, inter se certissime distinctis, archidiaconus examinans concludit, hanc antiquiorum canonicorum affirmationem non iuvare modernos canonicos, quia illi non potuerunt habere ut *impropriam* Massam, quae ex iure constituto *proprie* Massa est, et si eam *improprie* Massam appellarunt *inscite* et *indocte* locuti sunt.

Circa facta ab adversariis prolata ad probandam distinctionem praebendarum « *ex divisione olim facta* » advertit, conclusionem canonicorum, ne latior sit praemissis, hanc esse debere, nempe aliquam divisionem bonorum castrensium habitam fuisse et hoc verum esse, sed non exinde fluere, *omnia prorsus bona castrensia* divisa esse ita, ut praeter distinctam praebendam non adsit etiam Massa communis.

Quoad secundam animadversionem oppositorum, innixam maxime aequitati, quae ipsis videtur exigere potius praesentem redituum divisionem, quam antiquiorem, reponit adversarius, sane non esse locum aequitati in iis quae pugnant cum iustitia, et in casu, cum ea distributione redituum non iure sed violentia facta.

Quia canonici etiam obiiciebant inconvenientia derivantia in successionibus praebendarum, si eis a capitulo tribuantur certi reditus, alii tribuantur a fisco, archidiaconus revocat ipsius gubernii expressam intentionem, scilicet se nolle internam ingredi capitulorum constitutionem, unde fiscus acceptabit et ratam habebit pro effectibus legis divisionem a capitularibus factam. Sed, instat, etsi fiscus nollet admittere, quid inde? Canonici tenentur servare iustitiam et constitutiones capitulares et facili et legitima compensatione inter se negotium componere valent.

Circa pensiones, quae praebendis iuxta novam divisionem impositae fuerunt, advertit, in hoc casu in primis servandam esse legitimam praebendarum constitutionem et dein suborientibus aliis quaestionibus etiam ad iuris tramites providebitur.

Denique deveniens actor ad ultimam contradictorum animadversionem, notat quod ad destruendum ius archidiaconi, non sufficit invocare Bullam Institutionis illius praebendae non tribuentem partem vere duplo maiorem, sed data immutatione ab immemorabili secuta, oportet existentiam huius consuetudinis immemorabilis impugnare et destruere vel non legitimam demonstrare. Verum ex pluribus documentis citatis archidiaconus probat, ipsos canonicos castren-

ses pluries et solemniter hanc consuetudinem fassos esse, imo confirmasse.

Per documenta ab actore allata sufficienter sane quaestio facti est declarata; ad quaestionem vero iuris explicandam maxime recensendae sunt Resolutiones S. C. C., emanatae in Theanen. *Adiudicationis reddituum, die 8 Iunii 1889,* nec non in Parmen. *Distributionum, die 26 Iunii 1886* et in Cuneen. *Adiudicationis reddituum, die 30 Maii 1891;* quas resolutiones archidiaconus apprime in suum favorem invocat (1).

In Theanensi adamussim casus nunc proposito identicus agitabatur. Nam redactis 26 canonicatibus, quibus coalescebat illud capitulum, ad 12, et insuper subiectis universis superstitibus bonis taxae *trigesimi pro centenis,* et dein, proventuum huius taxae partiali facta restitutione, non in debita proportione solutionis vi taxae secutae, sed habita ratione pauperioris praebendae, diminuendo potius Massam communem quam singulas praebendas, exorta est quaestio inter octo canonicos pauperiores approbantes et defendentes reddituum distributionem a fisco factam et alios quatuor eamdem divisionem improbantes, utpote subvertentem internam capituli constitutionem et inde iura legitime quaesita laedentem. Quaestio proposita est S. C. C. sub hisce dubiis: I. *An restitutio illius sortis, quam gubernium iampridem detraxerat ob tributum 30 %₀ cedere debeat in favorem omnium capitularium, an potius octo tantummodo, in casu.* II. *An fructus eiusdem sortis, ab anno 1873 ad annum 1886 cumulati, quos gubernium nuper restituit dividendi sint inter omnes, an potius inter octo tantummodo canonicos, in casu.* Haec S. Congregatio censuit respondere: Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Ad II. *Affirmative ad primam partem pro rata unicuique debita, negative ad secundam.* – In Parmensi in consimili casu S. C. Congreg. concessit canonicis conservare novam redituum

(1) Recole Vol. XXII, 237 *Theanen. adiudicationis reddituum;* Vol. XIX, 252, *Parmen. Distributionum;* Vol. XXIV, 150 *Adiudicationis reddituum.*

distributionem a fisco inductam tantummodo: « Pro gratia, iuxta preces, facto verbo cum SSmo. » In Cuneensi autem pro non dissimili casu, proposito hoc dubio: « An et quomodo summa a fisco assignata pro partiali redintegratione canonicatuum Ghisolfi et Della Chiesa sit dividenda inter praebendam eorumdem canonicatuum et communem distributionum Massam in casu. » Haec S. Congr. sub die 30 Maii 1891 censuit respondere: *Affirmative pro rata dammorum, tum praebendae, tum Massae et amplius.*

Hisce ab utraque parte adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An reditus Massae castrensis, provenientes ex conversione bonorum immobilium, dividendi sint eadem ratione qua reditus illorum bonorum dividebantur ante annum 1873; an iuxta assignationem factam a gubernio in computatione taxae trigesimi pro centenis in casu.

Resolutio. Sacra Congr. C. re disceptata sub die 20 Ianuarii 1894, censuit respondere: *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.*

UGENTINA

ADIUDICATIONIIS REDITUUM

Die 20 Ianuarii 1894.

Sess. 24, cap. 18 De reform.

Compendium facti. In Dioecesi ugentina in Ecclesia Collegiata oppidi *Alessano* ob mortem canonici curati secutam 1884, Ordinarius loci, ad praescriptum Canonum, interim curam animarum commisit Achilli Alforano, eiusdem collegiatae canonico. Quia canonicorum praebendae suppressioni, a gubernio italico factae, iam subiecerant, salva tantum remansit praebenda canonici curati, quae, ex quadam con-

ventione Capituli sub anno 1870, coalescit ex reditibus cuiusdam beneficii, tituli Michaelis Arcangeli, et quadam parte Massae capitularis. Proventus vero omnes computantur ad summam libellarum 593. — Habita huius Praebendae vacatione, statim Regius suboeconomus, de more, huiusmodi reditus sibi vindicavit tribuens oeconomo curato in congruam libellas 340. — At cum, detractis oneribus, nihil emolumenti superesset oeconomatui, ipse suboeconomus proposuit oeconomo curato, ut sibi assumeret administrationem praebendae canonici curati sub conditione satisfaciendi eiusdem oneribus, sibi postea tribuens quidquid supererat. Oeconomus, annuente Ordinario, hoc perfecit.

Verum canonici Ecclesiae Collegiatae videntes canonicum collegam frui administratione praebendae canonici curati, instare coeperunt ut redituum pars ipsis redderetur quam ex triplici titulo petierunt: 1. ob dispositionem Concordati anno 1818, initi inter S. Sedem et Neapolis regem, disponentis quod oeconomo curato ex reditibus beneficii curati tantum *duae quintae partes* in congruam cederent, reliquae capitulo obvenirent: 2. Ob naturam Massae capitularis, quae vacante aliquo beneficio, quasi iure non decrescendi, cedit aliis canonicis. Unde petebant omnes reditus Massae Capitularis unitos, uti diximus beneficio curato. 3. Tandem ratione distributionum, veluti in via subsidiaria, aliquos beneficii fructus repetebant canonici, ita ratiocinantes. Dato etiam, *sed non concesso*, quod oeconomus curatus non debeat reddere alios reditus, quomodo non debebit cedere illam portionem fructuum correspondentem distributionibus, quas lucrari non potuit ex praebenda canonici curati? nam ipse, cum idem sit canonicus ob aliam praebendam, praesens choro satisfaciebat suo muneri, sed eodem actu satisfacere non poterat etiam pro canonico curato. Ergo, concludunt canonici, saltem reddat non lucratas distributiones.

Hanc exortam litem tribus vicibus examinavit Vicarius generalis ugentinae Dioecesis et semper respondit, quamvis via extraiudiciali, in favorem oeconomi, qui negabat se aliquid

debere capitulo. Ex septem canonicis Collegiatae Ecclesiae tres a sua instantia destiterunt, alii quatuor perstiterunt; quam ad sedandam discordiam, anno 1888, die 12 Novembris, causa relata fuit ad hanc S. Congregationem a Vicario generali, quia tunc temporis ugentina Ecclesia viduata pastore regebatur ab Administratore apostolico.

In supplici libello Vicarius generalis animadvertebat, quod sane adinvenire non posset oeconomum curatum, qui contentus esset congruâ adeo diminutâ ob conditiones a Capitulo impositas.

Haec S. Congregatio censuit respondendum sub die 2 Decembris 1888 « *Pro nunc non esse locum provisioni* ». Anno 1891 sub die 12 Iulii beneficium curatum Collegiatae oppidi *Alessano*, suum habuit titularem, unde alii canonici oppositores, tempore oeconomiae beneficii curati iam transacto, putantes tempus provisionis advenisse, iterum instarunt ut ex-oeconomus saepius repetitos redditus beneficii curati aliis canonicis restitueret. Episcopus, cum iam a Vicario viderit semel atque iterum definitam quaestionem, ad hanc Sacram Congregationem controversiam remisit, per litteras diei 16 Dec. 1892 et per alias litteras 13 Ianuarii 1893 attestatus est, partes, nullas alias allegationes producendas habere, praeter iam oblatas.

Disceptatio Synoptica.

Iura Canonicorum. Isti ut aliquo modo fulciant petitionem 1. ex Concordato referunt eiusdem haec verba in parte 3. pag. 243: « Che l' assegno annuo all' economo di un canonicato curato debba essere di 2/5 parti della rendita del beneficio o prebenda di esso ». 2. Ad repetendam Massam Capitularem revocant decretum Concilii Tridentini eamdem constituens in favorem *actu intervenientium* recitationi divini officii in choro. Hinc deducunt, oeconomum curatum, ratione beneficii curati, Massae Capitularis aliquam partem sibi vindicare non potuisse, cum aliunde in choro adesse deberet pro sua praebenda canonicali. Secus, instant, haberetur absurdum,

quod ipse, non titularis beneficii curati, huius non portatis oneribus, conditionem haberet meliorem ipso titulari, qui omne onus curae et praesentiae in choro sentire debet; sed *qui sentit commodum et onus sentire debet.* Revocant quoque exemplum « administrationis dioecesanae » constitutae ob Concordatum 1818, quae assumens administrationem beneficiorum vacantium, integram dimittebat reliquis canonicis Massam Capitularem. Imo recolunt etiam quamdam sententiam latam a tribunali civili gubernii italici in causa agitata antea inter Demanium et Capitulum Firmanum, postea inter idem Demanium et Capitulum Calaritanum, qua in sententia habetur uti exploratissimi iuris principium hoc canonicum, nempe Massam Capitularem destinatam esse servitio chori distribuendam inter praesentes. 3. Proinde, aiunt, nullo iure, missis etiam aliis rationibus, oeconomum curatum posse eximi ab obligatione restituendi distributiones quotidianas.

Oeconomo autem curato, obiicienti conventionem, circa congruam, initam cum suboeconomo, approbante et confirmante non una vice Vicario generali, respondent quod suppressio gubernii italici est mera violentia, non estius et quod nunc beneficium canonici curati, cum versetur in libera administratione oeconomi curati, non debet considerari subesse conditionibus vel pactis appositis a suboeconomo, sed tantummodo iuri canonico *coram quo* integrae existunt Ecclesiae Collegiatae.

Decisiones vero Vicarii generalis quod spectat, primo observant, has esse omnino extraiudiciales; secundo, esse dolo et fraudibus surreptas ab eodem Vicario, id temporis aegrotante.

Iura Oeconomi Curati. Quoad rationes a Concordato anni 1818 deductas, animadvertit, conditiones beneficii curati *de facto* immutatas esse ita, ut ipse simplicem eiusdem habeat administrationem, de qua suboeconomo rigidam rationem reddere debet, iuxta leges modo vigentes, uti patet ex conventione diei 12 Iunii 1885.

Dein addit, sed utinam adessent fructus superflui red-

dendi Capitulo! Qui fructus tamen nullimode haberi possunt, cum, detractis oneribus et expensis beneficii curati, pro congrua oeconomi vix supersint libellae 237, uti testatur Vicarius generalis in relatione anni 1888, data S. C. Congregationi.

Ceterum si superflui fructus adfuissent, suboeconomus sibi retinuisset beneficii administrationem.

Directius oeconomus curatus respondet quaestioni Concordati 1818 innixae, observans beneficium curatum S. Michaelis Archangeli extitisse omnino separatum a Massa capitulari uti testatur actus constitutionis beneficii curati sub die 22 Aprilis 1870.

Si vero canonici aliquam partem Massae capitularis addiderunt praefato beneficio, aperte fassi sunt, advertit idem oeconomus, hanc quotam necessariam esse *ad congruam* pro munere parochiali, quid ergo repetunt canonici? et hac animadversione respondet canonicorum petitioni circa partem Massae capitularis, confirmans sibi tributos esse redditus vacantis beneficii curati in congruam pro munere oeconomi curati.

Faciliori negotio ex-oeconomus se expedit ab instantia Capituli, saltem *in via subsidiaria,* repetentis non lucratas distributiones; advertit enim absurdum esse loqui de amissis vel lucratis distributionibus ab aliquo qui non est titularis beneficii sed simplex administrator, non curatus canonicus sed oeconomus curatus seu Vicarius.

Denique contra canonicos idem vicarius, urget tres decisiones Vicarii generalis; quae sententiae, quamvis extraiudiciales, tamen non sunt minus validae ob decretorium silentium quod imponitur canonicis aliquid repetentibus a collega canonico oeconomo.

Tandem ex officio animadversum fuit, in his decretis nihil esse reprehendendum circa formam; neque ex eorum tenore; nec ullimode ex actis constat haec decreta fraudibus, dolo extorta fuisse. In iisdem non adsunt rationes decisionis quae tamen facile subaudiuntur. Nam agitur de assignanda

congrua oeconomo curato, quae constituitur in redditibus beneficii curati, habiti in administratione ab eodem oeconomo. Quocirca dispositio data est in obsequium Concilii Tridentini *sess. 24 cap. 18* statuentis: « Debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium *cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione* constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat donec ei de rectore provideatur ». S. Pius V in sua Constitutione *Ad exequenda*. Ordinarii arbitrium aliquibus circumscribere voluit limitibus decernens congruam nec minorem esse debere *annuis 50 scutatis*, nec excedere 100 scutata. Verum cum in praxi haec regula quamplurimis obnoxia esset controversiis et dubietatibus, Benedictus XIV in celebri Const. *Cum semper oblatas*, pressius adhaerens Concilii Tridentini vestigiis, determinare Vicariorum congruam, iuxta locorum et temporum adiuncta reliquit Episcoporum prudenti arbitrio, statuens, ut etiam iura Camerae Apostolicae cederent in favorem legitimae congruae constituendae. Haec S. Congregatio vero in Cosentina *diei 31 Iulii 1693* et in causa Burgi S. Sepulchri *diei 7 Septembris 1699* decrevit, congruam auctoritate vel consensu Ordinarii vicario adsignatam, ab eo, cui habitualis tantum cura animarum competit, diminui non posse.

Quibus praenotatis suppositum fuit diluendum

Dubium

An et quam partem reddituum ius habeant canonici repetendi ab oeconomo curato, in casu?

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 20 Ianuarii 1894 censuit respondere: *Negative et amplius.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

DUBIA super interpretatione decreti *Auctis admodum* (1).

Die 9 Februarii 1894.

Eminentissimus Cardinalis Richard, Archiepiscopus Parisiensis, sequentia dubia Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium proposuit solvenda (2).

In hac Archidioecesi in qua multae inveniuntur Congregationes Sacerdotum cum votis simplicibus, duo praecipua, super interpretatione Decreti « *Auctis* » diei 4 Novembris 1892, exorta sunt dubia: Primum quidem, utrum post hoc decretum, liceat his Congregationibus sine Indulto speciali alumnos suos promovere facere ad ordines, ut proprios subditos, eis nempe concedendo litteras dimissoriales ad instar Ordinarii Regularium; de quo dubio valde controvertitur.

Alii dicunt hoc licere praefatis Congregationibus propter haec duo: 1°. In praefato Decreto « *Auctis* » clare decernitur: ita ut horum Institutorum (votorum simplicium) Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus . . . nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quae, ultra triennium, perpetuam differunt professionem.

Ergo Superiores horum Institutorum poterunt litteras dimissoriales concedere et quidem sine Indulto (de quo ne minima

(1) Relatum fuit Vol. XXV, 312.

(2) Quum variae exortae sint circa Decretum *Auctis admodum* interpretationes, necnon circa quasdam eiusdem Decreti declarationes oretenus, ut asseritur, ab ipsa S. C. habitas, relate ad iura Institutorum religiosorum, ne dissensiones practicae animos exagitent eidem S. C. proposita fuere dubia.

Post Decretum *Auctis* et vi eiusdem - *a*) Instituta votorum simplicium non possunt, absque speciali Indulto, alumnis suis dimissoriales litteras ad ordines concedere - *b*) neque a fortiori hoc possunt Instituta, episcopali tantum approbatione munita - *c*) Instituta votorum simplicium nequeunt, sine speciali Indulto, alumnos suos promovere ad Ordinem sacrum titulo mensae communis vel alio.

Rm̃us Pater J. Simler, moderator generalis Societatis Mariae Parisiensis, duo dubia solvenda S. C. Episc. et Reg. proposuerat. Cum autem Em̃us Parisiensis Archiepiscopus de hac re pro informatione et voto fuisset consultus, tertium adiunxit Dubium: quibus omnibus S. C. Ep. et Reg. responsum dedit.

quidem mentio fit) illis alumnis, qui vota perpetua iam emiserint, vel qui per triennium etc.

2°. Per istud Decretum « *Auctis* » creatur in Institutis votorum simplicium, vinculum indissolubile inter Institutum et virum religiosum, ad instar vinculi quod in Ordine regulari existit inter Ordinem et Regularem professum, siquidem pro dimissione alumnorum, eaedem causae et solemnitates praescribuntur in Institutis votorum simplicium ac in Ordinibus regularibus, et consequenter, in utroque casu, religiosus est subditus solius Congregationis, privative ad quemlibet Episcopum.

Alii vero contendunt adhuc requiri Indultum speciale, ut hae Congregationes alumnos suos promovere faciant ut subditos proprios, concedendo nempe eis dimissoriales litteras propter sequentia: 1°. Ante Decretum « *Auctis* » certissimum erat quod Instituta votorum simplicium non poterant concedere dimissoriales litteras alumnis suis sine Indulto speciali; hoc enim privilegium concedendi litteras dimissoriales est exclusive proprium Ordinum regularium, uti constat ex plurimis documentis canonicis, in quibus privilegium illud exponitur et explicatur; unde etiam Instituta supradicta enixe curabant, ut postularent et obtinerent a Sancta Sede Indultum speciale alumnis suis dimissoriales litteras ad ordines concedendi; quod revera Indultum pluribus huiusmodi Institutis concessum est modo absolute, modo cum restrictione sive quoad tempus, sive quoad numerum casuum, sive quoad utrumque. Porro non facile admittendum est quod S. Congregatio Episcoporum et Regularium per decretum « *Auctis* » tantam subito et tacite mutationem introduxerit in hac materia, et Instituta votorum simplicium evexerit ad statum Ordinum regularium, ea habilitando ad habendos proprios subditos, quibus litteras dimissoriales ad ordines libere et absolute concedere valeant; eo vel magis, quod hoc novum privilegium continet derogationem tum iuri communi, nempe Bullae « *Speculatores* » tum iuribus Episcoporum propriorum, qui sic privantur subditis suis; non solent autem Sacrae Congregationes tantam inducere derogationem iuri communi, praesertim tacite et nulla facta mentione iurium, quibus derogatur. 2°. Decretum « *Auctis* » non distinguit inter haec Instituta votorum simplicium, ut patet ex eius tenore: et si prior interpretatio admitteretur, dicendum esset omnia haec Instituta potiri iure proprio concedendi dimissorias alumnis suis, id est tum Instituta a S. Sede

iam approbata, tum illa quae sunt tantum a S. Sede laudata, imo forsan ea quae ab Episcopis tantum approbationem acceperunt. Porro nemo non videt quam insolitum et enorme sit, Instituta, episcopali tantum auctoritate erecta et munita, habere relative ad ordinationem, subditos proprios, quos libere, ad omnes ordines promovere faciant, praetermissa Constitutione « *Speculatores* » et neglectis iuribus Episcoporum propriorum. Unde iuxta patronos huius secundae interpretationis, sensus verborum decreti « *Auctis* » supracitatorum a patronis alterius sententiae est hic: « Ita ut horum Institutorum Superiores, qui obtinuerunt a S. Sede Indultum speciale concedendi dimissoriales litteras subditis suis, non possint in posterum has dimissoriales concedere nisi alumnis votorum perpetuorum pro sacris Ordinibus etc. », qui sensus illis videtur maxime genuinus et obvius.

Secundum dubium affine est praecedenti: Utrum post Decretum « *Auctis* » Instituta votorum simplicium libere possint, sine Indulto speciali, ad ordines alumnos suos promovere titulo mensae communis aut alio simili. De hoc dubio, sicut et de priori valde in hac Archidioecesi controvertitur.

Alii, iidem nempe qui ius asserunt his Institutis concedendi sine speciali Indulto dimissorias alumnis suis, contendunt praefata Instituta non amplius egere Indulto speciali, ut alumnos suos promovere faciant ad ordinem Sacrum titulo mensae communis propter duo. 1° Decretum « *Auctis* » sic habet: « Ita ut horum Institutorum superiores non possint in posterum . . . ad sacros ordines alumnos promovere titulo mensae communis vel missionis, nisi hos tantum alumnos qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint . . . vel qui saltem » etc. Ergo Superiores horum Institutorum, alumnos suos vota perpetua professos, libere poterunt ad ordines promovere titulo mensae communis, sine Indulto speciali, de quo ne minima quidem fit mentio; 2°. Quemadmodum in Ordinibus regularibus vinculum indissolubile inter Ordinem et regularem professum assecuret huic professo suam congruam sustentationem in perpetuum et sic parit titulum paupertatis; sic et nunc in Institutis votorum simplicium, vinculum indissolubile quod creatur (vi Decreti « *Auctis* ») inter Institutum et alumnum assecurat huic alumno suam congruam sustentationem in perpetuum, et sic parare debet titulum mensae communis, quin requiratur Indultum speciale, quod nunc esset

prorsus inutile. Alii vero tenent adhuc requiri Indultum speciale ad hoc ut clericus, in Congregatione votorum simplicium vivens, promoveri possit ad ordinem sacrum titulo mensae communis. Hae sunt rationes: 1°. Titulus mensae communis est ordinarius et contrarius communi, ideoque requirit Indultum speciale, uti constat ex multis documentis canonicis, v. g. ex Instructione S. Congregationis de Propag. Fide de titulo ordinationis diei 27 Aprilis 1871, in qua S. haec Congreg. id diserte et formaliter docet. 2°. In Bulla Apostolicae Sedis de Superioribus, § 4, aperte traditur, suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit, absque titulo beneficii vel patrimonii, clerico in aliqua Congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo. Porro omnino incredibile est quod S. Congregatio Episc. et Regul. per Decretum « *Auctis* » derogaverit huic Bullae Pontificiae, idque tacite et nulla de ea facta mentione. 3°. Mirantur patroni huius sententiae hanc suam interpretationem in dubium ab aliquibus vocari, quum hoc ipsissimum decretum « *Auctis* » quo solo nititur altera sententia, expresse firmam retinet *(Firmis Remanentibus)* Constitutionem S. Pii V *Romanus Pontifex* diei 14 Octob. 1568 in qua ex professo hic Pontifex Decretum S. Concilii Tridentini *sess. 21 de Ref.* de necessitate tituli, beneficii vel patrimonii extendit ad omnes clericos in Congregationibus votorum simplicium viventes, et sic expresse prohibet ne hi clerici alio titulo ordinentur: e qua Constitutione desumptus est articulus supra citatus Bullae « Apostolicae Sedis ».

His ergo ex utraque parte libratis, Eminentissimus Orator proponit Eminentissimis Patribus haec dubia dirimenda:

1°. *Utrum nunc post Decretum « Auctis » Instituta votorum simplicium libere possint, sine Indulto speciali, alumnis suis dimissoriales litteras ad ordines concedere.*

2°. *Quatenus affirmative, utrum haec decisio restringenda sit ad Instituta votorum simplicium a S. Sede approbata, vel applicanda etiam ad Instituta votorum simplicium sola episcopali auctoritate et approbatione munita.*

3°. *Utrum nunc post Decretum « Auctis » Instituta votorum simplicium libere possint, sine Indulto speciali, alumnos suos promovere ad ordinem sacrum titulo mensae communis vel alio simili.*

In Congr. 9 Februarii 1894 S. C. mature perpensis omnibus propositis dubiis, censuit rescribendum prout rescripisit:

Ad 1°. *Negative.*

Ad 2°. *Provisum in primo.*

Ad 3°. *Negative.*

Datum Romae ex Secretaria S. C. Episc. et Reg. die 12 Februarii 1894.

I. Card. VERGA *Praef.*

A. TROMBETTA *Pro-Secret.*

PERUSINA

DISTRIBUTIONIS CONGRUARUM PAROCHIALIUM

Die 23 Februarii 1894.

COMPENDIUM FACTI. Ad quaestionis intelligentiam praemitti oportet quod in synodo dioecesana Perusina nonnullae regulae statutae sunt circa distributionem annuorum redituum beneficiorum parochialium tempore vacationis, inter beneficiatum antecessorem vel eius haeredes et beneficiatum successorem, idque ad lites praecavendas. Hoc praemisso, an. 1871 Rñus. D. Antonius Briganti parochus plebanus loci Torgiano in dicta dioecesi promotus ad Sedem Episcopalem Urbevetanam, in paroecia habuit successorem Rñum D. Ioseph Boccali iam defunctum an. 1891.

Huius nepos et haeres Augustus Boccali an. 1892 recursum obtulit S. Congregationi edisserens sibi ceu haeredi deberi a Rño Episcopo Briganti libellas 577,55 in vim liquidationis congruarum dictae paroeciae, quas defunctus Boccali inutili labore repetierat, sive per literas sive per interpositas personas non excluso fratre germano Episcopi, sacerdote Angelo Briganti, et ut ut notula liquidationis in praedicta summa transmissa fuisset ab ipso Cancellario Curiae Perusinae ad Episcopum Briganti. Hic vero ex praefato ti-

tulo nihil debere arguebat, sive ex silentio continuo fere 20 an. creditoris Iosephi Boccali, sive ex melioramentis et augmento reditus peractis in paroecia, quando promotus ad Sedem Urbevetanam eam reliquit.

De mandato SSmi recursus huiusmodi ablegatus fuit *pro informatione et voto, auditis interesse habentibus*, ad Archiepiscopum Perusinum, qui die 8 Augusti superioris anni una cum dispositionibus synodalibus ad rem facientibus transmisit deductiones ex utraque parte, quibus aliae deductiones accessere ex parte Episcopi Briganti die 1 octobris d. anni; quaestionis resolutio pariter ex mandato SSmi remissa est plenario EE. PP. conventui praefatae Congregationis.

Disceptatio Synoptica

Favore Episcopi. Praesul Briganti secutam liquidationem congruarum evincere sategit duabus attestationibus nempe Danielis Lucarelli locatarii bonorum paroeciae Torgiani, tempore quo ipse eam reliquit et sacerdotis Petri Cocchi qui sibi successit ceu Oeconomus; hi enim concorditer dicunt, ipsum congruas in frumento, vino et oleo apud horrea paroeciae tradidisse: hos testes plenam fidem mereri ex eo liquet, iuxta Praesulem, quod deponant *ex certa scientia de visu et auditu*.

Quoad epistolam vero a se scriptam 30 Iulii 1873 Iosepho Boccali, in qua asseritur se congruas fuisse soluturum, quoties ad eas pendendas a Curia Perusina fuisset damnatus, Episcopus observat quod, iuxta synodum, casu quo bona paroeciae tempore vacationis adsint locationi subiecta, successor parochus habet ius ad trinam congruarum speciem. 1ª. Super bonis et reditibus paroeciae; 2ª. super decimas seu quadragesimas praediales; 3ª. autem species consistit in compensatione aliqua, favore parochi successoris, ex eo quod ipse inveniat bona paroecialia locata.

Iam vero pergit Episcopus primis duabus speciebus congruarum se satisfecisse, superius allata testimonia cathegorice

affirmant: hinc epistola refertur ad tertiam congruarum speciem, ad quam solvendam non teneri Praesul mordicus defendit.

1°. Quia ipse nihil congruarum habuit a suo antecessore, Oeconomi vices gerente Petro Cocchi, unde de proprio variis mensibus suae substentationi consulere debuit. 2°. Quia congruae a se relictae in ea erant quantitate, ut sufficerent pro honesta substentatione successoris, hinc exulabat ratio synodalis dispositionis ne successori deesset unde viveret. 3°. Quia ipse notabiliter auxit reditum paroeciae allatis extraordinariis melioramentis.

Demum animadvertit Episcopus, se Plebano Boccali reliquisse hortum cum adnexis sibi iure proprietatis spectantem, ut ex horum reditu lampas continuo collucesceret ante altare Virginis Immaculatae et missa *in die* celebraretur. Reditus dictae proprietatis censeri fere potest in annuis libellis 100; dum pro implemento praefatae obligationis exigebantur ad summum lib. 50. Residuas libellas annuatim percepit Plebanus Boccali: harum summam complexivam si repeteret Episcopus, ut iure posset, haec multum exsuperaret summam ab haerede Boccali petitam: quare concludit recursum Boccali esse respuendum.

Favore haeredis Boccali. Ex alia parte haeres Boccali, praenotato quod variationes et contradictiones adversarii modo negantis, et modo parati ad solutionem congruarum statuunt vehemens indicium, ipsum reapse teneri ad ipsarum solutionem, sic progreditur ad suum ius evincendum. In suis literis ad Plebanum Boccali sub die 30 Iulii 1873 Episcopus Briganti aperte et iterato fatetur quod reliquit congruas Torgiani, sicuti non reliquerat proficiscens a paroecia Montenero, quia ipse rebatur se ad id non esse obligatum. Post hanc debitoris candidam confessionem, quo pretio habendae sint attestationes ab adversario allatae, subdit Boccali, unusquisque facile percipit. Sed singillatim eas expendens Boccali primo reiicit testimonium locatarii Lucarelli, uti suspectum, quia agentis Episcopi Briganti et cum

hoc etiam necessitudine ligati; quod firmat etiam ex eo quod anno 1873 quando Plebanus Boccali repetiit congruas, istius testimonium non fuit invocatum. Pariter respuendum dicit testimonium Cappellani Cocchi: hic enim deponit aliquid se accepisse ab Episcopo Briganti pro duobus mensibus cum dimidio in quibus oeconomi munus gessit, sed servat silentium circa congruas Plebano Boccali persolutas. Ex his aliisque haeres Boccali arguit Episcopum Briganti cogi oportere ad satisfaciendum suo debito.

Ex OFFICIO haec adnotabantur: 1°. Ius successoris ad congruas a suo Antecessore consequendas, iuxta Synodi praescriptum Perusinae, sicuti trinam harum speciem ab Episcopo Briganti adductam extra controversiam esse. 2°. Pro certo teneri posse hunc satisfecisse solutioni congruarum primae speciei, quia cum bona paroeciae locata manerent tempore ipsius vacationis, locationis responsiones devolvebantur ad Oeconomum Regium: quoad vero secundam speciem seu decimas, licet Cappellanus Cocchi dicat se necessaria accepisse in frumento, vino et oleo ad sui manutentionem pro duobus mensibus cum dimidio, tamen ipse silet circa quantitatem acceptam et restitutam. 3°. In Synodo Perusina nihil decerni circa rationem prolatam ab Episcopo Briganti pro sui exoneratione a solutione tertiae speciei congruarum, sicuti pariter in actis documenta desiderantur, quibus comprobetur conventio quoad fruitionem horti et adnexorum cum impositione onerum uti supra, secuta inter Episcopum Briganti et Plebanum Boccali.

Quibus compendiatim relatis, propositae fuerunt rogandi formulae

An et quomodo Episcopus teneatur ad distributionem congruarum paroecialium in casu?

RESOLUTIO. S. Congr. Episcop. et Regul. omnibus mature pensatis sub die 24 Febr. 1894 sequens dedit responsum:

Affirmative, in summa liquidanda de bono et aequo ab Archiepiscopo.

S. DEODATI

DECRETI

Die 9 Martii 1894.

Compendium facti. Exemplum secutus Episcopi Pictaviensis, Ordinem Canonicorum Regularium Lateranensium, iampridem in Gallia eversum ob politicas vicissitudines Episcopus S. Deodati in suam dioecesim arcessens, ei concredidit paroecialem ecclesiam S. Apri in Mattaincourt, ubi exuviae B. Petri Fourier, Ordinis Reformatoris et Lotharingiae Apostoli venerantur. Ut autem omnia recte procederent inter laudatum Praesulem et Ordinis Abbatem generalem an. 1878 conventio inita fuit, confirmata a Congregatione Episcop. et Regul. decreto diei 14 Decembris eiusdem anni.

Huius conventionis vi, nova domus et paroecia S. Apri Abbatiae titulo Canonicorum Regularium decorabatur: religiosi habebant onus paroeciae, procurationem peregrinorum affluentium ad sepulchrum B. Petri, et usum aedium paroecialium cum adnexis, ceu obtinuerant hactenus parochi. Parocho autem Hadol, uti seni et emerito, titulus et emolumenta servata sunt dum spiritualis paroeciae administratio tota apud Ordinem pertransiit.

Defuncto hoc parocho, post famosa decreta contra Congregationes religiosas in Gallia an. 1880, Episcopus verens ne parochus regularis a Gubernio non approbaretur, de Ordinis assensu proposuit pro ea vice tantum, ut, salvis iuribus Ordinis, Gubernio praesentaretur ceu parochus sacerdos saecularis, dum in foro ecclesiastico verus parochus maneret persona religiosa ab Ordine deputanda et alter ceu simplex Vicarius haberetur.

Hoc tamen temperamentum in actu tristes habuit effectus ob partam divisionem animorum in paroecianis. Novus interea successit Episcopus, qui ad exortas difficultates summovendas postulavit ab Ordine, ut sibi fas esset in posterum ad memoratam paroeciam presbyterum saecularem cum omnibus iu-

ribus et titulo parochi nominare, reservata religiosis tantum domo *l'Aumonerie* seu directione spirituali Monasterii Congregationis Nostrae Dominae. Quam propositionem, sicuti aliam quatuor articulis distinctam, utpote acquisitorum iurium ambas laesivas, Ordo omnino reiecit.

Interim inopinato accidit ut ecclesia paroecialis S. Apri in Mattaincourt ex Syndici localis, gallice *Maire*, iussu clausa manserit, de quo etiam interpellatio publice mota fuit in aula Gallici Senatus. Tunc Episcopus ex enarratis incommodis occasionem arripiens prius deputavit administratorem, et dein decreto diei 18 Iunii 1891 nominavit parochum sacerdotem Marchal, tali ratione cogens Ordinem ad paroeciae administrationem dimittendam.

Contra hoc decretum illico Superior Ordinis apud S. Congregationem, conquestus est, petens ipsius revocationem: super huiusmodi recursu audito Episcopo et habitis partium allegationibus, causae decisio remissa est supremo EE. PP. iudicio; inutili negotio tentata prius amica compositione inter Ordinem et Episcopum Sonnois et eius deinde successorem Faucautt.

Disceptatio Synoptica.

Quae pro Episcopo prostant. Episcopus, ut suum decretum sustineat, contendit supra memoratam conventionem nullius roboris esse sive ea iuridice spectetur, sive in circumstantiis facti. Non valet quoad primum quia clandestine confecta fuit et contra praescripta legum: siquidem neque auditum fuit super ea Capitulum Cathedralis Ecclesiae, ceu probat Episcopus attestatione ipsius Capituli, non auditi sunt interesse habentes uti erant Municipium de Mattaincourt, cui proprietas ecclesiae et aedium paroecialium spectant, et consilium fabricae, cui etiam rerum usus pertinet iuxta gallicas leges ceu resultare dicit ex productis documentis. Quin dicatur hunc defectum sanatum fuisse a decreto S. Congregationis, reponit enim Episcopus hoc admitti non posse, cum S. Congregatio hos defectus penitus ignoraverit.

At quoad secundum, pergit Episcopus, dato et non con-

cesso quod conventio ab initio valida fuisset, tamen in praesens ea dici omnino deberet resoluta: siquidem in articulo tertio ipsius conventionis cavetur de casu *vis maioris* tamquam de conditione resolutiva, et in facto tales adsunt circumstantiae quae positionem Canonicorum Regularium Lateranensium in paroecia de Mattaincourt efficiunt *iuridice* et *moraliter* impossibilem: *iuridice* quia eorum positio adversatur legi gallicae diei 8 Aprilis 1802 et decreto diei 30 Dec. 1809, quae interdicunt nominationem sacerdotis regularis in paroeciis; *moraliter* quia post ultimos eventus cum publicae auctoritates Regularibus adversentur, non excluso ipso Gubernio, et animi paroecianorum sint exasperati, profecto intelligi non posset redintegratio Regularium in administrationem paroeciae. Iis aliisque deductis, concludit Episcopus, decretum in sua validitate consistere et sacerdotem Marchal in paroeciae possessione, durantibus expositis circumstantiis, esse manutenendum.

Quae Episcopo adversantur. Ex alia parte vero animadvertebatur, quod obiecta ab Episcopo circa valorem conventionis non consistebant fundamento. Sane admisso etiam quod ipsa destituta sit nonnullis formis iuridicis, tamen hunc defectum a Decreto S. Congregationis sanatum fuisse ambigi non potest; quia hoc decretum emissum fuit ex *certa scientia* ceu patet ex rescripto S. Congregationis 1 Iunii 1878 ante approbationem dictae conventionis: *Haud pro nunc expedire, donec omnia in promptu habeantur quae de iure requiruntur,* et ex altero 2 Septembris, eiusdem anni, in quo Episcopus iubetur audire Capitulum Cathedralis et hoc reapse auditum fuisse retulit ipse Episcopus S. Congregationi literis diei 17 eiusdem mensis.

Quoad vero defectum interpellationis Municipii de Mattaincourt et Consilii fabricae paroecialis, quorum primo nuda proprietas et secundo usus immobilium religiosis cessorum iuxta leges civiles Galliae spectant, utrum id constitueret defectum iuridicae solemnitatis iuxta SS. Canones, subdebatur hoc pendere a iudicio S. Congregationis.

Eodem pariter calculo habenda erant ea quae Episcopus desumebat ex casu *vis maioris* praeviso in articulo III conventionis ad suum decretum sustinendum. Perpendebatur enim quod adductae leges inhibentes paroeciam tradi sacerdoti regulari, existebant etiam tempore initae conventionis, proindeque si tunc non fuerunt obex quominus ea iniretur, et Regularium positio *legalis* haberetur, neque nunc efficere retinendum est.

Tandem ad ea quae oggerit Episcopus, tum circa adversionem paroecianorum, tum circa oppositionem ex parte civilium auctoritatum et Gubernii, occurrit Superior Generalis Ordinis respondendo, quod praetensa oppositio reapse non existit, et si expulsio Religiosorum a paroecia locum habuit, ea omnino repeti debet a Curia Episcopali quae ad hunc effectum consequendum usa est opera Syndici Mattaincourt et ipso Gubernio Reipublicae ceu dicit scatere a documento episcopali lecto a Ministro Constans in aula Senatus Gallici.

His compendiose relatis propositum fuit

Dubium

An decretum episcopale diei 18 Iunii 1891 sustineatur in casu.

Resolutio. S. Congregatio Episcop. et Regul. re ad trutinam vocata, sub die 9 Martii 1894 rescribendum duxit: *Negative.*

CONGREGATIONIS BARNABITARUM

LEGATORUM PIORUM

Die 9 Martii 1894.

Compendium facti. Procurator Generalis Congregationis Barnabitarum p. elapso Decembri retulit, quod nuper defuncto ex improviso religioso, qui ceu parochus regebat ecclesiam cuiusdam Collegii suae Communitatis, capita variorum lega-

torum et missarum, ab ipso administrata, deperdita sunt seu non inventa. Hinc rogabat declarari, Communitatem non amplius adstringi ad haec onera; vel sin minus in viam gratiae eam exonerari ab ipsorum implemento, quoadusque legatorum sors partialiter vel in totum restituta foret.

Disceptatio Synoptica.

Quae favent petitioni Procuratoris. Sane, observabat Procurator, usque ab anno 1877 in Capitulo Generali lex sancita fuit, ab aliis in posterum Capitulis Generalibus firmata, quod legata pia vel onera missarum perpetua a Comunitate non acceptarentur, nisi *praemonitis oblatoribus de cessatione oneris, quoties tituli fructiferi, citra depositarii culpam depereant.* Iam vero novem legata in themate (quorum Procurator S. Congregationi exhibuit notulam) post dictum an. acceptata sunt et si forte ex culpa parochi sors ipsorum in pessum ivit, certe communitas culpae exsors est.

Insuper horum legatorum nonnulla conditionem de cessatione oneris in casu amissae sortis expressam habebant ut illa sub n. 3 et 4 dictae notulae, alia vel acceptata sunt a parocho inscio Ordine, vel non supposita approbationi Capituli Generalis, ut sunt illa sub n. 1 et 2, alia demum sunt incerta quoad numerum missarum celebrandarum. Proinde concludebat Procurator onus dictorum legatorum cessasse. Quoad vero exonerationem in viam gratiae, recolebat Procurator quod cum per deperditam sortem legatorum collegium amiserit plus quam 800 libellas annui reditus, ipsum impar omnino evasit ad memorata onera satisfacienda.

His non obstantibus in conventu generali ad proposita

Dubia

I. *An Communitas Barnabitarum adhuc obstricta maneat ad onerum satisfactionem in casu?*

Et quatenus affirmative.

II. *An eidem expetita gratia concedenda sit in casu?*

Resolutio. S. Congregatio Episcop. et Regul. sub die 9 Martii 1894 causa cognita, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative; et Pater Praepositus Generalis curet, ut intra annum piorum legatorum capsa redintegretur, facta interdum missarum reductione ad tertiam partem, firmis remanentibus ceteris oneribus.*

Ex his colliges: I. Quod cum quaelibet donatio vel oblatio ad pia onera vel legata, in perpetuum statuenda, facta religiosis, censeatur facta Communitati seu Ordini, de his Communitas, et non Regulares in individuo respondere debent.

II. Ideo rationes adductas a Procuratore S. Congregatio nullo in pretio habuit, quia Communitati Barnabitarum onus incumbebat praefatam sortem apud se custodiendi et non eam relinquendi in manu defuncti parochi religiosi.

III. Iure merito proinde P. Praeposito Generali imposita fuit obligatio redintegrandi amissam sortem, ex culpa enim seu potius negligentia Communitatis omissio contigerat.

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM

TOLETANA seu CORDUBEN. Decretum beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei Ioannis De Avila presbyteri saecularis, magistri nuncupati.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et trium miraculorum approbatione, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilis Servi Dei Beatificationem?

Venerabilis Dei famulus Ioannes De Avila in Dioecesi Cluniensi, exeunte saeculo XV natus, spiritu sapientiae et intellectus a Deo impletus, laudem illam promeruit, quam sacrae Litterae iis tribuunt, qui viam sapientiae in corde suo excogitant, et in

absconditis suis intelligentes, quasi investigatores post illam vadunt (Eccli. XIV, 23). Ipse namque luculenter enituit tum iis virtutibus, quae propriae sunt sapientis, tum etiam praedicatione divini verbi, animarum moderatione, scriptis quoque libris et vitae exemplis: quibus praesidiis sapientiae thesauros divinitus orando haustos in Dei gloriam et proximorum utilitates mirum in modum effudit. Hinc stola decoris eum Dominus tam splendida induit, ut ipsum tamquam voluntatis divinae oraculum Hispania fere universa demirata sit, eoque magistro in christiana perfectione sectanda nonnulli etiam usi fuerint, quos nunc Ecclesia Sanctos inter caelites veneratur.

Sanctimoniae fama, qua clarus anno MDLXIX. Montiliae obiit septuagesimum annum agens, insigniter crebuit ob prodigia quae eius intercessione a Deo patrata ferebantur, ita ut ipsius Beatificationis et Canonizationis Causa apud Sacrorum Rituum Congregationem pertractari coeperit; de heroicis autem eius virtutibus fel. rec. Clemens Papa XIII. Decretum edidit VI. idus februarias anno MDCCLIX: de tribus vero eius ope a Deo effectis miraculis Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII pridie idus Novembris superioris anni rite constare declaravit.

Quapropter nihil aliud superesse videbatur nisi ut de dubio ageretur an Ven. Ioanni publici cultus honores tuto decerni possent. Hoc autem dubium a cl. me. Rmo Cardinali Aloisio Serafini, Episcopo Sabinen., Causae Ponente, IV. calendas decembres eiusdem anni propositum est in generalibus Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, ad Vaticanas aedes habitis coram eodem Sanctissimo Domino Nostro: ac Rmi Cardinales et Patres Consultores singuli suffragium dederunt. Attamen Beatissimo Patri placuit apostolicam sententiam suam in aliud tempus differre, omnesque admonuit, Dei auxilium esse humiliter implorandum.

Ipse itaque hac die, Dominica prima Quadragesimae, Sacro peracto, in hac Vaticani aula pontificio solio assidens, ad se accito Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et novo causae Ponente, necnon R. P. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario decrevit: « *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Servi Dei Ioannis De Avila Beatificationem* ».

Atque hoc Decretum evulgari, et in Acta Congregationis Sacrorum Rituum referri, litterasque Apostolicas in forma Brevis

de Beatificatione quandocumque celebranda expediri mandavit III. idus februarias, anno MDCCCXCIV.

† CAI. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. *Secretarius.*

HISPALEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Fr. Didaci Iosephi a Gadibus, sacerdotis professi ordinis minorum s. Francisci Cappuccinorum.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Quantae sit veritatis et virtutis illa Christi Domini promissio: *Qui sequitur me, habebit lumen vitae,* saeculo elapso praeclare in se ostendit Ven. Didacus Iosephus a Gadibus. Huiusce namque divini luminis splendor, qui homines ad studium verae sapientiae illuminat, eosque ad magna, sublimia, perardua erigit, in ipso mirifice fulsit. In quo nimirum nobilius patuit ea praestantissimorum operum, communi etiam societatis bono maxime utilium, fecunditas, quam ipsi religionis hostes tamquam Ecclesiae catholicae singularem laudem vel inviti admirantur. Divinitus enimvero illustratus, semetipsum omnino abnegans et mundana contemnens, nihil magis cordi habuit quam quae Iesu Christi sunt quaerere, praesertim incensa in Deum et proximos caritate. Id autem mirabiliter praestitit in Hispania, quam fere universam peragravit, verbum Dei exemplo et sermone praedicans usque ad obitum, qui contigit anno MDCCCI, aetatis suae quinquagesimo octavo. Quo in ministerio omnium oculos et admirationem propter eximias virtutes studiumque insigne lucrandi Deo animas, ita in se convertit, ut veluti alter Paulus passim aestimaretur.

Cum vero sanctimoniae fama in dies augeretur ob caelestia quoque prodigia, quibus Deus eam confirmasse ferebatur, eius Beatificationis et Canonizationis Causa apud Sacrorum Rituum Congregationem agitari coepta est, ac Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII Ven. Didacum heroicis emicuisse virtu-

tibus IV idus februarias anno MDCCCLXXXIV solemni Decreto sancivit.

De duobus postea miraculis, quae ipso interveniente a Deo effecta affirmabantur, triplici disceptatione actum est. Prima apud Cardinalem Raphaelem Monaco La Valletta, Episcopum Ostien. et Velitern., Causae Ponentem, in antepraeparatorio coetu IV calendas ianuarias anno MDCCCLXXXXII; altera in Vaticanis Aedibus XIII calendas ianuarias anno MDCCCLXXXXIII; tertia coram eodem Sanctissimo Domino Nostro in iisdem Vaticanis Aedibus XII calendas apriles eiusdem anni, ubi Rmi Cardinales et Patres Consultores huius Sacrae Congregationis singuli suffragium protulere suum. Sanctitas vero Sua in re tam gravi iudicium proferre distulit, omnesque admonuit, Dei auxilium et lumen humiliter esse implorandum.

Hodierna vero die Dominica in Albis, incruento sacrificio peracto, atque in hac Vaticani aula pontificio solio assidens, ad se arcessito Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, loco etiam et vice eiusdem Cardinalis Raphaelis Monaco la Valletta, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus decrevit: *Constare de duobus propositis miraculis,* scilicet de primo « *Prodigiosae sanguinis emanationis ex aridis Ven. Servi Dei ossibus* », et de altero « *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Adelaidis Quiroz Herrera, a phthisi pulmonali, letalibus stipata symptomatibus* » ; *simulque, attentis Decreto per ipsam Sanctitatem Suam edito de approbatione virtutum ac ceteris omnibus in Causa iam rite actis, Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Beatificationem.*

Atque hoc decretum publici iuris fieri, et in Acta Congregationis Sacrorum Rituum referri, litterasque Apostolicas in forma Brevis de solemnibus Beatificationis quandocumque celebrandis expediri mandavit calendis Aprilis anno MDCCCXCIV.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secretarius.*

FIRMANA. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei P. Antonii Grassi presbyteri e Congregatione Oratorii s. Philippi Nerii in civitate firmana.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilis Servi Dei Beatificationem?

Egregiis Christi asseclis, qui Deo ad perfectiora vocanti summa alacritate animi et operae respondentes, totos ad ea quae ipsius sunt et animarum salutis sese devoverunt, Ven. Antonium Grassi e Congregatione Oratorii Presbyterum adnumerandum esse, octoginta vitae anni, quos in sanctitate duxit, apprime convincunt. Ipse enim maxima divinarum rerum cupiditate, omnigenarum virtutum cultu, praesertim vero flagranti erga peccatores et egenos caritate se omnino praebuit insignem Philippi Patris imitatorem, cuius pariter labores uberrimis sanctitatis et honoris fructibus Deus complevit.

Post ipsius pretiosum obitum, qui contigit anno MDCLXXI., sanctimoniae laus qua clarus vixerat, latius in dies pervulgata est ob prodigia, quae ad eius nominis invocationem a Deo patrata ferebantur; ideoque de eius Beatificationis et Canonizationis Causa apud Sacrorum Rituum Congregationem agi coepit. Probationibus igitur iuridice sumptis riteque expensis, fel. rec. Clemens Papa XIV. calendis Aprilis MDCCLXX. Ven. Antonium heroicis praefulsisse virtutibus decrevit: ac Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. de duobus miraculis eius intercessione a Deo effectis pridie idus novembres superioris anni constare sancivit.

Illud porro supererat, ut de altarium honoribus eidem Ven. Antonio tuto decernendis dubium discuteretur: quod cum propositum esset a Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, loco et vice Rmi Cardinalis Angeli Bianchi, Episcopi Praenestini, Causae Ponentis, in plenario ipsius Congregationis Coetu ad Vaticanas Aedes coram eodem Sanctissimo Domino Nostro IV. calendas decembres eiusdem anni, Rmi Cardinales et Patres Consultores singuli responsum protulerunt. Attamen Beatissimus Pater in tam gravi negotio sententiam suam proferre distulit, simul ratus divini luminis ampliorem opem esse implorandam.

Ipse autem hac die, Dominica prima Quadragesimae, pacis Hostia oblata, in hac Vaticani aula pontificio solio assidens, ad se arcessiri iussit praefatos Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella, et Angelum Bianchi, una cum R. P. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus decrevit: « *Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Servi Dei Antonii Grassi Beatificationem.* »

Hoc vero Decretum in vulgus edi, atque in Acta Congregationis Sacrorum Rituum referri, necnon litteras Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri mandavit III. idus februarias, anno MDCCCXCIV.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

MONTIS PESSULAN. Dubium quoad commemorationem Patroni.

Rmus Dñus Franciscus Maria Rovérie de Cabrières, hodiernus Episcopus Montis Pessulan. Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium quoad commemorationem Patroni pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: *An Commemoratio Patroni loci, qui a Titulari Ecclesiae differt, facienda sit ab illis qui alicui Ecclesiae stricte addicti sunt, ita ut duplicem commemorationem agere teneantur, nempe primam de loci Patrono, alteram de Titulari Ecclesiae?* Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Affirmative de Titulari Ecclesiae; atque etiam de Patrono si vigeat consuetudo.* Atque ita rescripsit die 6 Aprilis 1894.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

APPENDIX VI.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 1 Septembris 1841 — De benedictione matrimoniali in communi.

Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictâque pro singulis a parocho forma *Ego vos coniungo in matrimonium,* etc.; nihil obstat quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia.

S. C. S. Officii 1 Septembris 1841. — De benedictione nuptiarum.

1. Licite matrimonium contractum coram parocho benedici ab alio sacerdote de consensu parochi vel Ordinarii. — 2. Quoad Missam celebrandam *de sponsis* vel *de sancto* standum decreto S. R. C. die 3 Martii 1818. — 3. Sacerdotem non teneri Missam applicare pro sponsis nisi ab iisdem eleemosynam accipiat. — 4. In eadem Missa posse sacerdotem plures sponsos benedicere. — 5. Ab eodem sacerdote celebrante aspergendos esse aqua benedicta sponsos ante altare genuflexos, non autem ab alio sacerdote. — 6. Non licere sponsos benedicere in Missa defunctorum, sed potius transferendam esse benedictionem ad aliam diem.

S. C. SS. Rit. 14 Augusti 1858. Montis Albani. — De benedictione nuptiarum.

1. An possit sacerdos, quum matrimonia extra Missam celebrantur, sicut in ecclesiis civitatum Montis Albani dioecesis frequenter evenit, sponsis benedictionem impertiri, et orationes recitare quae in Missali in Missa pro sponso et sponsa habentur, quaeque dicendae sunt tum post *Pater noster,* tum ante *Placeat,* quando non agitur de nuptiis, in quibus est deneganda supradicta benedictio. Et, quatenus affirmative, an teneatur.

2. Licetne Missam pro sponso et sponsa et benedictionem ad diem proxime sequentem vel in aliam multo remotiorem differre, etsi coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent?

3. Utrum prohibitio nuptiarum tempore Adventus et Quadragesimae intelligi tantum debeat de Missa pro sponsis, ac de precibus pro nubentium benedictione in Missali positis; an ipsum etiam attingat matrimonium, quod cum solis celebratur caeremoniis, et precibus quae in Rituali reperiuntur.

4. An facta per Episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a S. Concilio Tridentino vetitis, censeatur etiam permissa benedictio coniugum per preces et orationes in Missa pro sponsis contentas. Et quatenus negative, an possit Episcopus in casu eam facultatem concedere.

R. Ad 1. Negative in omnibus.

Ad 2. Negative in casu.

Ad 3. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, dummodo accedat Episcopi venia.

Ad 4. Negative in omnibus.

S. C. S. Officii 1 Febr. 1871. Vic. Ap. Myssur. De benedictione nuptiali recipienda.

1. Utrum gentiles mulieres nuptae, vel viduae, vel notorie corruptae, quae ex gentilitate conversae christianum recipiunt matrimonium, possint recipere benedictionem nuptialem intra Missam.

2. An sponsi christiani qui pridie in pomeridiana matrimonium in Ecclesia receperunt, et crastina sequenti die ad Missam ambo veniunt, beneditionem intra Missam recipere possint, illis non interrogatis de continentia in nocte servata.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative; neque ullo modo faciendam esse interrogationem de qua in dubio mentio fit: et ad mentem. Mens est quod in illis matrimonio iungendis admonitio praetermittenda non sit Sacrosanctum Concilium Tridentinum hortari (Sess. XXIV. cap. I. De Reform. Matrim.) ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo accipiendam in eadem domo non cohabitent.

S. C. S. Officii 31 Augusti 1881. De Benedictione nuptiali.

Benedictionem nuptialem quam exhibet Missale Romanum in *Missa pro sponso et sponsa* semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, iuxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis coniugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu iam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

Insuper hortandos esse eosdem coniuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere coniugii.

S. C. S. Officii 11 Sept. 1878. Vic. Ap. Coreae. — De sanatione matrimonii.

A novem iam annis Coreana Missio immani persecutione premitur, nec ullum habet sacerdotem qui christianos instruere ipsisque Sacramenta ministrare valeat. Iam plura christianorum millia ferro persecutoris sublata sunt, aliique dispersi et errantes vix locum invenire possunt, ubi sine mortis periculo habitare possint. Exinde factum est ut plures ex illis matrimonia cum paganis contrahere coacti fuerint, et quidem sine dispensatione disparitatis cultus, cum nullus esset missionarius qui talem dispensationem concederet. Item quandoque accidit ut, in usu privilegii fidei, coniux infidelis conversus et baptizatus interpellationem omiserit ad coniugem in infidelitate remanentem, licet in pluribus casibus haec interpellatio esset vel forsan necessaria vel saltem dubiae obligationis. Denique notandum est quod, donec durabit persecutionis rabies, nequaquam fieri poterit huiusmodi interpellatio ad priorem coniugem infidelem quin gravioris persecutionis et forsan mortis periculo grex fidelium exponatur. Ut igitur praedictis incommodis tum pro praeterito, tum pro futuro provideatur, praelaudatus Orator humillime supplicat pro duplici gratia quae sequitur:

Pro praeterito, ut Sanctitas Vestra sanare *in radice* dignetur matrimonia iam contracta in Corea, quae nulla vel dubia evaserunt, propter omissionem interpellationis, vel propter cultus disparitatem, aut aliud impedimentum iuris mere ecclesiastici...

R. Quoad matrimonia nulliter contracta vel ob impedimentum disparitatis cultus, vel ob aliud impedimentum iuris mere ecclesiastici, supplicandum SSmo pro gratia sanationis *in radice*. Quo vero ad matrimonia contracta quin solito modo interpellatio coniugis infidelis praecesserit, vel ab ea dispensatio fuerit obtenta, Vicarius Apostolicus ex facultate, quae benigne ei conceditur, dispenset ab interpellatione facienda, et omnino procuret consensum renovandum: in quibus autem casibus hanc renovationem pro nunc fieri non posse iudicat, sileat, si putati coniuges sint in bona fide. — SSmus D. N. Leo Papa XIII benigne annuit pro gratia iuxta Emorum et Rmorum suffragia.

Litt. S. C. S. Officii 22 Nov. 1889. — De sanatione in radice.

La sanazione in radice non può aver luogo senza che la parte cattolica conosca la nullità del matrimonio e adempia le condizioni del rescritto.

Sanatio in radice locum habere non potest, quin pars catholica noverit nullitatem matrimonii et faciat satis conditionibus rescripti.

S. C. S. Officii 20 Martii 1889. Ep. Wayne Castren.
De validitate matrimonii iudicanda.

In foederatis Americae Sept. provinciis non raro evenit aliquos ad fidem catholicam converti, qui antea matrimonio civili cum aliqua uniti erunt, et postea divortium civile obtinuerunt. Tempore conversionis vel iam secundum matrimonium inierunt, vel inire intendunt. Certe prima quaestio solvenda est. Eratne primum matrimonium validum tamquam contractus vel tamquam Sacramentum? Posito tamen quod ex documentis et probationibus certis a curia episcopali et a defensore matrimonii admissis, constet primum matrimonium vel propter bigamiam alterius partis, vel propter cultus disparitatem fuisse certe nullum, requirituine appellatio defensoris et iudicium in secunda instantia a Bened. XIV. praescriptum in casu de nullitate matrimonii in facie Ecclesiae initi? An sufficit certe constare primum matrimonium fuisse absolute nullum, ita ut nulla requiratur secunda instantia et iudicium?

R. Dummodo per processum saltem extraiudicialem certo constet de nullitate matrimonii ob praeexistens dirimens impedimentum evidenter comprobatum, Negative.

S. C. S. Officii 5 Iunii 1889. — De matrimonii vinculo iudicando ab Ordinario.

Quando agitur de impedimento disparitatis cultus, et evidenter constat unam partem esse baptizatam, et alteram non fuisse baptizatam; quando agitur de impedimento ligaminis, et certo constat primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere; quando denique agitur de consanguinitate et affinitate ex copula licita, aut etiam de cognatione spirituali, aut de impedimento clandestinitatis in locis ubi Decretum Trident. *Tametsi* publicatum est, vel uti tale diu observatum; dummodo ex certo et authentico documento, vel in huius defectu, ex certis argumentis evidenter constet de existentia huiusmodi impedimentorum, super quibus Ecclesiae auctoritate dispensatum non fuerit: hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium poterit ab Ordinario declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia.

Ex Instr. S. C. S. Officii 16 Aug. 1781. Ad Ep. Scepusien. De sepulturis et funeribus haereticorum.

Modo de sepultura, et funeribus haereticorum paucioribus agendum est; quamcumque enim in divinis communicationem cum haereticis sive vivis, sive defunctis, catholico viro esse prohibitam, tam notum est ac pervulgatum, ut nihil magis. Sed ad rem pressius, et primo quoad sepulturam; Cap. *Sacris, de Sepulturis:* « Sacris est cano- « nibus institutum ut quibus non communicavimus vivis non commu- « nicemus defunctis: et ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius « erant ab ecclesiastica unitate praecisi ». Et *De haereticis in 6.* Cap. *Quicumque*: « Quicumque ecclesiasticae sepulturae haereticos tradere « scienter praesumpserint, absolutionis beneficium non mereantur nisi « propriis manibus publice extumulent, et proiiciant eiusmodi corpora « damnatorum ». In Rituali autem Romano Pauli V. *De exequiis,* Tit. 6, cap. 2, negatur ecclesiastica sepultura paganis, iudaeis, et omnibus infidelibus, haereticis, et eorum fautoribus; quin et Martinus V. cuius Constitutionem *Ad evitanda* nonnulli in favorem haereticorum nimium extendunt, in altera posteriori *Inter cunctas* sic decernit: « Si tales « haeretici publici et manifesti, licet nondum per Ecclesiam declarati, « in hoc tamen gravi crimine decesserint, ecclesiastica careant sepultura.»

Neque ut hoc ecclesiasticae sepulturae beneficio haeretici quidam fruantur, quidquam illis suffragari poterit, vel quod (ut inquis) non per ianuas, sed per ecclesiae cryptas eorum corpora inferantur, vel quod eo iure iamdiu illorum familiae potiantur, vel demum quod ecclesiae tectum ac fabricam servare promittunt. Vides enim fucum fieri Ecclesiae legibus, si haeretici communi sepultura cum catholicis socientur, quamquam diverso utantur ad sepulchrum ingressu. Ius autem familiarum quale esse poterit, si quis a fide desciverunt, omni etiam, iuxta sacros canones, iure ac privilegio, quod Ecclesiae beneficio consequuti sunt, privatos ac spoliatos esse oporteat? Tandem nec sumptus pro restaurandis ecclesiis ab haereticis promissi movere Te debent, ut pecunia existimes eosdem communi posse cum catholicis sociari tumulo. At valde timendum refers, ne quod ab Episcopo haereticis denegatur, id a saeculari potestate impetraverint. Catholicorum Principum pietas haud ita futurum esse suadet; attamen quidquid absque tuo consensu ac nutu factum fuerit, si quidem absque turbarum et discordiarum periculo prohibere nequeas, moerens ac tacitus patienter feres, ita tamen ut sis de christiana aequanimitate ac tolerantia laudandus, nunquam vero de consensu et approbatione culpandus.

Quamquam non tam de ecclesiis modo quam de coemeteriis quaeris, quae haereticis ac catholicis communia sunt; quod cum omnino sine offensione tolli non possit, « Episcopus, inquis, disposuit, ut oc- » casione sepulturarum, secundum recentiora regia toto Regno de- » creta, extra urbes, oppida, pagos ab ecclesiae areis transferendarum, » nova constituenda coemeteria, remotis arbitris in proportionata sui » parte pro catholicis humandis benedicantur; in reliqua vero intra » eamdem coemeterii cincturam parte corpora acatholicorum tumu- » lentur. » Optime quidem haec a Te disposita ac constituta sunt pro ea, qua Episcopus in hac temporum iniuria uti patientia ac tolerantia debet. Videat tamen Amplitudo Tua, ut quantum sublatis contentionum ac dissidiorum periculis fieri poterit, in humandis catholicorum corporibus tam quoad locum, quam quoad alias Ecclesiae caeremonias, omnia ad normam sacrorum Canonum, quos optime calles, conformentur.

S. C. S. Officii 2 Decembr. 1840.
De sepultura ecclesiastica concedenda iis, qui nomen dederant sectae massonicae.

An liceat celebrare parentalia, et ecclesiasticam sepulturam concedere iis qui ante exitum receperunt Sacramenta, attamen sectae massonicae nomen dederunt, et in feretro tenent sectae eiusdem emblemata.

R. Affirmative, servata forma Innocentii III Cap. *A nobis, De sent. excomm.*, ablatis insigniis sectae ab Ecclesia damnatae, et dummodo appositio emblematum demandata non fuerit a defuncto post receptionem Sacramentorum, vel ab eodem fuerit revocata; et amoveantur statim cognita eorum appositione, et omnino ante associationom cadaveris. Moneantur confessarii loci de obligatione exigendi retractationem ante sacramentalem absolutionem.

S. C. S. Officii 16 Maii 1866 — Suicidae quoad sepulturam ecclesiasticam.

An liceat dare ecclesiasticam sepulturam, et solemnes peragere exequias pro suicidis.

R. Moneantur parochi et missionarii ut in singulis casibus, quibus praesens dubium refertur, recurrant, quoad fieri potest, ad Ordinarium. Regula (autem) est, non licere dare ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem signa dederint poenitentiae. Praeterea quando certo constat de iracundia vel desperatione negari debet ecclesiastica sepultura, et vitari debent pompae et solemnitates exequiarum. Quando autem certo constet de insania, datur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exequiarum. Quando tandem dubium superest utrum mortem quis sibi dederit per desperationem aut per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis autem pompis et solemnitatibus exequiarum.

S. C. S. Officii 25 Iulii 1630. — De confessario erga Apostatas poenitentes in articulo mortis.

Quomodo se gerere debeat confessarius erga apostatas poenitentes in articulo mortis constitutos, cum ab illis secreto arcessitur, ut secreto absolvat. Ratio difficultatis est quia in illo articulo solent ab infideli familia vel sacerdotibus falsis induci ad actus falsae religionis, nec possunt abnuere sine periculo mortis.

R. SSmus censuit, confessarium debere absolvere apostatam poenitentem in articulo mortis constitutum, abiurata prius apostasia in foro conscientiae; et si per aliquod temporis spatium supervixerit, et si poterit, abiuret in balneo coram fidelibus; quod si non poterit, relinquat chirographum suae abiurationis, saltem signo crucis subscriptum; quod si neque hoc possit, committat confessario, ut suam abiurationem fidelibus manifestet. Non tamen teneri apostatam poenitentem tunc in periculo vitae constitutum, etiam suadentibus turcis, cum periculo vitae, fidem catholicam, quam tunc abiurata infidelitate amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere vel non respondendo, vel aequivocis verbis utendo.

S. C. S. Officii 29 Iulii 1699. — De viro calviniano catholicam religionem amplectenti.

Vir primae nobilitatis in Anglia ab infantia educatus in haeresi calviniana, agnito nuper errore, catholicam fidem amplecti decrevit. Gravissimis vero de causis etiam religionem et statum in isto Regno vere et summopere concernentibus vellet conversionem suam manere secretam. In his autem circumstantiis versatur: numerosam habet familiam, totam haereticam; ministrum quoque haereticum, de more magnatum istius gentis, domi alit, et, cum sit viduus, liberos habet sub haereticis tutoribus constitutos. Igitur ne prodatur eius conversio, quousque saltem occasio affulgeat secure disponendi res suas, quaeritur:

1. An familia sua haeretica conveniente ad preces domesticas haereticas, quas praelegit dictus minister, possit nobilis ille haerus in eumdem locum convenire, legendo privatim preces catholicas.

2. An possit tuta conscientia liberos suos relinquere sub tutoribus haereticis, dum eos retrahendo proderet fidem suam.

R. Ad 1. et 2. Non posse.

Instr. S. C. S. Officii 1868. — Quoad crucis signum a Sinensibus ubicumque in viis positum, ut calcetur ab euntibus.

Delatae sunt ad S. C. quaestiones quae primum a R. D. Francisco Tien missionario, deinde ab A. Tua propositae sunt circa difficultates in quibus versantur fideles in Hunnanensi provincia. Narrabas enim paganos regionis illius actos in rabiem ob libertatem christianae religion decretam ex publica conventione inter Gallorum ac Sinarum imperatores

inita, eo procurrisse insaniae, ut venerandae Crucis signum pedibus ultro citroque euntium calcandum in publicis viis, in pontibus, in portarum urbium limine insculpserint, aut quomodocumque descripserint, idque tanta alicubi frequentia et continuitate ut abstinere ab ea iniuria (modo prosequi iter firmum sit) ne volentes quidem possint. Quod quidem ad christianos praesertim in angustias coniiciendos factum fuisse scribis, ut nimirum vel tota urbe carendum iis sit, negotiisque omnibus plane desertis, inedia fere ac tristitia intra domos pereundum, vel, cruce calcata, indicium, ut illi arbitrantur, eiuratae religionis dare cogantur: qua de re addis, quosdam tibi videri ex paganis primis diebus in excubiis fuisse ut christianorum agendi rationem taciti explorarent. Quibus expositis postulasti an liceat christianis super eiusmodi cruces incedere, non quidem contemptus, sed necessitatis causa, idque eo etiam in casu in quo adstant exploratores, qui taciti christianos observant: quodque inde consequitur, an qui ita se gesserunt recte egerint; sin vero male, an relinquendi sint in bona fide, an monendi, an etiam ut apostatae habendi. Quibus quaestionibus alias addidit missionarius Tien, nimirum utrum in incedendo, aliquam diligentiam, eamque mediocrem an summam adhibere debeant christiani ne super cruces vestigium ponant: an imo iis liceat etiam voluntarie eas calcare, non quidem ad religionis, sed ad eorum contemptum qui absque ulla auctoritate eas descripserunt. Itaque si christiani a nemine moneantur de aliquo Crucis signo quod ante pedes forte habeant, S. C. praestare censuit, ut libere incedant nihil examinantes. Quando enim ea constant quae ab A. Tua exposita sunt, duoque illa praesertim sunt evidentia et publice nota, necessitas ita agendi ad negotia propria gerenda vitamque ipsam sustentandam, et firma christianorum voluntas in sua religione retinenda, et in iis omnibus quae contraria eidem sunt excludendis, facile quisque intelligit neque ex fine, neque ex obiecto, neque ex circumstantiis, (quae tria sunt elementa, quibus actionis moralitas constituitur) eiusmodi agendi rationem posse redargui. Finis enim qui non ad religionis contemptum, sed ad consulendum necessitatibus propriis dirigitur manifeste honestus est; eiusmodi autem fine proposito, actum quoque materialem incedendi super cruces (quo in actu actionis obiectum situm heic est) si in se consideretur, nihilque pravitatis a circumstantiis accipiat, culpa omni vacare non est dubitandum. Cum enim incedere ac vestigia ponere sit actus natura sua indifferens, necessario sequitur quod si finis inhonestus excluditur, honestus autem rationique conformis proponitur, ipse quoque actus et honestus et rationi conformis sit habendus. Itaque nosti non modo inter scrupulos recenseri si quis religioni sibi vertat quod

paleas in crucis formam connexas inter ambulandum calcavit, verum etiam passim libereque in templis super lapides sepulchrorum fideles incedere, ubi ssmum Iesu nomen eiusque monogramma, et cruces saepissime insculptae sunt. Restat igitur ut a circumstantiis nihil accedat pravitatis, ex quibus una in casu proposito occurrit quae speciem aliquam difficultatis portendere videtur, quod in praedictis crucibus describendis laqueum christianis iniicere pagani sibi proposuerunt, ut nimirum, si necessitate coacti eas calcaverint, eiurasse religionem videantur: cui alteram addit A. Tua, qua nonnihil videtur commoveri, quod scilicet primis diebus etiam in excubiis paganis fuisse visi sunt, ut christianorum agendi rationem observarent: quam tamen circumstantiam nihil momenti afferre facile perspicies. Cum enim dicas eosdem omnino tacitos, nihilque prorsus audentes adstitisse, plane intelligis perinde eos esse habendos, ac qui fortuito christianos transeuntes viderent. Quapropter unum quaerendum heic est tum quoad eos, tum quoad alios qui fortuito adsint, tum etiam quoad ceteros qui absentes factum cognoscunt, utrum quod malo illo animo cruces pagani insculpserint, scandalum apud illos merito oriatur si christiani super eas incedant, quasi nimirum eiuratae religionis indicium edidisse videantur. Cum in omnium oculos duo illa quae diximus insiliant publiceque nota sint, christianorum scilicet voluntas quae religioni suae palam firmiterque adhaeret, parique ratione ab iis quae contraria sunt abhorret, et vera ratio quae eosdem adigit ad urbis vias frequentandas, quae est necessitas sua negotia gerendi suaeque vitae sustentandae, illud sane consequitur quod si quis malitia sua voluntarie obcaecatus haec nolit videre, quod omnes vident, ut apostasiam per calumniam christianis attribuat, is profecto non pusillorum scandalum patitur, neque ex infirmitate natum, sed pharisaeorum et ex malitia productum. Pharisaeorum autem scandalum nosti esse spernendum, ac proinde vides neque ex fine, neque ex actionis obiecto, neque ex circumstantiis redargui posse christianos quod nihil examinantes libere per urbem incedant. Id tamen S. C. in eo tantum casu retinendum esse censuit cum nemo christianos admonet de cruce aliqua quam iuxta pedes habeant. Si enim ab aliquo ii moneantur, eadem S. C. respondit diligenter eos curare debere, ne Crucem pedibus premant, quandoquidem, si moniti eamdem libere calcarent, cum tamen vitare id possent, merito pusillis atque infirmis viderentur religionis sanctitatem violasse. Quapropter non potuerunt Emi Patres non mirari de dubio illo quod subiectum fuit, utrum nimirum christifideles possint etiam voluntarie cruces calcare ad contemptum illorum qui fecerunt, sine contemptu autem religionis.

Quis enim non videat contemptum Crucis a contemptu eorum qui eas descripserunt eo in casu separari non posse? eaque excusatio si admittatur, non absimili defensione eum quoque posse uti qui veram Crucem sub pedes proiiciat, aiens se non Christi, neque istius Crucis contemptu, sed iudaeorum, qui eam Christo statuerunt, id fecisse? Quod si etiam huiusmodi abstractio fieri posset, manifestum tamen est pusillorum saltem ratione qui scandalum inde caperent, eadem uti non licere. Ut enim in simili casu animadvertit Chrysostomus (Hom. XXV. n. 2. in 1. Cor.) de iis nimirum agens qui existimabant fas esse christianis de immolatitiis, etiamsi moniti essent, absque ulla necessitate edere, dummodo iure libertatis suae se id facere profiterentur, non autem ut idololatriae consentirent, eiùsmodi remedio pusillorum vulnus minime sanatur, quia nimirum cum videant vitari illud potuisse suspicionemque omnem violatae religionis ea ratione removeri, neque tamen id esse factum, nunquam ait S. Doctor sibi sinunt persuaderi malum animum in ea re abfuisse, etiamsi millies id repetatur: infirmi enim sunt. Quapropter cum Germaniae Apostolus S. Bonifacius a Gregorio II. postulasset « utrum de immolatitiis, si a fidelibus superductum fuerit vivi» ficae crucis signum, edi liceret an non? » S. Gregorius (ep. XIII. §. 6.) rescripsit. « Illud (de hac re) sufficit respondere quod B. Paulus » Apostolus dicit: si quis dixerit quia hoc immolatitium est, nolite » edere propter eum qui indicavit, et propter conscientiam ». Pari igitur ratione si christiani ab aliquo moneantur se crucem ante pedes habere, curare omnino debent, ne illam conculcent. Quod si ita praeclusum sit iter ut nonnisi per descriptas cruces transire liceat, eo in casu cum sit manifestum non ex aliqua irreverentia, sed ex mera necessitate per illas incedi, fieri quidem id posse S. C. respondit, sed ad omnem scandali rationem amovendam, duplicem conditionem servari oportere. Prima est ut coram monente et audientibus expresse christiani profiteantur voluntatem inferendi Cruci iniuriam omnino a se abesse; altera est ut in actu ipso transeundi modum teneant, quantum fieri potest, decentem, ut aliquod reverentiae signum ex eo ipso appareat. Haec enim si fiant cum de necessitate ita agendi, et de voluntate a violanda religione aliena aperte constat, si quis scandalum id sumere velit, is pharisaeorum mores plane sequeretur, adeoque despicienda eius calumnia esset, praesertim cum, si hisce paganorum iniuriis plus aequo terreri christiani se sinant, ansa illis praeberetur ad difficiliorem in dies faciendam christianae religionis conditionem, eamque facile hisce artibus extinguendam. Summa igitur responsi quod postulationibus tuis S. C. dandum censuit eiusmodi est: 1. Si a nemine

christiani moneantur de aliquo crucis signo, quod ante pedes forte habeant, oportere eos libere incedere nihil examinantes iuxta monitum S. Pauli (1. Cor. X. 25. 27). 2. Si moneantur, curandum ab iis esse ne vestigia supra crucem inferant. 3. Si moniti adesse crucem, adeo praeclusum iter reperiunt, ut nonnisi per eam transire liceat, ita eos transire debere, ut primum expresse profiteantur nullam sibi esse mentem Crucis violandae, deinde, in actu ipso transeundi, modum quantum fieri potest decentem servent, ut indicium aliquod reverentiae ex eo ipso appareat. Quae quidem abunde vides sufficere, ut certa norma christianis praescribatur, qua simul possint, et necessitatibus suis consulere, et religionis sanctitatem inviolatam tenere.

S. C. S. Officii 20 Iunii 1866. — Vic. Ap. ad Gallas.
De Circumcisione apud Gallas.

Viget apud Gallas usus circumcisionis, quae infantibus adhiberi solet priusquam deferantur ad Baptismum. Hunc ritum pertinacissime Gallae observant velut unum e primis fidei christianae signaculis; pollutam existimant ecclesiam, quam forte incircumcisus aliquis fuerit ingressus; christianos europaeos, eo quod circumcisi non sint, despicatui habent neque ullo pacto filios suos baptizari sinunt nisi antea circumcidantur, adeo ut gravis olim in quodam Gallarum oppido exarserit seditio, quia missionarius iusserat sibi ad baptizandum deferri pueros etiam incircumcisos. Presbyteri indigenae etiam catholici usum circumcisionis tolerant, innixi, ut ipsi dictitant, antiquis decisionibus Sanctae Sedis, quae circumcisionem ab Abissinis frequentatam minime reprobavit, utpote civilem regionis illius praxim. Vicarius Ap. opinatur (licet id certo affirmare non audeat) circumcisionem etiam penes Gallas habendam esse potius pro ritu mere civili, quam pro ritu sacro et religioso, maxime quia in privatis domibus fit, neque per manus ecclesiastici ministri; tamen cum videat ex illa pusillorum scandalum oriri, quaerit: — An tolerari possit usus circumcisionis vigens apud christianos gallas.

R. Monendus in primis est Vic. Ap. falsum esse quod presbyteri indigenae asserunt circumcisionem in Abissinia fuisse antiquitus ab Ap. Sede permissam aut toleratam, veluti civilem quamdam gentis illius praxim. Catholico enim Abissinorum Patriarchae Alfonso Mendez, qui iam inde ab ineunte saeculo decimo septimo postulaverat, an tolerari posset in Abissinis circumcisio, Sacra Congr. de Prop. Fide, approbante Pontifice, respondit die 28 Augusti anno 1637 non esse quocumque praetextu tolerandam circumcisionem; Pastores debere corrigere subdi-

tos quantum possunt, contumacesque arcendos esse a communione. Cumque anno 1839 idem postulatum instaurasset, quidam Abissiniae missionarius, Emi Inquisitores Generales die 17 Iunii eiusdem anni ita censuerunt: « Detur Decretum die 28 Augusti anni 1637; tamen missionarii id praestent adhibita omni christiana prudentia ». Tantum igitur abest ut Apostolica Sedes circumcisionem in Abissinis permiserit unquam aut toleraverit, quin potius eamdem expresse improbavit districteque inhibuit. Et iure quidem atque merito; nam licet Abissini modo hanc, modo illam adhibendae circumcisionis causam praetexerent, constabat tamen, tum ex laudati Patriarchae accuratissima relatione, tum ex indubiis aliis argumentis, circumcisionem ab Abissinis servari tamquam ritum sacrum ac religiosum. Porro ea quae nunc de populis Gallis exponit Vicarius luculenter ostendunt atque persuadent hos quoque populos circumcisione uti ex aliqua sive explicita, sive saltem implicita cultus intentione. Quid enim aliud significant pertinacissima observantia circumcisionis tamquam unius e principalibus fidei christianae tesseris, contemptus europaeorum incircumcisorum, opinio tandem quod ecclesia per solum incircumcisi ingressum polluatur, et quod Baptismus administrari nequaquam debeat nisi circumcisio praecesserit? Nec sane contrarium evincit quod circumcisio adhibeatur in privatis domibus, nullo interveniente Ecclesiae ministro; nam et apud hebraeos circumcisio a quocumque fiebat etiam in privatis domibus. Quare Emi PP. communicari mandarunt Apostolico Gallarum Vicario decretum die 28 Augusti an. 1637, adiecta monitione, ut missionarii id praestent adhibita omni christiana prudentia. Quamvis autem iuxta hoc decretum contumaces arcendi sint a Communione, caveant tamen missionarii ne denegent baptismum infantibus circumcisis, quippe qui non suâ sed parentum culpâ iniuriam istam patiuntur. Praeterea quoniam Vicarius Ap. meminit in suis literis de quibusdam aliis vanis observantiis quae apud eosdem Gallas sunt in usu, et iudaismum redolent, qualis est observantia sabbati et distinctio inter munda et immunda animalia, idcirco iusserunt Emi PP. ut Vicarius Ap. et reliqui missionarii omnem operam ponant ad vanas eiusmodi observantias prudenter eradicandas; nam Sacrosancta Romana Ecclesia, ut in Oecumenico Concilio Florentino ab Eugenio IV declaratum est, omnes, post promulgatum Evangelium, circumcisionis et sabbati, reliquorumque legalium observatores alienos a Christi fide denunciat, et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant.

Inter graves ac multiplices curas, quibus, ex supremi Apostolatus munere, assidue distinemur ac premimur, litteras officii plenas libenti animo accepimus, qua vos, Venerabiles Fratres, post celebratos in Limensi urbe conventus, ad Nos dedistis. — Eas equidem perlegentes, pro paterna, quam in vos retinemus gentemque vestram, caritate, delectati magnopere sumus de iterato erga Nos et hanc B. Petri Sedem amoris fideique testimonio; maxime vero gavisi de concordi studio, quo Nostris optatis obsecundantes coivistis simul ad summa religionis negotia trectanda et ad mores optimo in grege provehendos, quem *Spiritus Sanctus posuit vos regere* (1).

Probamus certe admodum, Venerabiles Fratres, hanc voluntatem, quae pastoralem curam vestram ostendit ut commissi vobis fideles in catholici nominis sinceritate persistant. — Placet nihilominus nova veluti currentibus addere incitamenta, ut eâ nempe, quam iniistis, via pergentes strenui, coetus eiusmodi, pro rerum opportunitate ac necessitate, frequentetis. Persuasum etenim Nobis est, ex perpetuo Ecclesiae more ac sententia, quod ediximus pluries, longe validius adversus gliscentes et invalescentes circumquaque errores pugnatum iri, ac religionis sanctissimae rationibus securius firmiusque prospectum, si collatis consiliis communicatisque propositis, sacrorum Antistites arctius inter se iungantur.

Harum vero congressionum quo ampliores habeantur fructus et largiora inde in gentem vestram commoda deriventur, ex Nostra religiosarum rerum, ut in Peruvia, notitia, et ex ardenti quo tenemur desiderio, catholicum nomen apud vos laetiora in dies capere incrementa; libet, Venerabiles Fratres, quaedam enucleatius commendasse vobis, ad quae sollicitos prae ceteris intendatis animos. Ea quippe sunt, quae apprime valent ad fidei viam muniendam et ad Ecclesiae efficacitatem explicandam; quae Nos idcirco, et crebris editis communibus documentis, et singularibus ad Episcopos datis litteris, inculcare nunquam destitimus.

(1) Act. 20, 28.

Quod primum igitur est, eo studiorum vestrorum spectabunt praecipua, ut opportuna adiumenta excogitetis, quibus in alumnis sacri ordinis, non modo disciplina morum servetur sancte, verum etiam doctrinarum acquirendarum stet vivax ardor; quo fiat, ut quae inter ephebos in spem Ecclesiae succrescentes inclinari forte ac languescere studia, in eum adducantur splendorem, quem Nos iure optamus, quamque religionis expetunt tempora. Nostis enim, Venerabiles Fratres, id fuisse Dei providentis consilium, ut, quo primum pacto fortissimis martyribus usus est ad apertam tyrannorum vim saevitiamque frangendam, ita ut martyrum sanguinem semen christianorum faceret; eodem pacto viros insigni sapientia nullo non tempore destinarit, qui veritatis thesauros, quos Unigenitus Filius e sinu Patris in terras detulit et Ecclesiae concreditos voluit, non sacra solum auctoritate, sed vel humanae rationis praesidiis tuerentur. Nunc autem, quum perversarum opinionum contagione infecta et corrupta sint omnia ac, specie progredientis doctrinae, sapientiae a Deo traditae obsistatur maxime et repugnetur; pronum est intelligere, iis defensoribus opus esse, qui, omnigeno armorum genere e scientiis deprompto, *parati semper* (1) sint, uti monet Apostolus, *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe; et exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (2). In moderanda vero pro Seminariis vestris studiorum ratione, vobis, Venerabiles Fratres, ob oculos esse volumus quae Nosmet encyclicis litteris ea de re praescripsimus. Ut nempe in philosophicis disciplinis tradendis maximus Angelico Doctori Thomae Aquinati habetur honos, et quae ex eius voluminibus iugi et praedivite vena dimanat sapientia, ab romanis Pontificibus perpetuis honestata laudibus, studiosae iuventuti large effuseque impertiatur. Tum physicarum doctrinarum studia ne negligantur, nam, praeterquamquod tanto nunc sunt in pretio, inde potissimum catholicorum dogmatum osores argumenta petunt ad illorum veritatem debilitandam; quapropter cavendum ne in sacro Ordine desiderentur qui, ad huiusmodi bellum prudentes, eisdem ipsorum armis adversarios homines evertant, errores refellant. Demum quae nuper de Biblicis studiis excolendis ediximus, reli-

(1) I. Petr. 3, 15.
(2) Tit. 1, 9.

giose custodiantur. Haec si praestabitis, et Clerus florebit honore suo et Ecclesiae laus manebit, quae semper optimorum studiorum fautrix et altrix est habita vereque habenda est: vobis praeterea idonei homines praesto erunt, qui, vocati in partem ministerii vestri, magno vobis erudiendis populis pietatique fovendae usui futuri sint et adiumento.

Iam alterum quod vobis intime volumus commendatum, illud est ut curiones paroeciis regundis praeficiantur quam qui optimi. Etenim qui ad hoc munus, honore quidem et auctoritate plenum at salebris curisque plenius, provehuntur, ii sunt, quos sibi Episcopi pastoralis sollicitudinis socios adiungunt, quibusque praecipuis utuntur adiutoribus *ad informationem eorum qui Christo credunt in vitam aeternam* (1). Curiones namque sibi Christus assumit ut vigilias fideles agitent, ne populus Dei sanctus impressione hostium periclitetur ac detrimentum capiat. Animarum veluti patres constituuntur quae ad imaginem Conditoris factae (2) *emptae sunt Deo et Agno, non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi* (3); eas igitur *iterum parturiant* oportet *donec formetur Christus in illis* (4). Pastores sunt, qui, nisi in mercenariis censeri malint, debent oves suas agnoscere, verbi Dei pabulo nutrire, sacramentorum praesidio instruere; factique ipsi forma gregis, *habentes mysterium verbi in conscientia pura* (5), sic plebem creditam moderentur, ut Apostoli verba usurpare possint: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (6). Postremum angelorum loco habentur merito, quos mittit Deus ante populum suum, *ut custodiant illum in via* (7), ac medios per hostes *introducant in locum quem paravit,* civitatem sanctam Hierusalem, *paratam revelari in nobis in tempore novissimo* (8). Haec quum ita sint, videtis, Venerabiles Fratres, quanta vobis industria sit opus in curionibus deligendis, quanta quamque assidua vigilantia ad eosdem in officio continendos. Homines esse tales necesse est, quibus ea Domini congruant:

(1) I. Tim. 1, 16.
(2) Apoc. 14, 4.
(3) I. Petr. 1, 18.
(4) Gal. 4, 19.
(5) I, Tim. 3, 9.
(6) I. Cor. 14, 16.
(7) Exod. 23, 20.
(8) I. Petr. 1, 5.

Vos estis lux mundi, vos estis sal terrae (1); caritate igitur et animarum studio incensos, qui non quaerant quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, parati labores perpeti ac porro animam pro ovibus ponere. Nam qui turpis lucri gratia vel humanis ducti rationibus tam arduum verendumque munus suscipere contendant, qui convenienti vitae sanctimonia doctrinaque careant, ii penitus arcendi sunt; mercenarii sunt enim, nec intrantes per ostium, ac sal infatuatum quod *ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus* (2).

Et haec quidem in eorum utilitatem spectant; qui iam septis dominici gregis feliciter continentur. At vero apud vos adsunt, Venerabiles Fratres, qui, nondum *vocati in admirabile lumen Christi* (3), *sedent* adhuc *in tenebris et in umbra mortis* (4); oves quae perierunt, quas oportet vos adducere ad pastorem summum animarum Iesum. Civitas etenim Dei viventis, Ecclesia Christi, nullis circumscripta limitibus, ad salutem omnibus patet: vis nempe eius est, ab ipso divino Auctore tributa, ut attingat a mari usque ad mare et latius in dies proferat *locum tentorii sui et pelles tabernaculorum suorum* (5), unde et catholica iure ac merito nominatur. Scimus equidem probeque novimus, hanc populorum *accessionem ad Sion montem* a divina gratia repetendam, Deique esse christiano nomini incrementum dare; *nemo enim venit ad Filium nisi Pater traxerit eum* (6): hoc tamen tenemus Dei miserentis esse consilium, Redemptoris nostri facto ac doctrinis testatum, ut mortales homines ipsius Dei operi in salutem animarum obsecundent. *Fides* namque, monente Apostolo, *ex auditu est; auditus autem per verbum Dei:* at *quomodo audient sine praedicante? quomodo praedicabunt, nisi mittantur* (7)? Quapropter monemus, Venerabiles Fratres ac stimulos caritati vestrae addimus, ut sacrae expeditiones apud Indos multiplicentur: multiplicentur viri misericordiarum, qui volentes libentes mittantur operarii in messem Domini, nec carni et sanguini acquiescentes derelictis fratribus omnia fiant, ut eos Christo lucrifaciant; in-

(1) Matth. 5, 14.
(2) Matth. 5, 13.
(3) I. Petr. 2, 9.
(4) Luc. 1, 79.
(5) Is. 54, 2.
(6) Io. 6, 44.
(7) Rom. 10, 16 s.

ferant barbarae genti civilem cultum et mores mites, ignorantiae tenebras excutiant, ut demum *sortem* et ipsi *accipiant inter sanctos per fidem* (1).

Illud denique, in quo curas vestras diligenter versari cupimus, hoc est, ut quoniam, hisce maxime temporibus, ad perversas opiniones serendas moresque labefactandos diariis et ephemeridibus mali abutuntur, vestrarum esse partium existimetis eàdem via iisdemque uti rationibus; illi misere ad destructionem, vos sancte ad aedificationem. Valebit sane admodum, si homines scientia ac virtute praediti scribendo se dedant, quae vel in singulos dies vel statis temporibus in lucem prodeant; his enim, sensim et pedetentim disiectis erroribus, latius vulgabitur veritas, ac torpore languentes animi excitabuntur, fidemque, quam corde colunt ad iustitiam aperte profitendam, strenue tuendam suscipiant. Quae tamen emolumenta praeclara evenient, si eiusmodi scriptores officia accuraverint eorum propria qui pro causa optima dimicant. Scilicet, quod monuimus alias, ut, comite moderatione, prudentia, caritate, veri rectique principia tutentur firmiter, Ecclesiae iura sanctissima asserant, Sedis Apostolicae maiestatem illustrent, eorum qui rempublicam gerunt auctoritatem vereantur: in quibus tamen officiis, Episcoporum, ut aequum est, adamare ductum, consilia sequi meminerint. Ita, Venerabiles Fratres, perquam bonum existet praesidium quo populos vobis creditos a corruptis fontibus revocetis, ad salubres haustus adducatis.

Habetis igitur quae ex desiderio et consilio Nostro in vestris conventibus agitetis: nihil autem dubitamus certum vobis deliberatumque fore omnes curas conferre, ut optatis Nostris respondeatis. Quod ut ex communi voto cedat, caeleste praesidium imploremus, deprecatoribus adhibitis, una cum Immaculata Dei Matre Maria, Turibio Antistite sanctissimo ac Rosa Virgine quam Ecclesia primum Peruviae vestrae atque universae meridionalis Americae florem sanctitatis appellat.

Interea testem caritatis Nostrae, Venerabiles Fratres, ac divinorum munerum auspicem vobis universis, Clero populoque vestro benedictionem Apostolicam amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Maii anno MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

(1) Act. 26, 18.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Emum. Archiepiscopum Mechliniensem aliosque Episcopos Belgii quoad Athenaeum Lovaniense.

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. — Susceptum a Nobis multo ante propositum, ac saepe vobiscum et coram et per litteras communicatum, ut singulare istic Institutum esset doctrinae philosophicae Aquinatis ampliore quadam ratione et via tradendae, iam, Deo auspice, re ipsa effectum esse laetamur. Hoc Nos Institutum non sine causa fore censuimus peraptum iuventuti subsidium, ex quo, non clerici modo, sed complures alii, in omni disciplinarum munerumque curriculo, solidas utilitates referrent; idemque optavimus, collata etiam qua licuit pecuniae ope, novum extare testimonium praecipuae existimationis benevolentiaeque Nostrae erga insignem Universitatem studiorum Lovaniensem, cui nobilis inde amplificatio fieret dignitatis. A recta enim et pleniore christianae philosophiae institutione quantum laudis praestantiaeque ad lycea et academias accedat, nemo sane non videt: siquidem illa, praeter quam sollers doctrinae sacrae adiutrix, item doctrinis ceteris ipsisque bonis artibus sic nata est, ut eis, tamquam moderatrix sapientia, praesidii plurimum et incorrupti iudicii et utilis prudentiae afferre consueverit. At vero recte pleneque philosophari ii nimirum possunt qui in disciplina et ratione Scholasticorum diu sint multumque versati. Id Nosmet crebro graviterque monuimus, alias professi vobis, tanto meliorem disciplinarum fore rationem, quanto ad doctrinam Thomae Aquinatis propius accesserit; idque cum gaudio videmus latius quotidie atque uberius, praeiudicatis opinionibus veritati cedentibus, evenire. — In ipso igitur condendo opere et congruenti tuitione paranda, eluxit nempe, ut explorata spes erat, generosa Belgarum virtus, ad incrementa religionis et civitatis bonum semper alacris et effusa: maiorem vero in modum studia vestra eluxere, Venerabiles Fratres, qui consiliis votisque Nostris tam propensa obtemperastis voluntate. Libet autem nominatim commemorare dilectum filium Desideratum Mercier, antistitem urbanum, quem nascenti Scholae Thomisticae iustà vos fiducia praefecistis, quemque in eo munere auctoritate Nostra comprobatum, laudavimus Ipsi vobis a praestantia doctrinae philosophicae et ab eiusdem provehendae

sollertia. Ipse enim communi expectationi, docendo pariter et agendo, sic respondit fecitque satis, ut iam frequentiam et opinionem Instituto conciliaverit in dies maiorem. — Quod vero amplitudinem decebat Athenaei Lovaniensis et plane oportebat ad fructus habendos exquisitioris doctrinae, praescripta eiusdem Scholae eâ ratione, secundum optata Nostra, posita sunt, ut doctrina Aquinatis in disciplinas quoque physicas et naturales, in eaque studia quae vocantur socialia, vi sua copiosa influeret, eisdemque communiret viam tum ad multiplicem cavendum aetatis errorem, tum ad omnem veritatis progressionem certius consectandam. Cuius rei causâ, gratum est, providenter liberaliterque, ut aliis eramus litteris cohortati, aucta esse magisteria; quae vosmetipsi superiore anno, in conventu pridie calendas habito, dilectis filiis Deploige, De Wulf, Nys, Thiéry, viris egregiis, demandastis. Neque minus providenter opportuneque illud putamus, ab eo ipso Praeside, hortantibus vobis et faventibus, factum, ut Seminarium quoddam Instituto adiunctum excitaretur, in commodum et tutelam clericorum, qui sese dedant huiusmodi excellentiori philosophiae excolendos; quorum praecipue ex numero philosophiae in sacris Seminariis magistros deceat assumi.

Iamvero tam praeclaro operi tantaeque spei nunc Nobis in animo est veluti fastigium imponere, ipsum videlicet curis vestris, Venerabiles Fratres, rursus enixeque commendando, et nonnulla statuendo, quo melius ad perpetuitatem frugiferum suoque in honore permaneat. — Itaque volumus ut hoc *Institutum superius Philosophiae Thomisticae* adstructumque Seminarium sic habeatur, non tamquam Universitatis quiddam adscititium, sed immo uti pars quaedam ad eiusdem pertinens integritatem; atque eum locum obtineat, quem et pontificia eius origo et gravitas ipsa disciplinae omnino exposcunt. Quapropter eius Praeses in Consilium rectorale, ut aiunt, admittatur, eisdem quibus Decani Facultatum iuribus; Magistri autem in aliquam adlegantur ex Facultatibus Universitatis quae iam sunt, paribusque ac collegae iuribus et privilegiis eodemque Episcoporum patrocinio utantur. Quoniam vero huic Instituto peculiaris etiam est finis et suae quaedam propriae distinctaeque rationes, idcirco oportere ducimus, ut Magistri suos etiam seorsum habeant coetus, Praeside moderante. Potestatem autem eisdem et ius facimus, ut decernant de philosophiae gradibus, baccalaureatu,

licentia, laurea, deque superiore gradu cooptationis in Scholam S. Thomae tribuendis, accedente tamen Rectoris Universitatis comprobatione. — Quae omnia et singula iubemus rata et firma consistere, neve in posterum, iniussu Nostro vel successorum, de iis quidquam immutari. Mandamus praeterea ut leges et praescripta tum Instituti tum adnexi Seminarii opportune ad Nos, per sacrum Consilium studiis regundis, probanda, confirmanda deferantur.

Minime autem dubitamus quin Athenaeum Lovaniense, cuius in Nos atque in Apostolicam Sedem obsequium multa eaque egregia argumenta testantur, eidem Instituto, Nobis vel maxime accepto, opinione qua coepit et animo suffragari insistat. Utraque vero ex parte observantia et concordia, qua quidem stabiliendis educendisque rebus nihil est aptius, idemque publici boni studium ita certent optamus, ut in dies utrique decus augeatur et laborum honestissimorum ubertas. Sed in hoc ipso prudentiâ operaque vestra, Venerabiles Fratres, plurimum Nos posse confidere iampridem perspectum certumque habemus; quos enim res ipsa perstudiosos nacta est ad exoriendum fautores, eis profecto ad prospere consistendum patronis erit optimis laetatura. Hoc denique restat pientissimum votum, ut conditum Institutum Doctor ipse Angelicus, cuius nomine et tutela insigniter gaudet, benignâ in omne tempus gratia respiciat, sapientia et virtute sua illustret; quo praestite, communia consilia, opera, spes, perinde ecclesiae et civitati succedant feliciter. — Accedat a Deo larga praesidii copia ex Apostolica benedictione, quam Vobis, Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, eidem Instituto omnique Universitati, simulque Clero et populo curis vestris concredito effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum die VII mart. an. MDCCCXCIV, pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 18 Maii 1894. Allocutio SSmi. D. N. Leonis XIII.

Venerabiles fratres

Illud est maiorum consuetudine institutoque receptum, ut quae apud ecclesias orientales de Patriarchis eligendis suppleudisque agantur, ea commemorentur in hoc amplissimo Coetu vestro, atque solemni Pontificis comprobatione legitime confirmentur. Huius occasio rei valde Nos semper delectat, qui erga illas ecclesias, multis nominibus illustres, singulari quodam sensu caritatis afficimur; quique in populos Orientis curas non mediocres, inde a Pontificatus exordiis, contulimus, amplioresque conferre maxima animi contentione cupimus et studemus. — Hodierna die accidit gratum ut de Antiochena ecclesia Syrorum nonnulla alloquamur.

Antiochiae, celebri quondam urbi et copiosae, metropoli totius Orientis, praeclarissima ab Ecclesiae fastis memoria inhaeret; atque in ipsa et alumni fidei sanctae cognominati primum Christiani, et Beatissimus Petrus summi sacerdotii Cathedram, aliquandiu tenuit, et nobilis Antistitum ordo successit, quos inter Ignatius eminet Martyr. — Iamvero Antiochena Syrorum ecclesia ab anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo orbata erat Patriarcha suo, ob interitum Venerabilis Fratris Ignatii Georgii Schelhot; eamque Nos certis de causis prudentiae et fidei Venerabilis Fratris Cyrilli Behnam Benni, Archiepiscopi Syri Mausiliensis, administrandam commiseramus. Superiore autem anno, facta a Nobis potestate ut Episcopi syriaci ritus, Patriarchae eligendi causa, Mausulium in synodum convenirent, ibi reapse, die XII octobris, in cathedrali aede canonicum habuere conventum. Qui rite, concordissimis animis unàque sententia, eumdem Venerabilem Fratrem Cyrillum Behnam Benni, Patriarcham renunciaverunt: isque, ex veteri decessorum more, nomen sumpsit Ignatium, habuitque gratulationis et observantiae egregia testimonia privatim et publice oblata. Postea, ut par erat, suffragatores Episcopi et Patriarcha electus Nosmetipsos,

per litteras fidelissimi plenas obsequii, de gesta re certiores fecerunt, iidem flagitantes, ut electionem ipsam Apostolica auctoritate probare et confirmare vellemus. — Rem omnem quum Consilio Nostro fidei propagandae negotiis ritus orientalis praeposito cognoscendam, ut assolet, detulissemus, idem Consilium, tota facti ratione perpensa, supplicandum Nobis censuit, ut Antistitum Syrorum precibus benigne annueremus. Nec sane quidquam Nobis iucundius, quam id praestare posse in quo liceat simul et Antiochenae ecclesiae amplitudini atque incrementis favere, et fiduciam declarare Nostram eiusdem Venerabilis Fratris virtuti. Confidimus enim, omnino fore, ut, qui pastoralis sollicitudinis studiosaeque erga Ecclesiam romanam voluntatis edidit, plus iam sex lustra, laudata specimina, eo deinde impensius, cum dignitatis accessione, religionis causam apud gentem suam sustineat, provehat, atque boni pastoris partes uberiore in dies fructu, aspirante Deo, perficiat. Quapropter ipsius Venerabilis Fratris electionem seu postulationem ad Patriarchatum Antiochenum Syrorum probandam ratamque habendam existimavimus, eumdemque, in luculentius caritatis Nostrae testimonium, sacro pallio, de corpore Beati Petri sumpto, decorandum, ut exposcit, statuimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Syris factam de persona Venerabilis Fratris Cyrilli Behnam Benni, sanatis quatenus opus sit vitiis quaecumque electioni ipsi potuerint officere, probamus ratamque habemus, eumque solventes a vinculo, quo ecclesiae Mausiliensi Syrorum obstringitur, ad Patriarchalem Antiochenam ecclesiam Syrorum, omnibus cum privilegiis quibus decessores eius ab hac Apostolica Sede ornari consuevere, evehimus et promovemus, et Patriarcham ac Pastorem Syrorum, uti in decreto et schedula consistorialibus significabitur, constituimus et declaramus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

His igitur, quae ad orientalem spectat ecclesiam, peractis, mens est, Venerabiles Fratres, adlegere in perhonorificum Ordinem vestrum praestantes aliquot viros; quorum alii in episcopalibus muniis fungendis, alii in opera huic Apostolicae Sedi

navanda, virtutem, doctrinam, prudentiam, deditissimum Ecclesiae animum Nobis constanter probaverunt.

Hi autem sunt:

Andreas Steinhuber, sodalis Societatis Iesu, quem S. R. E. Cardinalem creavimus et in pectore reservavimus in Consistorio habito die XVI (decima sexta) Ianuarii anno MDCCCLXXXXIII (millesimo octingentesimo nonagesimo tertio);

Aegidius Mauri, sodalis Ordinis Dominicani, Archiepiscopus Ferrariensis;

Cyriacus Maria Sancha y Hervàs, Archiepiscopus Valentinus;

Dominicus Svampa, Episcopus Foroliviensis;

Andreas Ferrari, Episcopus Comensis;

Franciscus Segna, S. Romanae et Universalis Inquisitionis Assessor.

Quid Vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, publicamus S. R. E. Diaconum Cardinalem

ANDREAM STEINHUBER.

Praeterea creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

AEGIDIUM MAURI,
CYRIACUM MARIAM SANCHA Y HERVÀS,
DOMINICUM SVAMPA,
ANDREAM FEBRARI,

et Diaconum Cardinalem

FRANCISCUM SEGNA.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Post praefatam Allocutionem SSmus Pater proposuit sequentes Ecclesias:

Cathedralem Ecclesiam Sabinen. cum ei adnexo titulo Abbatialis Ecclesiae S. Mariae Farfensis, vacan. per obitum clar. me. Aloisii, dum viveret S. R. E. Cardinalis Serafini, ultimi illius Epi-

scopi apud romanam curiam defuncti, quam optare intendit Emus ac Rmus Dominus Marius Titulo S. Bartholomaei in Insula eiusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Mocenni, praedicto titulo Presbyterali dimisso.

Patriarchalem Ecclesiam Antiochen. Syrorum, vacantem per obitum bo. me. Ignatii Georgii Scelhot, ultimi illius Patriarchae, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Cyrilli Behnam Benni Archiepiscopi Mausilien. Syrorum, qui ab Antistibus catholicis eiusdem ritus in Ecclesia Cathedrali Syra Immaculatae Conceptionis Deiparae Mausilii congregatis, praeside R. P. D. Henrico Altmayer Archiepiscopo Babylonen. ac Delegato Apostolico in Mesopotamia aliisque regionibus, electus et postulatus, et more Antecessorum suorum Ignatii assumpto nomine.

Metropolitanam Ecclesiam Zagabrien. vacan. per obitum clar. me. Iosephi, dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Mihalovics, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Georgii Posilovic, Episcopi Seniensis, cui adnexa est administratio Sedis Modrusiensis.

Metropolitanam Ecclesiam Bisuntin. vacan. per obitum bo. me. Arthuri Xaverii Ducellier, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Fulberti Petit, Episcopi Aniciensis.

Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Nicaen. vacan. per assignationem Tituli SS. Nerei et Achillei, factam Emo ac Rmo Domino Aloisio S. R. E. Presbytero Cardinali Galimberti, favore R. P. D. Augusti Guidi, Presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus, et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, in philosophia, et sacra theologia, dudum doctorali laurea donatus, Philosophiae, Historiae, Literaturae Italicae, nec non Theologiae moralis ac Religionis sive in omnibus Gymnasiis, Censoris Academiae Religionis Catholicae, Exercitiorum piae operae penes Pontem Ruptum ac Instituti a Magistris piis Venerinis perfunctus est muneribus. Inter Sanctitatis Suae Domesticos Praesules, Maioris Praesidentiae Abbreviatores et Indicis Congregationis Consultores hucusque adscitus est. A Secretis Studiorum Congregationis, Academiae nobilium Ecclesiasticorum Pro-Praeses, Examinator vel Cleri Romani, vel Pro-Synodalis Portuensis ac S. Rufinae renuntiatus est.

Cathedralem Ecclesiam S. Severi vacan. per obitum bo. me. Bernardi Gaetani ab Aragona, ultimi illius Episcopi extra romanam

curiam defuncti, favore R. P. D. Stanislai de Luca Episcopi S. Marci et Bisianensis.

Cathedralem Ecclesiam Auximan. et Cingulan. invicem perpetuo canonice unitas, vacan. per translationem R. P. D. Aegidii Mauri ad Sedem Ferrariensem, favore R. P. D. Ioannis Baptistae Scotti Episcopi Calliensis ac Pergulani.

Cathedralem Ecclesiam Ragusin. vacan. per obitum bo. me. Matthaei Vodopic, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Marcelic, Episcopi titularis Tanensis et Apostolici Administratoris Catharensis.

Cathedralem Ecclesiam Anagnin. vacan. per obitum bo. me. Dominici Pietromarchi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Sardi, Presbyteri Sulmonensis. Qui legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Sulmonae ortus et in quadragesimo quinto aetatis suae anno constitutus, inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios supra numerum et Canonicos ornamentarios patriae Basilicae Cathedralis adscitus, Academiae Arcadiae socius adlectus est. Basilicae Vaticanae Beneficiarius et S. Rituum Congregationis Substitutus hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Sancti Angeli in Vado et Urbanien. invicem perpetuo canonice unitas, vacan. per obitum bo. me. Ioannis Mariae Maioli, ultimi illarum Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Baldassarri, Presbyteri Faventini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Faventiae progenitus et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, rethorices, philosophiae atque theologiae praecepta tradens in seminario prius Cathedralis Faventinae Canonicus adlectus, ibique principe Praepositurae dignitate donatus, Pro-Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Cremen. vacan. per obitum bo. me. Francisci Sabbia, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ernesti Fontana, Presbyteri Mediolanensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Mediolani progenitus et sexagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, in patriis seminariis perfunctus studiis, ibique litterarum, philosophiae ac theologiae praecepta tradens et sacro Presbyteratus ordine initiatus, Sociis Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis adiunctus, Consultor Sacrae Indicis Congregationis adlectus, Rector hucusque Pontificii Seminarii SS. Ambrosii et Caroli Romae renunciatus, inter Sanctitatis Suae Praesules Domesticos adscitus est.

Cathedralem Ecclesiam Massen. vacan. per translationem ad Sedem Ilcinensem R. P. D. Amilcaris Tonietti, favore R. D. Aemilii Mariae Miniati, Presbyteri Florentini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Florentiae progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Archidioecesano in suo seminario philosophiae Antecessorem agens, ac inter Pro-Synodales Examinatores adscitus, Canonicus prius, et hucusque Florentini Capituli Poenitentiarius primus renunciatus, Vicarius Capitularis Sede illa vacante, ibique Vicarius in spiritualibus Generalis ad praesens usque adlectus est.

Cathedralem Ecclesiam Pinerolien. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Mariae Sardi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Baptistae Rossi, Presbyteri Taurinensis archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco Caballarii Maioris, *Cavallermaggiore,* Taurinensis archidioeceseos progenitus, et in sexto supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus, Parochus hucusque in Castronovo Astensi archidioecesis Taurinensis renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Veglen. vacan. per obitum bo. me. Francisci Ferretic, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Andreae Sterk, Presbyteri dioeceseos Tergestinae ac Iustinopolitanae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Voloscae in Istria e dioecesi Tergestina ac Iustinopolitana progenitus, et in sexagesimo septimo aetatis suae anno constitutus, Vicarii choralis et Cooperatoris Tergestina in Cathedrali, ac Lausanae in Istria Parochi munere perfunctus, et hucusque Canonicus Decanus Parochus in Tergestina Cathedrali renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Anicien. vacan. per translationem R. P. D. Fulberti Petit ad Metropolitanam Sedem Bisuntinam, favore R. D. Constantis Ludovici Mariae Guillois, Presbyteri Rhedonensis archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, quem nuncupant *Mauron,* dioeceseos Venetensis progenitus et plures per annos vel in S. Vincentii Instituto, vel in maiori Rhedonensi seminario Professoris, ac Superioris muneribus perfunctus, eaque in Metropolitana Canonicus hucusque titularis renunciatus, tum Capitularis ea sede vacante, tum archidioeceseos Rhedonensis Vicarius in spiritualibus Generalis ad praesens usque constitutus est.

Cathedralem Ecclesiam Aurelianen. vacan. per promotionem ad Sedem Lugdunensem R. P. D. Petri Hectoris Coulliè, favore R. D. Ar-

thuri Stanislai Touchet, Presbyteri dioeceseos Baiocensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Soliers,* dioeceseos Baiocensis progenitus et quadragesimum sextum aetatis suae annum supergressus, vices Curati gerens in dioecesi Baiocensi, illiusque Capituli Canonicus titularis constitutus, tum Vicarius in spiritualibus Generalis pro archidioecesi Bisuntina, tum Vicarius Capitularis inibi ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Pictavien. vacan. per obitum bo. me. Augustini Huberti Juteau, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Henrici Pelgé, Parisiensis Presbyteri. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Lutetiae Parisiorum progenitus, et in quinquagesimo septimo aetatis suae anno constitutus, Vicarius Parochialis adlectus ad S. Bernardum, in Archiepiscopali curia a Secretis, et Vicarii in spiritualibus Generalis Parisiis ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Cenomanen. vacan. per translationem ad Sedem Rhedonensem R. P. D. Iosephi Guilelmi Labouré, favore R. D. Caroli Iosephi Ludovici Abel Gilbert, Presbyteri Lemovicensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *S. Michel-des-Lions,* dioecesis Lemovicensis progenitus et in quadragesimo quinto aetatis suae anno constitutus, Philosophiae Professor, ac dein Parochus loci vulgo dicti *Auzances,* suae dioecesis Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Ebroicen. vacan. per translationem ad Metropolitanam Sedem Chamberiensem R. P. D. Francisci Hautin, favore R. D. Ludovici Francisci Sueur, Presbyteri dioeceseos Artrebatensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, quem vulgo nuncupant *Campigneules,* dioeceseos Atrebatensis progenitus et in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus, a plurimis annis suae Atrebatensis dioeceseos Vicarius in spiritualibus Generalis ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Constantinian. vacan. per translationem R. P. D. Bartholomaei Clementis Combes ad metropolitanam Sedem Carthaginensem, favore R. D. Ludovici Henrici Julien Laferrière, Presbyteri Bellovacensis dioecesis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Lutetiae Parisiorum progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, Romae in seminario Gallico ad S. Clarae degens, Presbyteratus ordinem assequutus, et baccalaureatus gradu in sacra theologia penes universitatem

Gregorianam Societatis Iesu donatus, Antecessor prius philosophiae, dein Capellanus monialium atque puellarum collegii, nec non lycaei Santonensis adlectus et hucusque Canonicus Rupellensis renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Brugen. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Iosephi Fait, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri de Brabandere, Presbyteri dioeceseos Brugensis, et Sanctitatis Suae Praelati Domestici. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco, quem dicunt *Oyghem*, dioeceseos Brugensis progenitus, et in sexagesimo sexto aetatis suae anno constitutus, in iure canonico dudum Licentiae gradum assequutus, Brugensis dioeceseos Vicarii in spiritualibus Generalis officio perfunctus, eiusdem Brugensis Ecclesiae hucusque Archipresbyter, eaque sede vacante Vicarius Capitularis renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Metropolitan. sub Archiepiscopo Ephesino certo modo vacan., favore R. P. D. Ioannis Ponzi, Presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus, et sexagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, inter Almi Capranicensis Collegii alumnos adnumeratus, dein Vice-Rectoris et etiam Rectoris munere perfunctus, sacrae Rituum Congregationis Substitutus effectus est. Ab intimis cubiculis prius Sanctitatis Suae ac dein inter Eius Domesticos Praesules atque Abbreviatores maioris Observantiae adscitus, novissime Archibasilicae Patriarchalis Lateranensis Canonicus renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Arethusin. sub Archiepiscopo Apameno, vacan. per obitum bo. me. Ioannis Antonii Friderici Baudri, ultimi illius Episcopi extra romanam cariam defuncti, favore R. D. Gallicani Morgè, Presbyteri Praenestinae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Gallicani Praenestinae dioeceseos progenitus, et quinquagesimum primum aetatis suae annum supergressus, in suo dioecesano Seminario theologiae moralis et iuris canonica praecepta tradens, Rector et studiorum Praefecti muneribus ibidem perfunctus est. Examinator prosynodalis, Convisitator, pro-Vicarius Generalis, nec non Cathedralis Ecclesiae Archidiaconus hucusque renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Benden. sub Archiepiscopo Dyrrachiensi vacan. per obitum bo. me. Antonii de Stefano, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Uccellini, Presbyteri Ragusinae dioeceseos, qui in Apostolicum Administratorem Catharensis Ecclesiae deputatus est. Qui ex legitimis,

catholicis, honestisque parentibus in insula Media, *Mezzo,* et in loco, vulgo nuncupato *Lopud,* dioecesis Ragusinae in Dalmatia progenitus et quadragesimum aetatis suae annum supergressus, in centrali Seminario Iadrensi sacrae theologiae plures per annos ac ad praesens usque Antecessor renunciatus est.

Episcopalem Ecclesiam titularem Parien. sub Archiepiscopo Cyziceno vacan. per obitum bo. me. Marcellini Berardi a S. Theresia, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Claudii Bardel Presbyteri dioeceseos Claromontensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco *Thiers* nuncupato dioeceseos Claromontensis progenitus et quadragesimum tertium aetatis suae annum supergressus, in sua Claromontensi dioecesi Missionarium agens, illius Antistitis, eiusque curiae a Secretis et Vicarius Generalis adlectus, ad praesens autem Bituricensis Capituli Canonicus ornamentarius et inibi Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus est.

Metropolitanam Ecclesiam Bononien. vacan. per dimissionem emissam ab Emo ac Rmo Domino Seraphino S. R. E. Cardinale Vannutelli, eiusque optionem ad Sedem Suburbicariam Tusculanam, favore Dominici S. R. E. Presbyteri Cardinalis Svampa Antistitis Foroliviensis.

Metropolitanam Ecclesiam Mediolanen. vacan. per obitum bo. me. Aloisii Nazari de Calabiana, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore Andreae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ferrari, Antistitis Comensis.

Archiepiscopalem Ecclesiam Camerinen. cui adnexa est perpetua administratio Episcopalis Ecclesiae Treien. vacan. per obitum bo. me. Felicissimi Salvini, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Coelestini del Frate, Episcopi Tiburtini.

Archiepiscopalem Ecclesiam Amalphitan. vacan. per obitum bo. me. Francisci Maiorsini, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Henrici de Dominicis, Marsorum Antistitis.

Metropolitanam Ecclesiam Burgen. vacan. per obitum bo. me. Emmanuelis Gomez-Salazar, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Gregorii Mariae Aguirre et Garcia, Episcopi Lucensis.

Metropolitanam Ecclesiam S. Iacobi de Cuba in America Meridionali vacan. per translationem R. P. D. Iosephi Mariae de Cos

et Macho ad Sedem Matritensem-Complutensem, favore R. P. D. Francisci Saenz de Urturi et Crespo, Episcopi Pacensis.

Cathedralem Ecclesiam Pacen. vacan. per translationem R. P. D. Francisci Saenz de Urturi et Crespo ad metropolitanam Sedem S. Iacobi de Cuba, favore R. P. D. Raymundi Torijos et Gomez Episcopi Nivarien. seu S. Christophori de Laguna.

Cathedralem Ecclesiam Guadixen. vacan. per obitum bo. me. Vincentii Pontes et Cantelar, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Maximiani Fernandez del Rincon et Soto, Epi Terulensis, Administratoris Apostolici Albarracinensis.

Cathedralem Ecclesiam Derthusen. vacan. per obitum bo. me. Francisci Aznar et Pueyo, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Petri Rocamora et Garcia Presbyteri dioeceseos Oriolensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Granja de Rocamora,* dioeceseos Oriolensis progenitus, et sexagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Parochum pluribus in locis ac praesertim in *Elche* agens, Cathedralis Capituli Oriolensis Canonicus hucusque Poenitentiarius renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Caurien. vacan. per translationem ad Sedem Zamorensem R. P. D. Aloisii Philippi Ortiz et Gutierrez, favore R. D. Raymundi Peris et Mencheta, Presbyteri Valentinensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Valentiae progenitus et quadragesimum tertium aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia ac iure canonico dudum doctorali laurea insignitus, paroecialis Ecclesiae de Cullera Vicarium aliquando agens, Canonicus metropolitanae Valentinensis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Lucen. vacan. per translationem ad Metropolitanam Sedem Burgensem R. P. D. Gregorii Mariae Aguirre et Garcia, favore R. D. Benedicti Murna et Lopez, Presbyteri Matritensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, quem vulgo nuncupant *Algete,* dioeceseos Matritensis progenitus et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia, in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, Parochum-Oeconomum prius in *Ojebas,* et postea in *Castro Urdiales* Curionem agens, Gaditani seminarii Antecessor adlectus et hucusque in Gaditana Ecclesia Archipresbyteri dignitate cohonestatus, eiusdem dioecesis Vicarius in spiritualibns Generalis renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Terulen. vacan. per translationem R. P. D. Maximiani Fernandez del Rincon et Soto ad Sedem Guadixensem, favore R. D. Antonii Estalella et Sivillá Presbyteri Barcinonensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Villafranca del Panadés,* dioeceseos Barcinonensis progenitus et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, in utroque iure doctorali laurea dudum donatus, Barcinonae iuris utriusque praelectiones tradens, ibique tum Provisor aliquando adlectus, tum Canonicus hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Nivarien. seu S. Christophori de Laguna vacan. per translationem ad Sedem Pacensem R. P. D. Raymundi Torrijos et Gomez, favore R. D. Nicolai Rey Redondo, Presbyteri, archidioeceseos Burgensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Melgar de Fernamental,* archidioeceseos Bulgensis progenitus, et sexagesimum aetatis suae annum supergressus, in utroque iure doctorali laurea donatus, Toletanae, atque Burgensis archidioeceseos Fiscalis Generalis ecclesiastici muneribus perfunctus, et hucusque Metropolitanae Ecclesiae Burgensis Thesaurarii dignitate cohonestatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Augustan. sub Archiepiscopo Tarsensi, favore R. D. Ernesti Angiulli, Presbyteri Neapolitani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitus et in quadragesimo quarto aetatis suae anno constitutus, Directoris Sororum a Bono Pastore munere perfunctus, inter Sanctitatis Suae Cubicularios ad honores extra Urbem adscitus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Samien. sub Archiepiscopo Ephesino, vacan. per translationem R. P. D. Iulii Tonti ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Sardianam, favore R. D. Angeli Mariae Meraviglia Mantegazza, Presbyteri Mediolanensis deputati in Auxiliarem Eñi ac Rñi Domini Andreae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ferrari Archiepiscopi Mediolanensis, qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Mediolani progenitus, et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia, atque iure canonico dudum Doctoris laurea donatus, praedefuncti Antistitis Mediolanensis, vel qua Pro-Vicarius Generalis, vel qua Generalis Vicarius constitutus, ipsoque vita functo Vicarius Generalis Capitularis ad praesens usque renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Domitiopolitan. sub Archiepiscopo Seleuciensi, vacan. per obitum bo. me. Adriani Petri Simon, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore P. D.

Iosephi Raymundi Quesada et Cascon, Presbyteri Prioratus Cluniensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate, quam vulgo nuncupant *Almagro* e Prioratu Cluniensi progenitus et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia ac iure canonico doctorali laurea dudum donatus, Parochi in *Daimiel,* ac alibi munere perfunctus, Antecessor atque tum Valentiae, tum Toleti ad praesens usque Provisor constitutus, et Dignitas Cappellani Maioris Mozabrum Toletana in Metropolitana hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Sancti Hippolyti vacan. per obitum bo. me. Matthaei Binder, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Roessler, Presbyteri dioeceseos Sancti Hippolyti. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia, quam vulgo *Schrems* nuncupant, dioeceseos S. Hippolyti progenitus ac tertium supra quadragesimum aetatis suae annum supergressus, in philosophia et sacra theologia dudum Romae doctorali laurea donatus, animarum curae addictus pluribus annis, in seminario Episcopali sacrae theologiae Antecessor atque Rector adlectus est. Romae in Collegio Theutonico Directoris alumnorum S. Hippolyti munere perfunctus, tum inter pro-synodales Examinatores, tum inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios supranumerarios, tum inter Canonicos Capitulares S. Hippolyti adscitus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Zelen. sub Archiepiscopo Amaseno, certo modo vacantem, favore R. D. Hermanni Iosephi Schmitz, presbyteri Coloniensis, deputati etiam in Suffraganeum vel Auxiliarem deputati Eñi ac Rñi Domini Philippi S. R. E. titulo S. Crysogoni, Presbyteri Cardinalis Krementz, Archiepiscopi Coloniensis. R. D. Hermannus Iosephus Schmitz, ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Coloniae progenitus et in quinquagesimo quarto aetatis suae anno constitutus, tum in sacra theologia, tum in iure canonico doctorali laurea donatus, Cooperatoris munere perfunctus, hucusque Ecclesiae S. Dionysii in civitate *Crefeld* suae archidioeceseos Parochus renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Neben. sub Archiepiscopo Bostrensi certo modo vacantem, favore R. D. Friderici Iusti Knecht, presbyteri archidioeceseos Friburgensis, in Auxiliarem vel Suffraganeum deputati R. P. D. Ioannis Christiani Roos, Archiepiscopi Friburgensis. R. D. Fridericus Iustus Knecht, ex legitimis honestisque parentibus in civitate vulgo *Bruchsat* archidioeceseos Friburgensis progenitus et in quinquagesimo quinto aetatis suae anno con-

stitutus, sacrae theologiae lauream dudum assequutus, animarum curae addictus, Visitatoris archiepiscopalis scholarum, Commissarii ecclesiastici, Examinatoris pro-Synodalis, Directoris societatis tertii ordinis S. Francisci et Praesidis dioecesani operis S. Bonifacii muneribus perfunctus, huc usque Canonicus Metropolitanae Ecclesiae Friburgensis renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Basilinopolitan. sub Archiepiscopo Nicomediensi vacan. per obitum bo. me. Francisci Eugenii Lyons, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Caroli Schrod, Presbyteri dioecesis Trevirensis in Suffraganeum vel Auxiliarem deputati R. P. D. Michaelis Felicis Korum Antistitis Trevirensis. R. D. Carolus Schrod ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago, cui vulgo nomen *Bickendorf* dioeceseos Trevirensis progenitus ac tertium supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, Antecessor in suo clericali seminario constitutus, in dioecesibus Mechliniensi, Leodiensi et Lussemburgensi variis officiis perfunctus est; in patriam redux Professorem et vices Superioris eiusdem seminarii agens, tum Consiliarius Episcopi tum Cathedralis Trevirensis Canonicus hucusque renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Amyzoniensem sub Archiepiscopo Stauropolitano, vacan. per obitum bo. me. Ignatii Ibañez ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Pii Caietani Secundi Stella, presbyteri dioecesis Montisvidei, in Auxiliarem deputati R. P. D. Mariani Soler, Episcopi Montisvidei. R. D. Pius Caietanus Secundus Stella, ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in pago vulgo *Paso del Molino,* dioeceseos Montisvidei progenitus et in trigesimo septimo aetatis suae anno constitutus, alumnis Collegii Pii Latini Americani Romae adiunctus, ibique presbyteratus ordinem ac philosophiae et sacrae theologiae Doctoris lauream dudum assequutus, paroeciam administravit B. M. V. de Monte Carmelo in loco vulgo *Cordon,* quam dein resignavit. Postremis temporibus in officio Fiscalis ecclesiastici prius versatus, quasdam dein rurales paroecias sibi ad tempus commissas sedulo administravit.

Cathedralem Ecclesiam Astoricen. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Gran et Vallespinos; ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Vincentii Alonso et Salgado e dioecesi Auriensi Presbyteri Scholarum Piarum Matris Dei. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco de *Quiroganes*

dioecesis Auriensis progenitus et quadragesimum nonum aetatis suae annum supergressus, Scholarum Piarum Matris Dei institutum amplexus, sacerdotali gradu dudum donatus ad ecclesiasticas functiones obeundas sedulo incubuit et in theologica facultate Antecessorem agens naviter emicuit.

Cathedralem Ecclesiam Tuden. vacan. per obitum bo. me. Ferdinandi Hüe et Gutierrez, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Valeriani Munendez Conde Episcopi Tamasensis.

Cathedralem Ecclesiam de Portorico in America Septemtrionali vacan. per obitum bo. me. Ioannis Antonii Puig et Monserrat, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Fr. Toribii Minguella et Arnedo a Virgine de Mercede, Presbyteri Calaguritanae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Ygea Calaguritanae dioeceseos progenitus et octavum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, Sodalibus Eremitarum Ordinis Excalceatorum S. Augustini adiunctus, aliquibus in locis Curionem agens, Commissarii Procuratoris et Sui Ordinis Vicarii Provincialis pro Missionibus Philippinis muneribus perfunctus est.

Metropolitanam Ecclesiam Rothomagen. vacan. per obitum clar. me. Leonis Benedicti Caroli S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Thomas, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Guilelmi Mariae Romani Sourrien Episcopi Catalaunensis.

SSmus per Suas Litteras in forma Brevis declaravit sequentes Ecclesias:

Ad Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Achridanam transtulit R. P. D. Raphaelem d' Ambrosio Archiepiscopum Dyrrachiensem.

Ad Ecclesiam titularem Nazianzenam evexit R. P. D. Beniaminum Cavicchioni Archiepiscopum Amidanum.

Tomitanum Archiepiscopum titularem renuntiavit R. P. D. Ioannem Baptistam Salpointe, Archiepiscopum S. Fidei.

Pro Sede Bukarestiensi constituit Archiepiscopum R. P. D. Otonem Zardetti, Episcopum S. Clodoaldi.

Antistitem Belemensen. de Para R. P. D. Hieronymum Thomé da Silva transtulit ad Metropolitanam S. Salvatoris in Brasilia.

S. Sebastiani Fluminis Ianuarii Archiepiscopum constituit

R. P. D. Ioannem Ferdinandum Iacobum Esberard Olindensem Episcopum.

Dynachiensem Sedem Metropolitanam contulit R. D. Primo Bianchi.

Cathedralem Wayne-Castrensem assignavit R. P. D. Iosepho Rodemacher Episcopo Nashvillensi.

A titulari Ecclesia Apolloniensi ad Sedem Cathedralem Xylopolitanam transtulit R. P. D. Alphonsum Glorieun.

Pro Olindensi Cathedrali constituit Antistitem R. P. D. Emmanuelem dos Santos Pereira titularem Episcopum Eucarpiensem.

Infulâ S. Hippolyti ditavit R. D. Ioannem Roessler Sanctitatis Suae ab intimis cubiculis supra numerum.

Nichteronensem Episcopum constituit R. D. Franciscum do Rego Moia, Olindensis Capituli Canonicum.

Ad Sedem Parhybensem promovit R. D. Adauctum Amelium de Miranda Henriques, Olindensem Canonicum.

Curytubensem de Parava Sedem assignavit R. D. Iosepho de Camargo Barros ad S. Hiphygeniae in urbe S. Pauli Curioni.

Ad Sedem Amazonum promovit R. D. Iosephum Laurentium da Costa Aguiar Capituli Belemensis de Para Canonicum.

Episcopum Ecclesiae Dallassensis effecit R. D. Eduardum Dunne Chicagiensi in urbe Rectorem Ecclesiae Omnium Sanctorum.

Ad Serbroochiensem Sedem evexit R. D. Paulum Stanislaum La Rocque, Canonicum poenitentiarium S. Hiacynthi.

Cathedrali Orachensi praefecit R. D. Henricum Wasselon.

Candidae Casae Episcopum effecit R. D. Guilelmum Turnes.

Sedi Iafnensi praefecit R. P. Henricum Ioulain.

Episcopum Nagporensem effecit R. D. Carolum Pelvat.

Cathedrali Ecclesiae Hartfortiensi providit de R. D. Michaele Fierney.

Providit Sedi Whelingensi de R. D. Patritio Donalme.

Episcopum Cliftoniensem constituit R. D. Gulielmum Blownlow.

Ad Sedem Albanensem in America promovit R. D. Thomam Burke.

Titulari Ecclesiae Acmoniensi praefecit R. D. Iosephum Carroll Coadiutorem cum futura successione Episcopi Salopiensis.

Episcopum Thurritanum constituit R. D. Georgium Montgomery Coadiutorem Episcopi Montereyensis et Angelorum.

Zelensi titulari Ecclesiae praefecit R. D. Hermannum Iosephum Schmitz Suffraganeum seu Auxiliarem Archiepiscopi Coloniensis.

Nebensem Episcopum effecit R. D. Fridericum Iustum Knecht suffraganeum seu Auxiliarem Archiepiscopi Friburgensis.

Trocmadarum Episcopum constituit R. D. Ioannem Maguire, Auxiliarem Archiepiscopi Glasguensis.

Ad Ecclesiam titularem Episcopalem Basilinopolis promovit R. D. Carolum Schrod Suffraganeum vel Auxiliarem Episcopi Trevirensis.

Amyzoniensem Episcopum constituit R. D. Pium Caietanum Secundum Stella Auxiliarem Episcopi Montisvidei.

Selgensem Episcopum constituit R. D. Antonium Mariam Iosephum Usse Vicarium Apostolicum Birmaniae septentrionalis.

Calvensi titulari Ecclesiae proponit Episcopum R. D. Iulianum Mariam Donaud Vicarium Apostolicum Se-Cinensis occidentalis in Sina.

R. P. Caesarium Schang deputatum Vicarium Apostolicum Scian-Tom Orientalis in Sina praefecit Ecclesiae titulari Ecclesiae Vagensi.

Pinarensem Episcopum effecit R. P. Ezechielem Moreno, ex Ordine Exalceatorum S. Augustini.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 24 Februarii 1894

Sess. 24 cap. 5 De reform. matr.

Compendium Facti. Magdalena Deslandes, dum erat 17 annorum et penes moniales a SS. Corde degebat, quibus pater instituendam tradiderat, a patre in matrimonium destinata fuit cuidam comiti Mauritio Fleury. Restitisse se plurimum affirmavit puella, et pater ipse et testes omnes eidem assentire videntur; verum ob minacem patris auctoritarii ac violentissimi voluntatem, qui ei e domo paterna expulsionem, detrusionem in monasterium ac intollerabilem reddere domesticam coha-

bitationem interminabat, et aliquando, ut actrix et nonnulli asserunt, eam verberaverat et mortem minitaverat, tandem animum flexisse, ait. Matrimonii civilis ritus celebratus est Parisiis die 13 Septembris 1884; ecclesiasticae nuptiae biduo post, die scilicet 15 Septembris anni 1884 in ecclesia parochiali SSmae Trinitatis, eiusdem civitatis, post unicam bannorum publicationem, ceteris dispensatis.

Eodem die quo nuptiae initae fuerant, sponsi pro recepto more, voluptuarium iter aggressi sunt, et Biarritz petierunt, ubi breve domicilium habuerunt. At haud feliciter. Statim enim discordia, iurgia, contentiones, aversio exarserunt. Neoconiuges nunquam eodem cubiculo usos fuisse, asserunt; at Magdalena decem contubernii diebus transactis, pressa viri insistentia, coacta rei uxoriae quater vel quinquies tantum operam dedit, et mater facta est.

Infelicissima haec vita, mulieri praesertim cuius odium in dies excrescebat, usque ad annum 1890 perduravit, quo labente Mauritius laicum tribunal adivit, atque allegans uxorem debitum coniugale absolute semper negavisse et negare, separationem corporis obtinuit. Separatio vero bonorum iam antea a Magdalena obtenta erat, cum Mauritius omnia bona sua dissiparet.

Biennio elapso a dissociata cohabitatione, mense nempe Novembris 1892, mulier ad dissolvendum coniugium Archiepiscopo Parisiensi epistolas mittebat, in quibus nullum ex capite vis et metus declarari matrimonium suum postulabat.

Emus Archiepiscopus Parisiensis die 25 Novembris eiusdem anni pro causa huiusmodi cognoscenda iudicem delegavit, Vicarium suum generalem, simulque deputavit sacramenti vindicem et actuarium.

Iuramento ab iis praestito, iudex delegatus actricem, eius patrem, virum nec non octo testes ab ipsis inductos accersivit et audivit; alios tres per Ordinarium Coloniensem et Niciensem excuti curavit; et perpensis defensoris vinculi et actricis argumentis atque allegationibus, ad sententiam de-

venit, et matrimonium nullum ex capite vis et metus declaravit. At cum defensor vinculi appellavisset, ad S. C. C. causa delata est, et hac die proposita fuit sub dubio in calce excripto.

Disceptatio Synoptica

Defensio mulieris. Advocatus suam allegationem in quinque capita dispescit: atque in 1°, ad examen revocans personas, quae versantur in causa, agit in antecessum de honestate et credibilitate testium; ac notat quod testes inducti, praeter patrem et virum actricis, sunt eiusdem mulieris germana, et levir, baro d' Oppenheim avunculus, Ioanna Scribot de Bons affinis, sacerdos Joly a sacris et confessarius in domo religiosa, in qua mulier commorata fuit, superiorissa eiusdem domus, advocatus Denormandie consobrinus viri, comitissa Malvezzi, et marchionissa de Tallenay actricis amica, ac tandem cubiculariae Maria Pauly et Christina Marner, quos omnes commendant legitima singulorum probatio, praeclarum officium, ac aetas provecta; ideoque quamvis suspicionem a testibus avertendam, eorumque dictis plenam fidem adhibendam tuto fore contendit.

Porro in casu undecim sunt testes, quibus pater ac vir adiici posset, omnes fide digni et cum coniectura, id est, cum indiciis, factis et adminiculis pluribus de metu deponentes: insuper universi omni exceptione maiores, cum nec soror, nec forte pater aliqua exceptione repelli possit. Nam in matrimonialibus causis consanguinei et familiares non habentur suspecti ex clara praescriptione *cap. Videtur nobis 7 De iis qui matrim. acc.*, quia, ut observat Rota apud Farinacium, *dec. 147, num. 10.* « obiecta domesticitas non minuit, sed potius auget fidem testis in hac materia, ratione praesumptae scientiae et veritatis ».

Deinde patronus de Magdalenae eiusque patris indole disserens, ait, omnes testes affirmare, Magdalenae patrem, virum honestum ac religiosum fuisse; at auctoritarium, violentissimum, sui propositi tenacissimum ac proclivem ad iram

si contradicebatur. Filiam minime diligebat ac ei dominabatur quin ipsa contradicere posset. Avia vero paterna actricem odio habebat.

Vicissim actrix bona indole, et ingenii acumine praedita, sed patrem pertimescens describitur a Ioanna Scribot de Bons, a Comitissa Malvezzi et propria sorore germana. Quod iisdem verbis unanimiter confirmant ceteri omnes testes. At imo ipse pater actricis cogitur fateri « était (filia) d'un caractère plutot craintif, semblait me redouter ».

Ex huiusmodi igitur depositionibus, evidentissime constare, Magdalenam patrem maxime pertimescere, confidit patronus; et ideo ad secundum transvolat orationis caput, in quo ostendere nititur ex concordi testium depositione, praecipuam rationem, cur pater ad nuptias cum Mauritio filiam adegerit, ex eo repetendam esse, quia parum illam amabat, et ideo optabat, ut quamprimum e sua domo abiret.

Sane actrix iurata fatetur: « Le motif de mon père était, de se débarasser de moi. Ma grande mère me détestait. Les raisons de mon père étaient, qu'il ne voulait plus me garder. »

In tertio orationis capite ostendit patronus in primis Magdalenam animum habuisse a Mauritio prorsus alienum. « Mr. Fleury ne me plaisait pas;... j'ai dit (patri) que je ne voulais pas me marier. Plus tard j'ai déclaré à mon père que Mr. Fleury ne me plaisait pas ». Causa vero huius aversionis haec erat: « Ce qui me choquait, ait ipsa, chez Mr. Fleury c'étaient ses vulgarités, son inintelligence, son zézaiement ». Nihilominus patrem metu incusso, ac illata coactione in id adlaborasse, ut filiam ad has nuptias conduceret. Profecto haec habet ipsa actrix: « J'ai toujours eu peur de mon père. Mon état d'esprit au moment, où je sortais du couvent me faisait tellement trembler que, quand il m'ordonna le mariage, je cédai. Il me traitait avec des paroles outrageantes... Mon père et la mère de mon père ont exercé pression sur moi pour amener ce mariage.... Ma grand'mère me détestait ». — Mon père m'a frappée, m'a même menacée d'un pistolet, si je ne consentais pas au mariage, mon père dé-

sirait ainsi se procurer pour lui-même une plus grande liberté ».

Nec pater diffitetur coactionem erga filiam adhibuisse; ait enim : « Lorsqu'elle etait au Sacré-Cœur les circonstances me parurent favorables pour prendre moi-même la responsabilité et la marier, avant qu'elle ne pût échapper à mon autorité. Elle me repondit avoir de la repugnance pour le mariage, j'attachai peu d'importance à ses dires.... Quelque temps après je présentais Monsieur Fleury à ma fille, à laquelle je faisais cette double obligation ; — choisir ou le mariage ou le couvent. — Ma fille m'a toujours déclaré qu'elle ne voulait pas se marier. Je crois que ma fille n'a pas contracté mariage librement, mais qu'elle a accepté le mariage par suite de la pression exercée sur elle. — Une fois j'ai suffleté ma fille, parce-qu'elle me resistait sur son mariage. » Testes omnes, alias citati, haec eadem omnes confirmant.

Quamplurimas alias testium depositiones ad suum assertum comprobandum allegat orator. Tandem affert partem duarum epistolarum, quas actrix ad aviam maternam transmisit, in quibus ante nuptias de coactione a patre sibi illata gravissime conqueritur ; simulque partem alterius epistolae a puellae patre ad eandem aviam missae, in qua aperte fatetur, se filiam ad nuptias adigere, et illius repugnantiam prorsus irridere.

Hisce in facto relatis, recolit patronus in 4° orationis capite ea quae sequuntur in iure ac praemittit, extra controversiam esse, consensum, metus causâ datum, absolute invalidum ab initio haberi. Et iure merito, quia cum matrimonium semel validum amplius non sit dissolubile, hinc ad individui libertatem tutandam et ad passam iniuriam ab eo avertendam non aliud suppetere potest remedium, quam hoc, ut nempe matrimonialis consensus, metus causa editus, nullus initio declaretur ac sit, et persona sub metu agens incapax omnino ad matrimonialem consensum habeatur.

Quo stante nihil refert inquirere, utrum persona metum

passa ore loquuta sit, corde tamen non consenserit. Imo supponitur consensisse; et in hac hypothesi ad irreparabilem ab ea avertendam iacturam et in iustissimae libertatis tutelam, provida lex constituit, ut huiusmodi consensus sub metu datus, nullus et inanis ab initio censeatur ac sit.

Imo, observat patronus, cum per matrimonium non res aliqua, sed ipsum corpus ipsaque individui libertas alteri tradatur, iam maior libertas in matrimonio contrahendo requiritur, quam in ceteris contractibus. Ita uno ore DD., quos inter Sanchez *lib. 4, disp. 6, n. 2,* Consci *lib. 1, cap. 8, n. 38,* iuncto iure in *cap. Cum locum, De spons.*

Attamen, sequitur orator, non quilibet incussus metus sufficit ad matrimonialem consensum irritandum; sed requiritur metus gravis, ab externo, iniuste et directe incussus ad consensum extorquendum. Porro in casu de quo agimus, metum fuisse gravem, ab externo, iniuste et directe ad extorquendum consensum incussum, id evidens per se esse, ait orator. Gravem autem fuisse non difficulter probatur. Sane inter diversa criteria quae iurisperiti proponunt ad metum gravem dignoscendum, clar. Gasparri, *De matrimonio vol. 2, n. 814,* tradit: « Metus gravis seu gravis mentis trepidatio, de facto verificatur, quando malum instans vel futurum, grave est pro illa persona, quae nempe illud facile sustinere non posset, et simul persuasum habeat illud revera sibi imminere ».

Porro prohibitio invisendi maternam aviam, quam actrix orbata matre, ferventi amore prosequebatur, comminatio publici scandali, eiectionis e paterna domo et detrusionis in monasterium, convicia, verberationes revocare in memoriam miserrimam mortem matris, et minitari ipsam eâdem ratione obituram fore; demum, ut alia omittamus, intolerabilem reddere domesticam cohabitationem, haec omnia, singillatim etiam sumpta, pro pavida puella septemdecim annorum, malum in se grave constituunt. Et insuper in themate cum ageretur de patre obstinato ingenio, superbo et imperioso animo, qui filiae bono certissime consulere putabat, « si je la

force à se marier c'est pour son bien, » quique filiae repugnantiam flocci faciebat, et facillimus ad iracundiam erat si contradiceretur, et ad exequenda sua proposita tenacissimus, comminata mala, morali certitudine imminebant. Nec admitti potest, comminati mali periculum in vana aut levi Magdalenae aestimatione fuisse. Marchionissa enim de Tallenay, cui testes omnes consonant, ait: « Mr. Deslandes a une volonté de fer et un caractère des plus violents... me répondit qu'il était le père et avait le droit d'imposer un mariage à sa fille ».

Et eo minus tradi potest libertatis amissionem leve quid esse; imo maximum malum absolute esse, nedum recta ratio, sed ipsamet iura proclamant, *L. Ego puto ff. De his qui vi etc.* iuncta Rota *dec. 374 cor.* Ludovisio et Gasparri *op. cit. n. 815.* Quod magis verificari debebat in aestimatione vivacis nobilisque puellae, quia « etiam qualitas personarum attendenda videtur; minor enim metus sufficit in femina quam in viro ». Reiffenstuel *tit. De his quae vi metusve etc. n. 79* et cum eo Sanchez, *De matrim. lib. 4 disp. 3, n. 2,* Vecchiotti *t. 3, n. 176,* ac passim omnes.

Nec sufficit; sed orator ex actricis et testium depositionibus demonstrare nititur a patre ad consensum extorquendum etiam occisionis comminationem adhibitam fuisse.

Sed, ceteris omissis, patronus prae oculis ponit Instructionem S. R. et U. Inquisitionis ad Episcopos Orientales editam anno 1883, quae docet, quod « gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur; » et exinde singulas recenset circumstantias quae ad gravis metus aestimationem requiruntur, nempe diuturna et importuna vexatio, gravitas minarum, ut eiectio e paterna domo, haereditatis privatio; auctoritas et pertinacia terrentium, eorumque prompta iracundia et violentia; fragilitas demum, inexperientia, indoles patientis: quae circumstantiae cum amussim verificentur in themate, dubitari non posse, quominus gravis metus illatus Magdalenae non fuerit, concludit orator.

Sed praeter timorem simpliciter gravem, contendit insuper haberi etiam in casu et gravem metum reverentialem, quo nuptiae aeque irritantur.

Nomine metus reverentialis, iuxta communiorem Canonistarum acceptionem, venit in primis ipsa reverentia parentibus aut superioribus debita; quam tamen, si sit sola, dicunt non sufficere ad matrimonium irritandum. Ita observat orator Card. D'Annibale, *vol. 1, p. 104, not. 14,* tradidisse, reverentiam erga parentes ex se sola metum reverentialem immerito vocari, « quia metus sine periculo alicuius damni non intelligitur ». Itemque, ubi minae vel saevitiae ex parte parentum intercedunt, metum nedum reverentialem, sed simpliciter talem haberi. Unde timorem reverentialem, tunc proprie et unice haberi, cum aliquis indignationem superioris metuit, licet absint verbera et minae. Nam haec parentum seu superiorum indignatio « profecto malum est; et si gravis et diuturna sit, malum grave, adeoque et metus gravis, non immerito existimatur ».

Quod autem importunae preces et instantiae parentum coniunctae cum timore ac obsequio eorumdem gravem metum constituant, ad irritandum matrimonium sufficientem, communis est Canonistarum sententia. Sane ita expresse Reiffenstuel ad *tit. De regularit. etc. n. 265;* ac ipsemet austerus Antoine in *tract. de Matr. c. 39, 3, n. 7,* ad quaestionem, quam sibi proponit, utrum, scilicet, preces importunae, ac saepius repetitae, metum sufficientem ad infirmandum matrimonium incutiant, respondet: « Affirmative... si « hae duae impulsiones concurrant, videlicet hominis (rogan- « tis) auctoritas et precum importunitas ». Cui consonant ex recentioribus de Angelis, Santi, Gasparri, Vecchiotti aliique communiter.

Quae Doctorum sententia, ait orator, nedum rationi et aequitati innititur, sed etiam clarae iuris dispositioni. Nam est iuris adagium *L. Velle ff. De reg. iur.*, « quod velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini ». Unde in *L. 1 ff. Quarum rerum actio,* § *Quae onerandae,* irrita

declaratur promissio liberti domino facta, « si liquido appareat, libertum metu solo, vel nimiâ patroni reverentiâ ita se subiecisse ».

Iamvero in themate, prosequitur patronus, pater puellam terruit imperio: « En 1884 mon père, ait actrix, quae adhuc in monasterio degebat, m'a ordonné le mariage avec Monsieur Fleury ; il ne me l'a même jamais proposé... J'avais repugnance pour le mariage... J'ai declaré à mon père que Mr. Fleury ne me plaisait pas... J'ai toujours eu peur de mon père. Mon état d'esprit au moment où je sortais du couvent me faisait tellement trembler, que, quand'il m'ordonna le mariage, je cédai; » terruit dura agendi ratione. Haec omnia confirmat orator plurium testium depositionibus.

Quibus omnibus si iungantur minae, vexationes, auctoritas et ingenium patris, cuius voluntati nemo resistere poterat, inexperientia adolescentulae septemdecim annorum, facile iuxta patronum intelligitur, libertatem ad tantum consensum requisitam, omnino peremptam fuisse.

Quod magis confirmat in postremo orationis capite, ubi iuxta S. R. et U. Inquisitionis instructionem, ad examen revocat quae matrimonium praecesserunt, comitata et subsequuta sunt.

Cohaerenter ad haec singulas facti circumstantias orator recensens, recolit, Magdalenam dum habebantur tractatus matrimoniales, nedum restitisse et reclamavisse, sed et saepius flevisse.

Ulterius pater, ut socrus operà vinceret filiae repugnantiam ad ineunda sponsalia, mense Iulio 1884 apud eandem Coloniam eam duxit et Mauritium illuc accersivit. Reapse sponsalia inita fuerunt, quoniam puella animum sese opponendi non habuit, ne affligeret ulterius aviam, iam cordis morbo laborantem.

Magadalena tamen, prosequitur patronus, deprecata est aviam maternam et marchionissam de Tallenay, ut patrem a suo proposito removerent. Sane labente mense Augusto 1884, scribebat ad suam aviam: « Grande maman, ne pourrais-tu

pas encore maintenant empêcher ce mariage détesté! Je suis tout terrifiée, mais, mon Dieu, rien ne me sauvera! Je vis dans une perpétuelle terreur mortelle de papa et pouis après de l'avenir. »

Observat insuper orator, Magdalenam Mauritii animum a se alienare omni nisu tentasse, nunc frigide eum excipiendo, nunc etiam ei declarando se illum amare non posse, et imo suam erga ipsum aversionem apertissime ostendendo. Haec nedum ipsa et vir, sed et plures testes deponunt.

Ratio vero cur vir, haud obstante cognita mulieris aversione, cum illa contrahere voluerit, reperitur iuxta patronum, in verbis a Ioanna Scribot de Bons adductis: « Mr. le comte Fleury, adonné à la passion du jeu, ayant déjà beaucoup perdu et, dit-on, poussé par des dettes, désirait épouser une fille riche et passait par-dessus toute delicatesse et toute considération au sujet de son épouse qui, chétive enfant, non encore formée physiquement, était depourvue de tout attrait. »

Praeterea, recolit orator, Magdalena spem adhuc fovens patris coactionem aliquo modo effugere posse, petiit ac a patre obtinuit, ut sex menses saltem intercederent inter sponsalia et nuptias; verum pater disposuit ut, post inita sponsalia, coniugium quantocius contraheretur.

Cum omnia tentamina in irritum cessissent, Magdalena proposuit veneno sibi vitam adimere, sed a suo confessario prohibita fuit.

Merito itaque sanctimonialem de Lapeyrouse affirmasse, censet defensor: « Si par exemple son père avait inopinément disparu la veille du mariage, je ne crois pas qu'elle l'eût conctracté. »

Enarrans deinde quae evenerunt ipso nuptiarum mane, recolit orator, germanam fateri:

« Le matin même du mariage elle était très nerveuse et agacée. » Et Maria Pauly refert: « J'ai assisté au mariage; elle ne mettait aucun empressement à se préparer; au moment où on la coiffait elle avait des larmes dans les yeux. —

Son père est venu lui dire de se hâter, qu'elle se ferait attendre....

Nunquam actrix in eodem cubiculo cum viro dormire voluit et coniugale debitum, quoadusque potuit, reddere renuit; uno verbo coniugale consortium vix apparens extitit.

Itaque, concludit orator, ex hucusque expositis constat Magdalenam pro viribus restitisse, ne coniugale debitum redderet, sed, etsi absque ulla oppositione annuisset, nil prorsus referret. Licet enim male nuptam propter defectum consensus se putaret, nihilominus valide et absque remedio unitam viro sé credebat: « J'ai cru que j'étais unie à Mr. Fleury par un lien de force, contre lequel je ne pouvais rien. »

Nil pariter interest si mulier aequitatis canonicae ignara, a parentibus repulsa aliquibus annis in eadem domo cum viro permanserit. Nam S. C. C. in *Panormitana, Nullitatis Matrimonii die 30 Septembris 1719* hanc peremptoriam declarationem edidit: « S. C. Cardinalium Conc. Trid. interpretum saepius respondit, hodie post Concilium Tridentinum matrimonium metu contractum, etiam purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus, non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita iterum eiusdem concilii forma. » Idcirco in themate cum matrimonium metu contractum fuerit, et tamen nedum nova legitimaque eius celebratio, sed nec spontanea cohabitatio cum scientia nullitatis prioris coniugii, metusque purgatione intercesserit; ex contubernio Magdalenae cum Mauritio nuptiarum revalidationem haud sequi patronus contendit.

Animadversiones defensoris s. vinculi. Ex altera parte vinculi defensor in primis notat, societatem coniugalem, etsi non pacificam, sex annos perduravisse; causam vero ob quam concordia coniugalis evanuit, certo certius in iis constitisse quae Mauritius proclamat: « C'était très inégal, comme son caractère; tantôt elle était gaie, entrain; tantôt, mélanconique. » et uno velut ore de Magdalena praedicat corona testium ab ipsamet Magdalena inductorum.

Inconstanti Magdalenae animo, sequitur orator, ansam

praebuit ipse comes Mauritius, quippe qui adversâ lusus aleâ patrimonium effudit. Audi comitissam Magdalenam : « Les causes qui ont amené la séparation sont les mauvaises habitudes de Mr. Fleury. Il était devenu joueur, perdant toute sa fortune ». Magdalenae concinit Marchionissa de Tallenay; unde Magdalena pro bonorum separatione iudicio egit et voti compos a civili magistratu facta est. Haec eadem confirmantur a Patre actricis.

Huc rebus perductis, comes Mauritius separationem etiam corporum efflagitavit: et sub die 28 Novembris 1889 obtinuit. Rem aegre tulit Magdalena, asserit defensor, et ad obsequia coniugalia, quibus a pluribus annis, idest « après la naissance de l'enfant » non fecerat satis, praestanda paratam se viro exhibuit, teste eiusdem comitissae patre, qui inquit: « Il m'avait (comes Fleury) promis de reprendre la vie commune au bout d'un an; il a refusé absolument, bien que ma fille eût promis de se soumettre à toutes les exigences du mariage ». Comes vero coniugalem cohabitationem restaurare restitit non quia irritum matrimonium aestimaret; at vitae coniugalis dissociationem aequo animo forsan fert, quia difficillimum comitissae ingenium expertus est.

Magdalena, prosequitur sacramenti vindex, cum videret se a viro repelli coactas nuptias excogitavit, et die 23 Novembris 1892, exactis octo annis et amplius a celebratione matrimonii, duobus vero annis a maritalis vitae dissociatione, Emo Parisiorum Archiepiscopo porrexit libellum inquiens: « Hoc matrimonium non fuit spontaneum et voluntarium ex parte oratricis, quae imo ad illud ineundum a patre coacta fuit, coactione non solum morali, sed etiam physica, prouti testes plurimi omnimodae fidei luculentissime probabunt ».

Mirum non est, ait defensor vinculi, quod Magdalena statim spem fovere potuerit se, testibus a semetipsa selectis, ostensuram metum sibi ad matrimonium Fleury ineundum fuisse incussum. In praesenti enim causa, praeter quam quod verisimile est, feminam, in aliquibus moestitiae aggressionibus dixisse vel ad amicas scripsisse se a nuptiis, quibus tem-

pore tranquillo inhiabat, abhorrere, agitur de valore matrimonii, et proin operosum non est, nostris praesertim temporibus in quibus error matrimonii ex mutuo coniugum consensu – *per incompatibilità di carattere* – aliisve futilibus de causis solubilis grassatur, comparare phalangem testium, qui modo factum aliquod dicendo amplificant, modo facto alteri addant circumstantiam quae in rerum natura minime existit, modo ab altero facto circumstantiam aliquam detrahant, soliciti potius succurrere actori sive actrici inducenti, quam sanctitati matrimonii prospicere.

Malo huic medicina paratur, si praeter testes ab actóre vel actrice inductos, alii testes ex officio advocentur. At dolet orator, quod huiusmodi lex praesenti in causa adimpleta non sit. Acta enim processus rimatus nullibi vidit testes ex officio inductos. Et quamvis iudex in sententia consignet: « Auditis actrice et reo, necnon testibus ab eis inductis, » inter acta tamen processus testes a Mauritio Fleury inductos, vel eius propinquos, quamvis ipsamet Magdalena testetur se, tempore non suspecto, commoratam esse in domo parentum mariti, reperire datum ei haud est; imo iudex excutere omisit tum Ducem Canrobert, tum Comitem de Rayneval, testes ad celebrationem matrimonii adhibitos, quamvis eorundem examen in praesenti causa in qua impugnatur libertas consensus in matrimonium praestiti, videatur apprime necessarium.

At, scribit defensor vinculi, etsi, cum processus hac methodo conficiantur, fere impossibilis evadat defensio cuiuscumque matrimonii, tamen in praesenti perdifficile non est valorem controversi matrimonii in tuto ponere. Re enim vera ad tramites Instructionis S. R. et U. Inquisitionis ad Episcopos Orientales anno 1883 datae *artic. tert. de impediment. metus* § 37 praeprimis « Considerandum erit, utrum quando contractus matrimonialis erat signandus libenter et sine ulla protestatione id praestiterit, utrum aliqua fraus adhibita ad talem obsignationem obtinendam. » Iam vero perspicuum est, Magdalenam Deslandes absque ulla protestatione

contractum matrimonialem absolvisse neque ullam ad hoc fraudem adhibitam.

Negat primum orator, quod Magdalena habita sit quasi obses apud patrem; profecto sponsalia inita sunt duobus ante matrimonii celebrationem mensibus, et dum Magdalena non apud patrem, sed Coloniae Aprippinae apud materteram versabatur.

Ex hisce liquet non solum Magdalenam haud fuisse a patre quasi in obsidione detentam, sed praeterea ipsum animum cogendi Magdalenam ad matrimonium numquam habuisse. Magdalena enim non appingit crimen coactionis materterae; imo eam solummodo fuisse sibi praesidio profitetur. Eapropter bardus fuisset pater si filiam, quam auxiliatrice destitutam semper habebat apud se, ad matrimonium per fas et nefas compellere animo intendens, tempus selegisset quo illa in domo materterae morabatur; imo filiam ad hoc eo advexisset.

Sed, pergit tutor vinculi, sponsalia obtinuerunt mense iulio, contractus civilis die 14 et matrimonium die 15 Septembris 1884. Interea temporis numquam pater metum Magdalenae intulit.

Nec aliquod repugnantiae indicium Magdalena praebuit inter ipsa nuptiarum solemnia.

Ex facto autem celebrationis matrimonii sine ulla protestatione, observat orator, Sacram Rotam docere: « Omnis praesumptio militare debet pro validitate eiusdem matrimonii, nullaque ratio habenda est de oppositis exceptionibus, quando illae non sunt adeo perstringentes et efficaces, ut incontinenti et concludentissime, evincant praetensam nullitatem ».

Quam quidem doctrinam confirmat Instructio a S. C. S. R. U. Inquisit., praecipiens: « In hac re iudex sciat matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint ».

Facta, quae ad astruendum metum afferuntur, non inciviliter inficiari posse contendit matrimonii defensor, quia

si testes, quos excuti iura praescribunt, ad examen adducantur, illa forsan a veritate aliena esse demostrabunt. Sed, etsi tales testes nihil novi renuntiarent, tamen consensus Magdalenae in matrimonium minime dici posset coactus.

Hic enim non agitur de matrimonio ex quo Magdalenae pater commodum sibi vel familiae obventurum speraret: nam ipse alias etiam nuptias eodem tempore filiae obtulit. Iam vero hoc maximo in pretio habendum esse in huiusmodi quaestionibus monet cit. Instructio S. C. S. R. et U. Inquisit. per verba: « Considerandum est..... quae ratio vis inferendae, magna ne ex matrimonio propriae domui utilitas aut decus obventurum ». Causam ob quam Deslandes exoptavit connubium filiae cum Mauritio nobis narrat Albertus d'Oppenheim, Magdalenae avunculus: « Le père a cherché à hâter le mariage de sa fille par ce qu'il redoutait de sa part un coup de tête, qui aurait pu compromettre son avenir ». Cui consonat sanctimonialis Maria de Lapeyrouse.

Igitur, prosequitur orator, iustam ob causam nuptias pater filiae struxit, et nec excessit in modo. Nam ipsa filia ait: « Il voulait ou le mariage ou le couvent jusqu'à 21 ans, » et recte hoc praecipiebat pater, quia Magdalena matre carebat et erat « très bon cœur, mais l'équilibre faisait peut-être un peu défaut ».

Verbera, prosequitur actrix, et minas in me pater adhibuit: « Mon père m'a frappé, m'a même menacée d'un pistolet, si je ne consentais pas au mariage ». At ipsa verbera et minas declinare potuisset semel ac ad gynaeceum rediret.

Et facile poterat ad gynaeceum redire, imo denuo in gynaeceo Magdalenam exceptam esse et libere ac lubentem iterum e gynaeceo discessisse ut Mauritio Fleury denuberet, affirmat orator.

Exulat itaque quicumque metus praetextus. Nam ad metum constituendum requiritur, ait Sabell: « Ut timens non possit facile occurrere malis, quae sibi timet imminere; quia si posset alia ratione malis mederi, non est iustus metus ».

Puella enim, iactantias patris ad nihilum redigit, si gynaeceum repetit; et timet ubi non est timor: dum metus necessario requirit, Sabell, « ut timens non vane aut leviter credat malum illud imminere . . . . imo ut metum incutiens sit solitus exequi minas ».

Frustra etiam obiicitur Magdalenam, dum sponsalia contraxit, Mauritio dixisse: « Mon père veut que nous soyons fiancés ». Nam si haec verba vera essent sensum eorum nemo melius quam ipse Mauritius, assequi posset. At Mauritius, etsi matrimonii solutionem exoptet, iureiurando testatur: « Si j'avais su qu'elle n'agissait que forcé par son père, je me serais retiré..... Elle ne m'a jamais dit – je ne veux pas de vous – ». Et certe Magdalena « qui n'était pas habituellement timide et craintive » aversionem absque ambagibus Mauritio denuntiasset, si nubere nollet.

Demum factum peremptorium, ait tutor sacramenti, in actis prostat, quod profligat obiectiones omnes. Videlicet: intra quindecim ab hymenaeo dies Magdalena utero gerit, labente nono ab hymenaeo mense liberum edit. Comes deponit: « Elle s'est simplement laissé faire ». Nec comitissa se vi compressam asserere audet, sed dicit: « C'est par sourprise qu'ont eu lieu les quelques relations ». At nemo credet puellam « par sourprise » pati virginalis claustri effractionem prolemque concipere. Hoc unum admitti potest, comitissam prolem, a qua forsan abhorret, « par sourprise » suscepisse. Nam ait Christina Marner, « J'appris de ses domestiques que après la naissance de l'enfant elle n'a plus jamais rien voulu savoir de son mari ».

Quibus omnibus hinc inde relatis, diluendum propositum fuit

Dubium

An sententia archiepiscopalis Curiae parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re disceptata, sub die 24

Februarii 1894, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex quibus colliges: I. In causis matrimonialibus consanguineos et familiares ex iure non haberi uti suspectos, eoquod « domesticitas non minuit, sed potius auget fidem testis in hac materia, ratione praesumptae scientiae et veritatis ».

II. Metum gravem, seu mentis trepidationem, verificari de facto quando malum instans, vel futurum, grave est pro illa persona, quae illud facile sustinere non posset, et simul persuasum habeat illud revera sibi imminere.

III. Nedum rectam rationem, sed ipsa iura proclamare maximum malum esse amissionem libertatis; quod facilius haberi potest in femina, quam in viro.

IV. Gravitatem timoris oriri ex natura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum, qui eas passi dicuntur.

V. Metum gravem constituere varia adiuncta; quae sunt diuturna et importuna vexatio, gravitas minarum, eiectio e paterna domo, haereditatis privatio, auctoritas et pertinacia terrentium, eorum prompta iracundia et violentia, fragilitas et indoles patientis.

VI. In themate adiuncta haec non defuisse; et ideo non defuisse videtur timorem simpliciter gravem, et gravem metum reverentialem, quo nuptiae irritantur; quia adfuerunt minae et diuturna parentum indignatio, et vexatio.

VII. Nihil officere declarationi nullitatis matrimonii si mulier, metum vel timorem reverentialem passa, repulsa a parentibus, aliquot annos in domo viri permanserit, cum carnali copula: eoquod matrimonium non revalidatur nisi iterum contrahatur, adhibita Tridentini forma.

FRIBURGEN.

DUBII QUOAD MISSARUM APPLICATIONEM

Die 14 Aprilis 1894.

Per summaria precum.

Compendium facti. Archiepiscopus Friburgensis cuidam beneficiato in ecclesia parochiali Ueberlingen contulit parvam parochiam Andelshofen, eidem permittens in diebus festis in utraque ecclesia missam celebrare. At nonnullis exortis dubiis circa applicationem missarum, rem ita exposuit S. C. Cong. sub die 4. Ianuarii 1894.

« Iosephus Fhringer, beneficiatus in Ueberlingen, propter penuriam sacerdotum, qua dioecesis mea iamdudum laborat, simul excurrendo administrat parvam parochiam Andelshofen ab Ueberlingen non longe distantem. Quapropter quavis dominica ac quovis festo de praecepto sacrosanctum missae sacrificium offerre debet tum in Andelshofen, ubi applicatio pro parochia ipsi incumbit, tum in Ueberlingen, ubi ratione beneficii celebrare debet; si quidem beneficiato obligatio imposita est, parochum in cura animarum adiuvandi. Iam vero in huius beneficii fundatione beneficiato onus impositum est, ut quater per hebdomadam, quavis sc. dominica et festo et insuper tribus resp. duabus aliis hebdomadae diebus, sacrum applicet pro fundatoribus.

« Cum autem per ecclesiae leges vetitum sit sacerdotibus bis celebrantibus, plusquam unum accipere stipendium itemque parochis ac proparochis, pro secunda missa, quam praeter eam, quam pro parochia applicant, accipere stipendium; ex altera vero parte parochis et proparochis, qui duas administrant parochias, pro utraque applicare sicque duplici obligationi satisfacere liceat, praedictus beneficiatus a me quaerit:

« 1. Utrum oneri, ipsi tamquam beneficiato incumbenti, quavis dominica applicandi pro fundatoribus, satisfacere possit per secundam missam, quam praeter missam parochialem, pro parochia Andelshofen applicandam, celebrat;

« 2. Posito autem, quod hoc non liceret, ulterius quaerit, utrum applicationem pro fundatoribus, diebus dominicis affixam, transferre debeat in aliam per hebdomadam, an potius, cum per sanctae sedis gratiam archidioeceseos meae sacerdotibus permissum sit, si duas eadem die missas celebrant, pro secunda quoque (si primam pro populo vel ad intentionem dantis stipendium, applicaverunt) stipendium accipere, hac tamen conditione, ut stipendium Episcopo transmittant, pro sustentatione et educatione candidatorum sacerdotii erogandum — an ergo potius beneficiatus, de quo supra, pro ea missa, quam pro fundatoribus, diebus dominicis et festivis applicat, eleemosynam Episcopo transmittere debeat.

« 3. Et si hoc ultimum postulatur, ulterius quaeritur, utrum tantum pecuniae dare debeat, quantum pro applicatione missae, tamquam stipendium manuale in archidioecesi Friburgensi, solvi solet ».

Disceptatio Synoptica.

Quae videntur advers. Beneficiato. Quaestionibus Reverendissimi Archiepiscopi ut satisfiat in primis revocanda sunt ius commune et S. C. C. iurisprudentia hac de re. Ius commune in propositum pro suo more, docte et maxima iudicii maturitate interpretatur et illustrat Benedictus XIV in litteris ad Oscensum Episcopum « Declarasti Nobis » datis die 16 Martii anni 1746; cuius vestigiis posthac semper inhaesit S. C. C. Unde in Cameracen. diei 15 Sept. 1858 « Missae pro populo » ad 2^um^ Dubium: *An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam pro populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu*, S. C. C. respondere censuit: Ad 2^um^ *Negative; firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa*. Ad 3^um^ Dubium *An vicarii aut alii sacerdotes, curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti missae in ecclesia parochiali celebrentur seu ut Hospitalia,*

Carceres, Sanctimonialium conventus missâ non careant, secundam et ipsi missam pro populo gratis applicare teneantur in casu responsum fuit, ad 3^um^ *Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.* Prohibitio vero recipiendi duplicatum stipendium pro altera missa ita intelligenda est, ut excludat etiam indirectam remunerationem provenientem ex satisfactione obligationis impositae a Legato vel beneficio; uti probat Lemkul *Theolog. Mor. vol. II num. marg. 216.* Insuper S. C. C. sub die 29 Aprilis 1871 cuidam Episcopo hispano postulanti ut parochis et aliis sacerdotibus binandi facultate praeditis liceret alteram missam applicare pro fundatoribus Primissariarum ad lucrandos huiusmodi beneficiales reditus, respondendum censuit: *Prout exponitur negative et in casibus particularibus recurrat pro translatione et reductione missarum quatenus opus fuerit.*

Quocirca videretur eodem pacto reponendum Episcopo Friburgensi, salvo tamen eius iure erogandi eleemosynas missarum pro suo Seminario, easdem deducendo ex reditibus beneficii, habita ratione taxae synodalis, nisi aliud consuetudo vel aequitas exposcat.

Quae videntur stare favore Beneficiati. At ex alia parte solida non desunt rationum momenta suadentia, beneficiatum in casu posse lucrari reditus correspondentes applicationi missae, quam ex tabulis fundationis singulis diebus festis celebrare debet. Revera cum primis fundatorum voluntates religiose custodiendae sunt, donec fieri possit, ut decernit *Trid. Sess. 22 c. 6 et sess. 25 c. 4 De ref.* Aliunde ius commune decretorie praecipit *Ut beneficia sine diminutione conferantur.* Si vero beneficiatus cogatur ad differendam in alium diem applicationem missae, a beneficio sibi certo die impositam, offenditur voluntas fundatoris; at si facta, iuxta tabulas, missae applicatione, congruum stipendium subtrahatur, reditus beneficii notabiliter diminuuntur. Ergo ad utrumque inconveniens evitandum fas sit bene-

ficiato missam beneficialem applicare et nil redituum deducere.

Eo magis quod huic beneficio in casu inest obligatio adiuvandi parochum in cura animarum: quocirca a fundatore pro diebus festis impositum fuit onus celebrandae missae in commodum fidelium. Iamvero si parochus duabus praeest parochiis tenetur duas celebrare missas pro populo, quarum etiam missarum intuitu sane reditus beneficii parochialis comparati sunt; at S. C. C. nunquam huiusmodi parochis onus imposuit deducendi reditus alterius missae, ne duplex lucrarentur stipendium; nam in *Lucen. 12 Martii 1774* proposito dubio *An parochi duabus ecclesiis praepositi teneantur dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia, sive per se, sive per alium applicare pro populo in casu* responsum prodiit: *Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva.*

Potius ex hac responsione S. C. C. et ex alia citata in *Cameracen.* ad 2^um^ dubium, quaestio exoritur praeiudicialis, quonam iure Archiepiscopus potuerit in casu concedere binandi facultatem huic beneficiato, non parocho, cum ex iure communi qualitas parochi vel ordinarii curati, praeter alias conditiones, certe requiratur. Unde EE. VV. prudens iudicium deliberabit an responsioni, Archiepiscopo faciendae, praemittenda sit sanatio facultatis binandi concessae in casu.

Quibus animadversis quaesitum fuit quaenam responsio danda esset.

Resolutio Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Aprilis 1894 censuit respondere: *Ad I. Vigore etc. attentis etc. pro gratia ad cautelam ad triennium si tandiu etc.*

Ad II et III Provisum.

MEDIOLANEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

Die 14 Aprilis 1894.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Clericus Caietanus Canavesi mediolanensis Archidioeceseos, philosophiae curriculo iam absoluto, cuperet ad sacros conscendere ordines, a quibus aegre repellitur ex vitio corporis. Ipsi enim, anno elapso, gravi morbo affecto laevum crus amputatum fuit. Hinc, ut quod ordinario ei interdicitur iure, gratiâ saltem consequatur, supplicem SSmo obtulit libellum, exposcens veniam super praefata irregularitate, facultatemque ut ordinibus initiari possit. Una cum precibus simul adducebat ss. caeremoniarum magistri testimonium, ex quo colligitur : clericum stare posse sine baculo, gradus ascendere et descendere, calicem ferendo, et genuflectere; omnia tamen haec cum aliqua difficultate, ab orthopedico apparatu minus perfecto, promanante; quam difficultatem cum exercitii iteratione removeri posse credendum est. Re ad S. C. C. remissa litterae datae sunt Ordinario, ut de oratoris aetate, moribus, scientia nec non de necessitate seu utilitate Ecclesiae, ex eius promotione ad ss. ordines obventura, referret.

Revmus Vicarius Capitularis ita singulis diligenter satisfecit: « Eminentiam Tuam, inquit, certiorem facimus, clericum Canavesi aetatis suae annum vigesimum tertium agere, in philosophicis doctrinis satis profecisse, sufficienti ingenio, optimis moribus et sacerdotali vocatione ornatum esse; eumque existimamus perutilem huic nostrae Dioecesi ».

Disceptatio Synoptica.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Quamvis in genere ex maiori vel minori incedendi difficultate vel deformitate statuendum sit, utrum claudus reputari debeat irregularis, quod iudicium ad Ordinarium Praelatum pertinere tradit

cum communi Reiffenst. *lib. 5 Decr. tit. 37, § 4, n. 84;* in specie tamen haud dubie irregularis evadere videtur, qui sine baculo vel sine ligneo pede nequit incedere : Glossa *in can. Si quis in infirm. 10, dist. 55; et in can. Nullus Episcopus 57, dist. 1 de consecr.* Abb. *in cap. 2 de cler. aegr. n. 2;* Barbosa *de off. et pot. Episc. alleg. 42 n. 40;* Reiff. *loc. cit.;* Ferraris *v. Irregular. art. 1, n. 12.* Quapropter si irregularitas in casu, de quo agitur, non ex deformitate incessus, iuxta ea quae caeremoniarum magister refert, deducenda foret, adhuc tamen superesse putarem alteram irregularitatis causam, quae ex tam insigni mutilatione corporis proveniret.

Quin referam vulgatas iuris dispositiones quibus corpore vitiati ab altaris ministerio repelluntur, adnotare satago, in actis Sacrae Congregationis non pauca reperiri exempla propitii Sacri Ordinis rescripti ad preces dispensationis expetitae, a iam promotis, super irregularitate proveniente ex una vel altera insigni mutilatione corporis, tamen tria tantum eiusdem speciei exempla inveniri favore mutilati clerici promovendi. Iamvero si in Mathelicen. *die 5 Maii 1866*, in qua agebatur de gravissimo casu Paschalis Boccoli, clerici professi inter Fratres Minorum de observantia, dispensationem expostulantis ab irregularitate, in quam inciderat ob amputationem cruris dextri rescriptum prodiit: *supplicandum esse SSmo pro gratia dispensationis*, id tribuendum videtur speciali circumstantiae religiosae professionis, qua orator Boccoli etsi sacris ordinibus nondum auctus, aequiparari iam promoto non immerito potuerit. Pariter in Bergomen. *diei 22 Septembris 1866*, preces cuiusdam Dominici Colleoni, cui pes sinister amputatus erat, et alius ex ligno affabre adaptatus, benigno utique responso, attentis peculiaribus circumstantiis, dimissae fuerunt et gratia indulta, clausula tamen adiecta *in exemplum non adducenda;* unicum ergo exemplum, casui nostro simillimum, habetur in Adrien. *Dispensationis ab irregularitate die 11 Decembris 1875, per summaria precum.*

Gratia indulgenda videtur. His tamen non obstantibus, diffiteri nequit, exempla afferri posse promovendorum, qui etsi non eodem, non leviori tamen laborantium corporis defectu, ab S. C. C. dispensationem obtinuerunt. Sane in Pampilonen. *diei 31 Martii 1860,* gratia concessa fuit clerico, qui nequibat dextera manu se crucis signo munire, nec calicem ori admovere. Ita in Cephaluden. *diei 16 Iunii 1866* dispensatum fuit cum clerico Iosepho Gianni laevae manus pollice omnino carente, et recentius in Novarien. *27 Iunii 1891,* quamvis eius dexterae pollici una phalanx ac indici duae phalanges deessent; in Comaclen. *diei 27 Februarii 1864,* secundum obtinuit rescriptum quidam Fogli, qui « anchilosi perfecta in genu dextero laborans (ita in eodem folio) non potest illud usque ad terram flectere, sed mediam tantum, ut ita dicam, genuflexionem commode exsequitur. » Videsis etiam Ausculana, *diei 20 Februarii 1808 etc.*

A Sacri igitur Ordinis praxi alienum dici non potest, dispensationem ab irregularitate, ex aliquo gravi corporis defectu procedente, concedere, quando irreverentiae periculum minime immineat, nec populi admiratio rationabiliter pertimescenda sit, modo relaxationis causae, iustae ac legitimae praesto sint; quae omnia num in themate ex relatis Vicarii Capitularis ac caeremoniarum magistri litteris appareant, EE. PP. sapientiae erit decernere. Si tamen aliquid innuere fas sit, animadvertendum est Caietani Canavesi defectum, etsi quamdam revera gravitatem praeseferat, irreverentiae et admirationi nullatenus causam praebere, ceu patere videretur ex magistri caeremoniarum verbis. Ex quibus deduci fortasse potest agi in casu, si ita loqui datum est, de materiali potius, quam de formali irregularitatis defectu.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

Resolutio. Sacra Congregatio C. re discussa sub die 14 Aprilis 1894, censuit respondere: *Vigore etc. pro gratia dispensationis et habilitationis ad sacerdotium usque inclusive; et scribatur Ordinario et ad mentem.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

ASSISIEN.

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 16 Martii 1894.

Compendium facti. Intra fines dioecesis Assisiensis olim existebat coenobium, vulgo Abbatia S. Angeli de Limisiano, quae anno 1200 suppressa et incorporata fuit alteri Abbatiae S. Crucis Saxivivi Fulginatensis.

Post varias vicissitudines anno 1500, coenobio de Limisiano amplius non extante, eius ecclesia habebat, ceu Vicaria Curata, adnexam curam animarum et partem efformabat Abbatiae S. Crucis, quae utpote monachos amplius non habens tradi consueverat in commendam S. R. E. Cardinali. Tandem vero, initio huius saeculi seu anno circiter 1828, ipsa unita fuit mensae Archiepiscopali Spoletanae et Archiepiscopus habuit titulum Abbatis Commendatarii perpetui.

Haeic autem praemittere opus est quod Abbati Commendatario onus, inter alia, incumbebat nedum providendi congruae substentationi Vicarii Curati de Limisiano, sed etiam manutentioni ipsius ecclesiae S. Angeli, sive quoad cultum et sacram supellectilem sive etiam quoad aedium conservationem: et hoc semper fuit pacificum inter partes. Ita in relatione visitationis dictae ecclesiae factae ab Episcopo Camaiori Visitatore Apostolico Umbriae an. 1573 dispositiones circa expensas cultus et manutentiones diriguntur Abbati Commendatario Cardinali Rusticucci. Adnexa autem Abbatia Saxivivi mensae Spoletanae cum omnibus suis bonis, idem onus pariter recognitum et adimpletum fuit a novis Titularibus *pro tempore*. Solum quoad congruam Vicariis Curatis de Limisiano persolvendam, ea commensurari solebat variis temporum cir-

cumstantiis, dum aliae manutentiones omnino incumbebant Abbati commendatario.

Dicta congrua an. 1836 statuta erat in summa scutatorum 88. 50: in posterum decreta fuit in libellis 502. 40 ita divisis, nempe libel. 372. 40 pro congrua: libel. 100 pro lignis et horto et libel. 30 pro emendatione linteorum. In tali etiam summa denuntiata fuit Gubernio ab actuali Archiepiscopo Spoletano inter onera suae mensae.

At Archiepiscopus occasionem arripiens ex legibus italicis proprietatis ecclesiasticae eversivis et praetexens suae mensae paupertatem, contra hoc onus insurrexit declarans se liberatum quoad manutentiones, congruam vero reduxit ad libellas 300 circiter, etsi ipse dicat, se libellas 375 persolvere quia super his retinet taxam vulgo *ricchezza mobile*.

Cum res amicabiliter componi non potuisset inter Archiepiscopum ex una parte, qui tantum ad dictam summam favore parochi de Limisiano se obligatum affirmabat, et inter Episcopum Assisiensem ex altera iura parochi ex integro protuentem, omnibus de iure peractis, quaestio pro solutione necessario remitti debuit plenario Eñorum Patrum Auditorio S. Cong. Episc. et Regul.

Disceptatio Synoptica.

Pro episcopo assisiensi. Hic, praemisso quod onus Abbatibus Commendatariis incumbens quoad manutentiones et congruam favore Vicariae Curatae de Limisiano est extra controversiam, nedum quia id constat ex documentis seu ex attestationibus Vicariorum dictae ecclesiae, sed etiam quia id maxime est rationi consentaneum, cum Abbates eiusdem bonis perfruantur, potius ducit diluere argumenta ex adverso prolata.

Et primo dicit, nullimode sustineri, iuxta leges civiles, praetentionem ab Archiepiscopo allatam, nempe quod ad manutentiones obligatur Gubernium vel melius Regius Oeconomatus: admisso nam quod manutentio paroeciae de Limisiano

sit mensae Spoletanae onus, necessario consequitur quod huic et non aliis praefatà obligatio incumbat. Gubernium in dispunctione rationum nullam distinctionem posuit inter bona paroecialia, abbatialia et mensae, sed omnia in unum comprehendit ad tramites factarum denuntiationum. Has autem nunc de iniustitia vel falsitate coarguere, sive in via administrativa sive in via contentiosa, est prorsus supervacaneum, nedum quia obstat in hac materia determinata iurisprudentia, sed quia est comprobatum ex ipsa experientia, cum relativi recursus, ab Archiepiscopo facti, effectu caruerint.

Quin aliquid proficiatur ex adverso, subdit Episcopus, adducendo tenuitatem redituum mensae Spoletanae, nam, omisso quod reditus mensae Assisiensis sunt etiam tenuiores, id omnino tribuendum culpae Archiepiscopi Arnaldi, qui denuntiationes veritati non conformes peregit. Sed ex hoc praeiudicari non debet Vicaria de Limisiano, nam notum est iuris adagium, quod *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.*

Transiens deinde Episcopus ad describendum miserum statum domus paroecialis, ecclesiae, et sacrarii ob non factas instaurationes, dicit omnia esse collabentia et in parte etiam collapsa. Anno 1887 legalis peritia restaurationum in libellis 259. 20 iussu Vicarii Curati Cappelletti redacta fuit: hanc Archiepiscopus exequi noluit: damna hinc in quadruplum aucta sunt, et ex nova peritia an. 1890 summa pro restaurationibus ascendit ad libellas 900. Concludit proinde Episcopus quod si reparationes statim non perficiantur, omnia in pessum ibunt.

Neque aliter sentiendum censet quoad congruam ab Archiepiscopo repensam quam traducit insufficientem, quin imo vexatoriam. Haec in denuntiatione onerum Gubernio facta a Spoletano Archiepiscopo descripta fuit in libellis 372. 40, dum in re solvitur in libellis 300. Ex quo evenit quod parochus invocare nequit exemptionem a taxa vulgo *manomorta* ad tramitem legis italicae 13 Septembris 1874, quod beneficium haberet profecto, si denuntiatio facta fuisset in summa

realiter percepta, nempe in libel. 300, ita dum denuntiatio in maiori summa prodest Archiepiscopo, eadem obest Vicario Curato, qui loco libel. 300 recipit tantum libel. 281. 76.

In sequelam huius denuntiationis parochus loci Collemancio a duobus annis in Limisiano cappellani munus gerens, sequestrum a tributorum exactore passus est ob libellas 150 taxae vulgo *manomorta*, quinque annis insolutae: et Episcopus, ne insontem parochum in miseriam deiiceret, dictam summam ex proprio exsolvit, quam nunc petit sibi refundi ab Archiepiscopo.

Tandem, observat Episcopus, cum dicta congrua decurtata libel. 281. 76 Vicarius Curatus occurrere deberet celebrationi 142 missarum, quarum circiter 82 pro populo in Limisiano et aliae 60 applicandae in oppido Cannara, occurrere deberet manutentioni lampadis ante SS. Sacramentum et aliis expensis cultus. Pro quibus omnibus, eleemosynis missarum ad taxam synodalem computatis, iuxta Episcopum requireretur summa libel. 283: proindeque nedum congrua in tenues abiret auras, sed insuper Vicarius Curatus de proprio exolvere deberet libel. 2. 24, nullo habito calculo de incertis quae tenuissima sunt, inexigibilia et ob eorum prorsus incertam naturam, in ratione congruae minime computanda.

Pro archiepiscopo spoletano. Hic, adnotato quod non intendit ad trutinam revocare adducta ex adverso, tantum sequentia perpendenda subiicit.

Observat itaque in primis quod sua mensa quae olim ditissima erat, cum eius reditus excederet summam libellarum 75,000, nunc vi denuntiationis peractae ab Archiepiscopo Arnaldi in summa libell. 23,000 ad effectum impositionis taxae vulgo *manomorta*, ita in reditibus diminuta est, ut hi depurati reducantur ad libellas 7,500 cum quibus consulere debet manutentioni episcopalium aedium sive urbanarum sive ad rusticandum, rependere mercedem in sui servitium addictis, conferre subsidia Seminario, pauperibus, et tandem annuam pensionem vel praestationem persolvere Principi Potentiani in libellis 525.

Deinde quoad Abbatiam Saxivivi notulam exhibet, in qua etsi annuus reditus ascendat ad libellas 8877, tamen deductis taxis ac pensionibus restringitur ad liquidas annuas libellas 369. 22.

Tertio relate ad Vicariam Curatam de Limisiano, conquestus quod adhuc de titulari ea provisa non sit, animadvertit quod assignatio pro congrua Vicarii Curati facta a mensa est in libellis annuis 375. Verum quidem est, pergit Archiepiscopus, quod defunctus canonicus Giampè exegerat libellas 100 titulo pascendi et lignandi et alias 100 pro sacris suppellectilibus: sed primum onus ab ipso Gubernio uti reale recognitum fuit et proinde gravat possessores fundorum: de secundo autem, cum in tabulis seu nota liquidationis non constet, ratio haberi non debet. Hinc dum Archiepiscopus a Gubernio adstringebatur ad taxam *manomorta* persolvendam in libellis 219, ei tribuebatur etiam facultas se indemnem reddendi super pensione assignata Vicario Curato de Limisiano. Quod si remanens congrua est insufficiens, Gubernium cogendum erit ad eam supplendam et quidem usque ad libellas 800.

Quoad vero aedium instaurationes Archiepiscopus contendit, hoc onere praegravari regium Oeconomatum, et probat non solum exemplo cuiusdam paroeciae spectantis Abbatiae Saxivivi, pro qua paroecia titulo restaurationum ab Oeconomatu datae sunt libellae 900, sed etiam ex eo quod reditus attributus paroeciis dictae Abbatiae est inferior summa subventionum pro relativis parochis statutarum.

Item iniuria, pergit Archiepiscopus, sibi vellet imponi onus taxarum praedialium, quia Vicaria de Limisiano praedia non habet: neque sunt attendendae querelae ex parte Episcopi Assisiensis aientis, quod dum congrua est denuntiata in libel. 372. 40, ipsa solvitur in libellis 300, nam reponit Archiepiscopus, omisso quod ipsius solutio fit in maiori quantitate libellarum 300, Episcopum Assisiensem latere non potest, ipsam obnoxiam esse taxae vulgo *ricchezza mobile*, quam ipse persolvit in libellis 43. 15.

Tandem quoad repetitionem libellarum 150 factam ab Episcopo Assisiensi, uti supra dictum est, Archiepiscopus non sine admiratione occurrit respondendo, quod a se haec summa persoluta fuerit, ceu probat acceptilatio relicta ab exactore tributorum, et quam in actis exhibuit. His utrimque discussis, resolutioni supposita fuere sequentia

Dubia

I. *An et in qua summa Archiepiscopus Spoletanus obligari valeat ad manutentiones in casu?*

II. *Qua ratione occurrendum sit gravibus, urgentibus et extraordinariis instaurationibus in casu?*

III. *An et in qua summa Archiepiscopus Spoletanus teneatur quoad congruam Vicarii Curati in casu?*

IV. *An et quomodo Episcopus Assisiensis indemnis reddi debeat de summa persoluta libellarum 150 pro taxa iam decursa, vulgo* manomorta, *in casu?*

Resolutio. Sacra Congr. Episcop. et Regul., re undequaque pensata, sub die 16 Martii 1894, proposita dubia censuit dimittenda ut sequitur, nempe respondit:

Ad I. *Affirmative in summa necessaria pro ordinariis manutentionibus.*

Ad II. *Affirmative cum obligatione Archiepiscopo huiusmodi instaurationes infra sex menses omnino perficiendi.*

Ad III. *Affirmative in libellis tercentum septuaginta duabus et centesimis quadraginta, praeter libellas centum Parocho persolvendas pro lignis et horto, et aliis triginta pro emendationibus linteorum.*

Ad IV. *Affirmative, salvo iure Archiepiscopi libellas, quas ipse persolvit, a quo de iure repetendi.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

Oratio ad S. Camillum de Lellis.

Bmo Padre

Il P. Giovanni Mattis Prefetto Generale dei Ministri degl' Infermi prostrato al bacio del S. Piede supplica la S. V. di arricchire di ss. Indulgenze la seguente preghiera in onore di S. Camillo de Lellis, ogni volta che si reciterà dai fedeli in qualunque lingua sia essa divulgata. Dopo la promulgazione fatta dalla S. V. del suddetto Santo a protettore degl' Infermi e patrono degli Ospedali, da tutte le parti del mondo si fanno speciali domande per averne la sacra immagine con un' analoga orazione.

Orazione a S. Camillo de Lellis.

Glorioso S. Camillo, protettore speciale dei poveri infermi, che per quarant' anni con una carità veramente eroica vi consecraste al sollievo delle loro spirituali e corporali miserie, vogliate soccorrerli anche più generosamente ora che siete beato in cielo, e che essi furono confidati dalla Chiesa alla vostra protezione potente. Ottenete loro da Dio la guarigione dei mali che soffrono o la pazienza e la rassegnazione cristiana che li santifichi, e li conforti nell'ora del loro passaggio; ed in pari tempo impetrate a noi la grande grazia di vivere e morire, a vostro esempio, nella pratica del divino amore. Così sia.

Pater ed Ave.

(Versio latina)

Beatissime Pater

Pater Ioannis Mattis Praefectus generalis Ministris infirmorum, ad osculum S. Pedis humiliter provolutus, exorat Sanctitatem Vestram, ut ditare dignetur indulgentiâ preces sequentes in honorem s. Camilli de Lellis, quoties a Fidelibus recitabuntur, quocumque idiomate. Ex quo Sanctitas Vestra dignata est nominatum Sanctum constituere in protectorem infirmorum, et Hospitalium patronum, undique requiritur s. Imago, quae adnexam habeat congruam orationem.

Oratio ad s. Camillum de Lellis.

Gloriose s. Camille, protector specialis pauperum infirmorum, qui per quadraginta annos, heroicâ charitate, totum te dedisti in medendis eorumdem infirmitatibus, tum animae, tum corporis velis nunc, etiam enixius, eisdem solamen afferre tuum, qui nunc beatus es in coelis, ipsique ab Ecclesia concrediti sunt potenti tuae protectioni. Impetra eis a Deo, liberationem a malis, quibus anguntur, aut christianam tolerantiam, qua sancti fiant, et roborentur in hora sui exitus, eodemque tempore impetra nobis maximam gratiam vivendi atque moriendi, ad tui imitationem, in charitatis divinae exercitio. Amen. *Pater* et *Ave.*

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, universis Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote recitaverint praefatam Orationem, benigne concessit semel in die lucrandam Indulgentiam *bis centum* dierum, defunctis quoque applicabilem. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 27 Februarii 1894.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Alexander Archiep. Nicopolit. *Secret.*

TOLOSANA. Dubia quoad verba *in ore tuo* in oratione *En ego bone et dulcissime Iesu etc.*

Die 29 Martii 1894.

Redactor Ephemeridum cui titulus « La Semaine Religieuse » quae in Civitate Tolosana typis mandatur, exponit quod in oratione « *En ego bone et dulcissime Iesu* etc. » cui adnexa est quotidie plenaria Indulgentia ab his lucranda, qui eam recitant post susceptam Communionem ante imaginem Crucifixi, in quibusdam libris, circa finem eiusdem orationis, nonnulla verba diversimode leguntur; in aliquibus enim legitur: « *Quod iam in ore suo ponebat* »; in aliis vero, uti in collectione Orationum piorumque operum a RR. PP. indulgentiis ditatorum, edita Romae anno 1886 « *in ore tuo* ». Quaeritur igitur ab hac S. Congregatione Indulgentiarum:

I. *Utrum dicendum sit in praefata oratione « ore tuo » an vero « suo » ?*

II. *Utrum sit indifferens ad lucrandam Indulgentiam dicere « suo » vel « tuo » ?*

Et S. Congregatio relatis dubiis respondit:

Ad I. *Standum omnino textui Collectionis authenticae editae Romae anno 1886 ex decreto huius S. Congregationis diei 24 Maii 1886.*

Ad II. *Provisum in I.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 29 Martii 1894.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO *Praef.*

L. ✠ S.

† Alexander Archiep. Nicopolit., *Secret.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI, die 8 Iunii 1894.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 8 Iunii 1894, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta, in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Calamassi Luigi. — *L' Italia nell' età di mezzo,* – divisa in due volumi – Vol. 1.° *dall' Evo antico al medio. – Il dominio barbarico in Italia. – Cristianesimo e Papato.* – Vol. 2.° *Il feudalismo. – L' Impero Romano-Germanico e il Papato. – I Comuni e le Crociate.* – Città di Castello, S. Lapi Tipografo Editore, 1890 e 1891.

Calamassi Luigi. — *Il Compendio della Storia d' Italia* – interamente rifatto – II. et III. tantum idest – *Il medio evo. – I tempi moderni.* – Operetta che risponde ai Programmi delle Scuole ginnasiali e tecniche, utilissima, come riassunto storico, nelle Scuole Normali – G. B. Paravia e comp. 1893 e 1894. – Torino, Roma, Milano, Firenze, Napoli.

Mantegazza Paolo. — *L' arte di prender marito* – per far seguito a l' *Arte di prender moglie,* – Milano, Fratelli Treves Editori, 1894.

Pieraccini Abbé Ant. Curé au diocèse d' Ajaccio. — *Au delà de la vie.* – Fragments philosophico-théologiques sur les mystères d' outretombe. – Saint Amand. (Cher) Société anonyme de l' imprimerie Saint-Joseph, 1892.

Chabauty E. A. Chanoine à Mirebeau-du-Poiton (Vienne). – *Resumé du système de la Renovation.* – Poitiers, Typographie Oudin et comp. – Juillet, Août, 1892.

Sabatier Paul. — *Vie de S. François d' Assise.* – Paris, Libraire Fischbacher, 1894.

Renan Ernest. — *Histoire du peuple d' Israël.* – Tome Quatrième – Tome Cinquième. – Paris. Colmann Lévy Editeur, 1893-1894.

Martinez Cavero Agostin Abogado. – *La Revolucion en el Derecho.* – Madrid, Imprenta de los hijos de M. G. Hernandez, 1893.

Aimer et Souffrir ou Vie de la Rnde Mère Sainte-Thérèse de Jésus, Abbesse du Monastère de Sainte Claire (de Lavaur), écrite par elle même, mise en ordre et annotée *Par M. l'Abbé Roques,*

Archiprêtre de Lavaur. – Appendice sur la vie et la mort de M. l'Abbé Roques. – Tom. I. Troisième Edition. – Toulouse Ed. Privat libraire, 45 rue des Tourneurs. – Lavaur, Monastère de Sainte Claire, 1886. – Tom. II. *(ut supra)* – Dec. S. O. Fer. IV. 15 Decembris 1893.

Vues sur le Sacerdoce et l'Oeuvre sacerdotale (cum hacce epigraphe: *Le prêtre est un autre Christ.* — Extrait de la Vie de la R. Mère Sainte Thérèse de Jésus, Abbesse du Monastère de Sainte Claire (Lavaur). Troisième Edition – *Publiée avec autorisation de l'Ordinaire* (Toulouse et Lavaur, ut supra) 1883 – Decr. eodem.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneantur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 9 Iunii 1894.

Marchese Virginio — *La Riforma del Clero secondo il Concilio di Trento.* – Torino, 1884.

Id. — *Difesa del libro: La Riforma del Clero secondo il Concilio di Trento.* – Torino, 1884.

Id. — *La Conversione dei Protestanti per mezzo del Concilio di Trento.* – Torino, 1885.

Id. — *Il Diaconato Cattolico e la Questione Sociale.* — Torino, 1891. – Proscr. Decr. S. Officii 8 Martii 1892. – Auctor laudabiliter se subiecit et opuscula reprobavit.

Mivart St. George — *Happiness in Hell.* (Nineteenth Century). – London, Decemb 1892. – et *The Happiness in Hell,* ibidem, Feb. 1893 – et *Last Words on the Happiness in Hell,* ibidem. Apr. 1893. – Proscr. Decr. S. Off. 12 Iulii 1893. – Auctor laudabiliter se subiecit et opuscula reprobavit.

† SERAPHINUS Episcopus TUSCULANUS
Card. VANNUTELLI Praefectus.

Fr. Marcolinus Cicognani Proc. Gen. O. P.
a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 12 Iunii 1894: ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Curs.*

EPISTOLA APOSTOLICA SSmi D. N. Leonis XIII ad Principes populosque universos, occasione sui iubilaei episcopalis.

Praeclara gratulationis publicae testimonia, quae toto superiore anno, ob memoriam primordiorum episcopatus Nostri, undique accepimus, quaeque proximo tempore insignis Hispanorum pietas cumulavit, hunc imprimis attulere Nobis laetitiae fructum, quod in illa similitudine concordiaque voluntatum eluxit Ecclesiae unitas, eiusque cum Pontifice maximo mira coniunctio. Videbatur per eos dies orbis catholicus, quasi rerum ceterarum cepisset oblivio, in aedibus Vaticanis obtutum oculorum animique cogitationem defixisse. Principum legationes, peregrinorum frequentia, plenae amoris epistolae, caerimoniae sanctissimae id aperte significabant, in obsequio Apostolicae Sedis cor unum esse omnium catholicorum et animam unam. Quae res hoc etiam accidit iucundior et gratior, quia cum consiliis coeptisque Nostris admodum congruens. Siquidem gnari temporum et memores officii, in omni pontificatus Nostri cursu, hoc constanter spectavimus, atque hoc, quantum docendo agendoque potuimus, conati sumus, colligare Nobiscum arctius omnes gentes omnesque populos, atque in conspicuo ponere vim pontificatus romani, salutarem in omnes partes. Maximas igitur et agimus et habemus gratias primum quidem benignitati divinae, cuius munere beneficioque id aetatis attigimus incolumes: deinde viris principibus, episcopis, clero, privatisque universis, quotquot multiplici testificatione pietatis et obsequii dedere operam, ut personam ac dignitatem Nostram honore, Nosque privatim opportuno solatio afficerent.

Quamquam ad plenum solidumque solatium, multum sane defuit. Nam inter ipsas popularis laetitiae studiique significationes, obversabatur animo multitudo ingens, in illo gestientium catholicorum consensu aliena, partim quod evangelicae sapientiae est omnino expers, partim quod, licet christiano initiata nomini, a fide catholica dissidet. Qua re graviter commovebamur, commovemur: neque enim fas est sine intimo doloris sensu cogitationem intendere in tantam generis humani partem longe a Nobis, velut itinere devio, digredientem. — Iamvero, cum Dei omnipotentis vices in terris geramus, qui vult omnes homines

salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, cumque Nos et sera aetas et amara curarum ad humanum urgeant exitum, visum est redemptoris magistrique nostri Iesu Christi in eo imitari exemplum, quod proxime ad caelestia rediturus summis precibus a Deo Patre flagitavit, ut alumni sectatoresque sui et mente et animo unum fierent: *Rogo..... ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (1). Quae quidem precatio obsecratioque divina quoniam non eos tantum complectitur qui tunc in Iesum Christum crederent, sed etiam quotquot crediturus reliquo tempore essent, idcirco dat illa Nobis caussam non ineptam aperiendi fidenter vota Nostra, conandique, quoad possumus, ut homines, nullo generis locorumve discrimine, ad fidei divinae unitatem vocentur atque incitentur universi.

Urgente propositum caritate, quae illuc accurrit celerius, ubi opitulandi necessitas maior, primum quidem provolat animus ad gentes omnium miserrimas, quae Evangelii lumen vel nullo modo acceperunt, vel acceptum, incuria seu longinquitate, restinxerunt: proptereaque Deum ignorant, et in summo errore versantur. Quoniam salus omnis a Iesu Christo proficiscitur, *nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri* (2), votorum Nostrorum hoc est maximum, posse sacrosancto Iesu nomine cunctas terrarum plagas celeriter imbui atque compleri. Qua in re munus efficere sibi demandatum a Deo Ecclesia quidem nullo tempore praetermisit. Quid enim undeviginti saecula laboravit, quid egit studio constantiaque maiore, quam ut ad veritatem atque instituta christiana gentes adduceret? Hodieque frequenter maria transmittunt, ad ultima loca progressuri, ex auctoritate Nostra praecones Evangelii: quotidieque a Deo contendimus ut multiplicare benigne velit sacrorum administros, dignos munere apostolico, qui scilicet commoda sua et incolumitatem et vitam ipsam, si res postulaverit, pro Christi regno amplificando non dubitent devovere.

Tu vero propera, humani generis servator et parens Iesu Christe: exequi ne differas quod olim te dixisti facturum, ut cum exaltatus esses a terra, omnia traheres ad te ipsum. Ergo

(1) Ioan. XVII. 20-21.
(2) Act. IV. 12.

illabere aliquando, atque ostende te multitudini infinitae, beneficiorum maximorum, quae cruore tuo peperisti mortalibus, adhuc experti: excita sedentes in tenebris et umbra mortis, ut radiis illustrati sapientiae virtutisque tuae, in te et per te sint *consummati in unum.*

Cuius quidem unitatis sacramentum cogitantibus, occurrit Nobis universitas populorum, quos ab erroribus diuturnis ad evangelicam sapientiam divina pietas iamdiu traduxit. Nihil profecto ad recordationem iucundius, neque ad laudem providentissimi numinis praeclarius veterum memoriâ temporum, cum fides divinitus accepta patrimonium commune atque individuum vulgo habebatur: cum excultas humanitate gentes, locis, ingenio, moribus dissitas, licet aliis de rebus saepe dissiderent, dimicarent, nihilominus in eo, quod ad religionem pertinet, fides christiana universas coniugabat. Ad huius recórdationem memoriae, nimis aegre fert animus, quod successu aetatum, suspicionibus inimicitiisque commotis, magnas ac florentes nationes de sinu Ecclesiae romanae male auspicata tempora abstraxerint. Utcumque sit, Nos quidem gratiâ confisi misericordiaque omnipotentis Dei, qui novit unus opitulandi maturitates, et cuius in potestate est eo, quo vult, voluntates hominum flectere, ad eas ipsas nationes adiicimus animum, easdemque caritate paterna hortamur atque obsecramus, ut redire, compositis dissidiis, velint ad unitatem.

Ac primo peramanter respicimus ad Orientem, unde in orbem universum initio profecta salus. Videlicet expectatio desiderii Nostri iucundam spem inchoare iubet, non longe abfore ut redeant, unde discessere, fide avita gloriàque vetere illustres, Ecclesiae orientales. Eo vel magis quod non ingenti discrimine seiunguntur; imo, si pauca excipias, sic cetera consentimus, ut in ipsis catholici nominis vindiciis non raro ex doctrina, ex more, ex ritibus, quibus orientales utuntur, testimonia atque argumenta promamus. Praecipuum dissidii caput, de romani Pontificis primatu. Verum respiciant ad initia, videant quid maiores senserint sui, quid proxima originibus actas tradiderit. Inde enimvero illud Christi divinum testimonium, *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, luculenter extat de romanis pontificibus comprobatum. Atque in Pontificum numero lectos ex Oriente ipso non paucos prisca vidit aetas, imprimisque Anacletum, Evaristum, Anicetum, Eleutherium, Zo-

simum, Agathonem: quorum plerisque contigit, ut universae christianae reipublicae administrationem sapienter sancteque gestam, profuso etiam sanguine consecrarent. — Plane liquet quo tempore, qua caussa, quibus auctoribus infelix excitata discordia. Ante illud tempus, quo tempore homo separavit quod Deus coniunxerat, sanctum erat apud omnes christiani orbis gentes Sedis Apostolicae nomen, romanoque Pontifici, ut beati Petri successori legitimo, ob eamque rem Iesu Christi in terris vicario, Oriens pariter atque Occidens consentientibus sententiis sine ulla dubitatione parebant. — Hanc ob caussam, si respiciatur ad initia dissidii, Photius ipse oratores de rebus suis Romam destinandos curavit: Nicolaus vero I Pontifex maximus Constantinopolim legatos suos, nullo contra dicente, ab Urbe misit, *ut Ignatii Patriarchae caussam diligenter investigarent, et Sedi Apostolicae plenis ac veracibus referrent indiciis:* ita ut tota rei gestae historia primatum romanae Sedis, quacum dissensus tum erumpebat, aperte confirmet. — Denique in Conciliis magnis tum Lugdunensi II, tum Florentino, supremam romanorum pontificum potestatem nemo ignorat, facili consensione et una omnes voce, latinos graecosque ut dogma sanxisse.

Ista quidem ob hanc rem consulto revocavimus, quia ad reconciliandam pacem velut invitamenta sunt: eo vel magis, quod hoc tempore perspicere in orientalibus videmur multo mitiorem erga catholicos animum, imo propensionem quamdam benevolentis voluntatis. Id nominatim non multo ante apparuit, cum scilicet nostris, pietatis caussâ in Orientem advectis, egregia humanitatis amicitiaeque praestita officia vidimus. — Itaque *os Nostrum patet ad vos*, quotquot estis, graeco aliove orientali ritu, Ecclesiae catholicae discordes. Magnopere velimus, reputet unusquisque apud se illam Bessarionis ad patres vestros plenam amoris gravitatisque orationem: *Quae nobis relinquetur apud Deum responsio, quare a fratribus divisi fuerimus, quos ut uniret et ad unum ovile redigeret, ipse descendit de caelo, incarnatus et crucifixus est? quae nostra defensio erit apud posteros nostros? non patiamur haec, Patres optimi: non habeamus hanc sententiam, non ita male nobis consulamus et nostris.* — Quae sint postulata Nostra, probe per se ipsa et coram Deo perpendite. Nullâ quidem humana re, sed caritate divina, communisque salutis studio permoti, reconciliationem coniun-

ctionemque cum Ecclesia romana suademus: coniunctionem intelligimus plenam ac perfectam: talis enim esse nullo modo potest ea, quae nihil amplius inducat, quam certam aliquam dogmatum credendorum concordiam fraternaeque caritatis commutationem. Vera coniunctio inter christianos est, quam auctor Ecclesiae Iesus Christus instituit voluitque, in fidei et regiminis unitate consistens. Neque est cur dubitetis, quidquam propterea vel Nos vel successores Nostros de iure vestro, de patriarchalibus privilegiis, de rituali cuiusque Ecclesiae consuetudine detracturos. Quippe hoc etiam fuit, idemque est perpetuo futurum in consilio disciplinaque Apostolicae Sedis positum, propriis cuiusque populi originibus moribusque ex aequo et bono non parce tribuere. — At vero redintegrata nobiscum communione, mirum profecto quanta Ecclesiis vestris dignitas, quantum decus, divino munere, accedet. Sic igitur vestram ipsorum supplicationem Deus perbenigne audiat, *Fac cessent schismata ecclesiarum* (1), atque, *Congrega dispersos et reduc errantes, et coniunge sanctae tuae catholicae et apostolicae Ecclesiae* (2): sic ad illam restituamini unam sanctamque fidem, quam ultima vetustas nobis perinde vobisque constantissime tradidit; quam patres ac maiores vestri inviolate servarunt: quam ipsam splendore virtutum, magnitudine ingenii, excellentia doctrinae certatim illustravere Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, uterque Cyrillus, aliique magni complures, quorum gloria ad Orientem atque Occidentem, tamquam communis hereditas aeque pertinet.

Vosque nominatim compellare hoc loco liceat, Slavorum gentes universae, quarum claritudinem nominis multa rerum gestarum monumenta testantur. Nostis quam egregie de Slavis meruerint sancti in fide patres Cyrillus et Methodius, quorum memoriam Nosmetipsi honore debito augendam aliquot ante annis curavimus. Eorum virtute et laboribus parta plerisque e genere vestro populis humanitas et salus. Quo factum ut Slavoniam inter et romanos pontifices pulcherrima vicissitudo hinc beneficiorum, illinc fidelissimae pietatis diu extiterit. Quod si maiores vestros misera temporum calamitas magnam partem

(1) Παῦσον τὰ σχίσματα τῶν ἐκκλησιῶν (in liturgia S. Basilii).

(2) Τοὺς ἐσκορπισμένους ἐπισυνάγαγε, τοὺς πεπλανημένους ἐπανάγαγε, καὶ σύναψον τῇ ἁγίᾳ σου καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ (Ibid.).

a professione romana alienavit, considerate quanti sit redire ad unitatem. Vos quoque Ecclesia pergit ad suum revocare complexum, salutis, prosperitatis, magnitudinis praesidium multiplex praebitura.

Caritate non minore ad populos respicimus, quos, recentiore memoria, insolita quaedam rerum temporumque conversio ab Ecclesia romana seiunxit. Variis exactorum temporum casibus oblivione dimissis, cogitationem supra humana omnia erigant, animoque veritatis et salutis unice cupido, reputent apud se constitutam a Christo Ecclesiam. Quacum si velint congregationes conferre suas, et quo loco in illis religio sit aestimare, facile dabunt, se quidem multis maximisque in rebus, primordiorum oblitos, ad nova errore vario defluxisse; neque diffitebuntur, ex eo velut patrimonio veritatis, quod novarum rerum auctores secum in secessione avexerant, nullam fere formulam fidei certam atque auctoritate praeditam apud ipsos superesse. Immo vero illuc iam deventum, ut multi non vereantur fundamentum ipsum convellere, in quo religio tota et spes omnis mortalium unice nititur, quod est divina Iesu Christi Servatoris natura. Pariter quos antea novi veterisque Testamenti libros affirmabant divino afflatu conscriptos, eis nunc talem abnegant auctoritatem; quod sane, data cuilibet potestate interpretandi sensu iudicioque suo, omnino consequi erat necesse. — Hinc sua cuiusque conscientia, sola dux et norma vitae, qualibet alia reiecta agendi regula: hinc pugnantes inter se opiniones et sectae multiplices, eaedemque persaepe in *naturalismi* aut *rationalismi* placita abeuntes. Quocirca, desperato sententiarum consensu, iam coniunctionem praedicant et commendant fraternae caritatis. Atque id sane vere: quandoquidem caritate mutua coniuncti esse universi debemus. Id enim maxime Iesus Christus praecepit, atque hanc voluit esse sectatorum suorum notam, diligere inter se. Verum qui potest copulare animos perfecta caritas, si concordes mentes non effecerit fides? — His de causis complures eorum de quibus loquimur, sano iudicio, veritatisque studiosi, certam salutis viam in Ecclesia catholica quaesivere, cum plane intelligerent nequaquam se posse cum Iesu Christo tamquam capite esse coniunctos, cuius non adhaerescerent corpori, quod est Ecclesia: nec sinceram Christi fidem adipisci, cuius magisterium legitimum, Petro et successoribus traditum, repudiarent. Ii videlicet in Ecclesia romana expressam verae Ecclesiae speciem

atque imaginem dispexere, inditis ab auctore Deo notis plane conspicuam: ideoque in ipsis numerantur multi, acri iudicio subtilique ad antiquitatem excutiendam ingenio, qui Ecclesiae romanae ab Apostolis continuationem, dogmatum integritatem, disciplinae constantiam scriptis egregiis illustrarint. Igitur horum virorum proposito exemplo, compellat vos plus animus quam oratio, fratres nostri, qui tria iam saecula nobiscum de fide christiana dissidetis, itemque vos, quotcumque deinceps quavis de caussa seorsum a nobis abiistis. *Occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei* (1). Ad hanc unitatem, quae nullo tempore Ecclesiae catholicae defuit, nec potest ulla ratione deesse, sinite ut vos invitemus, dextramque peramanter porrigamus. Vos Ecclesia, communis parens, iamdiu revocat ad se, vos catholici universi fraterno desiderio expectant, ut sancte nobiscum colatis Deum, unius Evangelii, unius fidei, unius spei professione in caritate perfecta coniuncti.

Ad plenum optatissimae unitatis concentum, reliquum est ut ad eos, quotquot toto orbe sunt, transgrediatur oratio, quorum in salute diu evigilant curae cogitationesque Nostrae: catholicos intelligimus, quos romanae professio fidei uti obedientes facit Apostolicae Sedi, ita tenet cum Iesu Christo coniunctos. Non ii quidem ad veram sanctamque unitatem cohortandi, quippe cuius iam sunt, divina bonitate, compotes: monendi tamen ne, ingravantibus undique periculis, summum Dei beneficium socordia atque ignavia corrumpant. — Huius rei gratiâ, quae Nosmetipsi gentibus catholicis vel universis vel singulis alias documenta dedimus, ex iis cogitandi agendique normam opportune sumant: illudque imprimis velut summam sibi legem statuant, magisterio auctoritatique Ecclesiae non anguste, non diffidenter, sed toto animo et perlibente voluntate omnibus in rebus esse parendum. — Qua in re animum advertant, illud quam valde sit unitati christianae perniciosum, quod germanam formam notionemque Ecclesiae varius opinionum error passim obscuravit, delevit. Ea quippe, Dei conditoris voluntate ac iussu, societas est genere suo perfecta: cuius officium ac munus est imbuere praeceptis institutisque evangelicis genus humanum, tuendaque integritate morum et christianarum exercitatione virtutum, ad eam, quae unicuique hominum proposita in caelis est, felicitatem

(1) Ephes. IV. 13.

adducere. Quoniamque societas est, uti diximus, perfecta, idcirco vim habet virtutemque vitae, non extrinsecus haustam, sed consilio divino et suapte naturâ insitam: eademque de caussa nativam habet legum ferendarum potestatem, in iisque ferendis rectum est eam subesse nemini: itemque aliis in rebus, quae sint iuris sui, oportet esse liberam. Quae tamen libertas non est eiusmodi, ut ullum det aemulationi invidiaeque locum: non enim potentiam consectatur Ecclesia, neque ulla cupiditate sua impellitur, sed hoc vult, hoc expetit unice, tueri in hominibus officia virtutum, et hac ratione, hac via, sempiternae eorum saluti consulere. Ideoque facilitatem indulgentiamque maternam adhibere solet: imo etiam non raro contingit, ut plura temporibus civitatum tribuens, uti iure suo abstineat: quod sane pacta ipsa abunde testantur cum imperiis saepe conventa. — Nihil magis ab ea alienum, quam rapere ad se quicquam de iure imperii: sed vicissim vereatur imperium necesse est iura Ecclesiae, caveatque ne ullam ex iis partem ad se traducat. — Nunc vero, si res et facta spectentur, cuiusmodi est temporum cursus? Ecclesiam videlicet suspectam habere, fastidire, odisse, invidiose criminari nimis multi consuevere: quodque multo gravius, id agunt omni ope et contentione, ut ditioni gubernatorum civitatis faciant servientem. Hinc sua ipsi et erepta bona, et deducta in angustum libertas: hinc alumnorum sacri ordinis circumiecta difficultatibus institutio: perlatae in Clerum singulari severitate leges: dissolutae, prohibitae, optima christiani nominis praesidia, religiosorum sodalitates; brevi, *regalistarum* praecepta atque acta acerbius renovata. Hoc quidem est vim afferre sanctissimis Ecclesiae iuribus: quod maxima gignit civitatibus mala, propterea quod cum divinis consiliis aperte pugnat. Princeps enim atque opifex mundi Deus, qui hominum congregationi et civilem et sacram potestatem providentissime praeposuit, distinctas quidem permanere eas voluit, at vero seiunctas esse et confligere vetuit. Quin immo cum Dei ipsius voluntas, tum commune societatis humanae bonum omnino postulat, ut potestas civilis in regendo gubernandoque cum ecclesiastica conveniat. Hinc sua et propria sunt imperio iura atque officia, sua item Ecclesiae: sed alterum cum altera concordiae vinclo colligatum esse necesse est. — Ita sane futurum, ut Ecclesiae imperiique necessitudines mutuae ab illa sese expediant perturbatione, quae nunc est, non uno nomine improvida, bonisque omnibus per-

molesta: pariterque impetrabitur, ut non permixtis, neque dissociatis utriusque rationibus, reddant cives *quae sunt Caesaris, Caesari, quae sunt Dei, Deo.*

Simili modo magnum unitati discrimen ab ea hominum secta impendet, quae *Massonica* nominatur, cuius funesta vis nationes praesertim catholicas iamdiu premit. Turbulentorum temporum nacta favorem, viribusque et opibus et successu insolescens, dominatum suum firmius constabilire latiusque propagare summa ope contendit. Iamque ex latebra et insidiis in lucem erupit civitatum, atque in hac Urbe ipsa, catholici nominis principe, quasi Dei numen lacessitura consedit. Quod vero calamitosissimum est, ubicumque vestigium posuit, ibi in omnes sese ordines in omniaque instituta reipublicae infert, si tandem summam arbitriumque obtineat. Calamitosissimum id quidem: eius enim manifesta est quum opinionum pravitas tum consiliorum nequitia. Per speciem vindicandi iuris humani civilisque societatis instaurandae, christianum nomen hostiliter petit: traditam a Deo doctrinam repudiat; officia pietatis, divina sacramenta, tales res augustiores, tamquam superstitiosa vituperat: de matrimonio, de familia, de adolescentium institutione, de privata omni et publica disciplina, christianam formam detrahere nititur, omnemque humanae et divinae potestatis reverentiam ex animo evellere populorum. Praecipit vero colendam homini esse naturam, atque huius unius principiis aestimari ac dirigi veritatem, honestatem, iustitiam oportere. Quo pacto, uti perspicuum est, compellitur homo ad mores fere vitaeque consuetudinem ethnicorum, eamque multiplicatis illecebris vitiosiorem. — Hac de re, quamquam alias a Nobis gravissimeque est dictum, Apostolica tamen vigilantia adducimur in idem ut insistamus, etiam atque etiam monentes, in tam praesenti periculo nullas esse cautiones tantas, quin suscipiendae sint maiores. Clemens prohibeat Deus nefaria consilia: sentiat tamen atque intelligat populus christianus, indignissimum sectae iugum excutiendum aliquando esse: excutiantque enixius, qui durius premuntur, Itali et Galli. Quibus armis, qua ratione id rectius possint, iam Nos ipsi demonstravimus: neque victoria incerta eo fidentibus duce, cuius perstat divina vox: *Ego vici mundum* (1).

(1) Ioan. XVI. 33.

Utroque depulso periculo, restitutisque ad fidei unitatem imperiis et civitatibus, mirum quam efficax medicina malorum et quanta bonorum copia manaret. Praecipua libet attingere.

Pertinet primum ad dignitatem ac munere Ecclesiae: quae quidem receptura esset honoris gradum debitum, atque iter suum et invidia vacuum et libertate munitum pergeret, administra evangelicae veritatis et gratiae; idque singulari cum salute civitatum. Ea enim cum magistra sit et dux hominum generi a Deo data, conferre operam potest praecipue accommodatam maximis temporum conversionibus in commune bonum temperandis, caussis vel impeditissimis opportune dirimendis, recto iustoque, quae firmissima sunt fundamenta reipublicae provehendo.

Praeclara deinde coniunctionis inter nationes accessio fieret, desideranda maxime hoc tempore, ad taetra bellorum discrimina praecavenda. — Ante oculos habemus Europae tempora. Multos iam annos plus specie in pace vivitur, quam re. Insidentibus suspicionibus mutuis, singulae fere gentes pergunt certatim instruere sese apparatu bellico. Improvida adolescentium aetas procul parentum consilio magisterioque in pericula truditur vitae militaris: validissima pubes ab agrorum cultura, a studiis optimis, a mercaturis, ab artificiis, ad arma traducitur. Hinc exhausta magnis sumptibus aeraria, attritae civitatum opes, afflicta fortuna privatorum: iamque ea, quae nunc est, veluti procincta pax diutius ferri non potest. Civilis hominum coniunctionis talemne esse naturâ statum? Atqui hinc evadere, et pacem veri nominis adipisci, nisi Iesu Christi beneficio, non possumus. Etenim ad ambitionem, ad appetentiam alieni, ad aemulationem cohibendam, quae sunt maximae bellorum faces, christiana virtute imprimisque iustitia, nihil est aptius: cuius ipsius virtutis munere tum iura gentium et religiones foederum integra esse possunt, tum germanitatis vincula firmiter permanere, eo persuaso: *Iustitia elevat gentem* (1).

Pariter domi suppetet inde praesidium salutis publicae multo certius ac validius, quam quod leges et arma praebent. Siquidem nemo non videt, ingravescere quotidie pericula incolumitatis et tranquillitatis publicae, cum seditiosorum sectae, quod

(1) Prov. XIV. 34.

crebra testatur facinorum atrocitas, in eversiones conspirent atque excidia civitatum. Scilicet magna contentione agitatur ea duplex causa, quam *socialem,* quam *politicam* appellant. Utraque sane gravissima: atque utrique sapienter iusteque dirimendae, quamvis laudabilia studia, temperamenta, experimenta sint in medio consulta, tamen nihil aliud tam opportunum fuerit, quam si passim animi ad conscientiam regulamque officii ex interiore fidei christianae principio informentur. — De *sociali* causa in hanc sententiam a Nobis non multo ante, datâ operâ, tractatum est, sumptis ab Evangelio, itemque a naturali ratione principiis. De caussa *politica,* libertatis cum potestate conciliandae gratiâ, quas multi notione confundunt et re intemperanter distrahunt, ex christiana philosophia vis derivari potest perutilis. Nam hoc posito, et omnium assensu approbato, quaecumque demum sit forma reipublicae, auctoritatem esse a Deo, continuo ratio perspicit, legitimum esse in aliis ius imperandi, consentaneum in aliis officium parendi, neque id dignitati contrarium, quia Deo verius quam homini paretur: a Deo autem *iudicium durissimum iis qui praesunt* denuntiatum est, nisi personam eius recte iusteque gesserint. Libertas vero singulorum nemini potest esse suspecta et invisa, quia nocens nemini, in iis quae vera sunt, quae recta, quae cum publica tranquillitate coniuncta, versabitur. — Denique si illud spectetur, quid possit populorum ac principum parens et conciliatrix Ecclesia, ad utrosque iuvandos auctoritate consilioque suo nata, tum maxime apparebit quantum salutis communis intersit, ut gentes universae inducant animum idem de fide christiana sentire, idem profiteri.

Ista quidem cogitantes ac toto animo concupiscentes, longe intuemur qualis esset rerum ordo in terris futurus, nec quidquam novimus consequentium bonorum contemplatione iucundius. Fingi vix animo potest, quantus ubique gentium repente foret ad omnem excellentiam prosperitatemque cursus, constituta tranquillitate et otio, incitatis ad incrementa litteris, conditis insuper auctisque christiano more, secundum praescripta Nostra, agricolarum, opificum, industriorum consociationibus, quarum ope et vorax reprimatur usura, et utilium laborum campus dilatetur.

Quorum vis beneficiorum, humanarum atque excultarum gentium nequaquam circumscripta finibus, longe lateque, velut abundantissimus amnis, deflueret. Illud enim est considerandum,

quod initio diximus, gentes multitudine infinitas plura iam saecula et aetates praestolari, a quo lumen veritatis humanitatisque accipiant. Certe, quod pertinet ad sempiternam populorum salutem, aeternae mentis consilia longissime sunt ab hominum intelligentia remota: nihilominus si per varias terrarum plagas tam est adhuc infelix superstitio diffusa, id non minima ex parte vitio dandum subortis de religione dissidiis. Nam, quantum valet mortális ratio ex rerum eventis existimare, hoc plane videtur Europae munus assignatum a Deo, ut christianam gentium humanitatem ad omnes terras sensim perferat. Cuius tanti operis initia progressusque, superiorum aetatum parta laboribus, ad laeta incrementa properabant, cum repente discordia saeculo XVI deflagravit. Discerpto disputationibus dissidiisque nomine christiano, extenuatis Europae per contentiones et bella viribus, funestam temporum vim sacrae expeditiones sensere. Insidentibus discordiae caussis, quid mirum si tam magna pars mortalium moribus inhumanis et vesanis ritibus implicita tenetur? Omnes igitur pari studio demus operam ut concordia vetus, communis boni caussâ, restituatur. Eiusmodi reconciliandae concordiae, pariterque beneficiis christianae sapientiae late propagandis, opportuna maxime fluunt tempora, propterea quod humanae fraternitatis sensa nunquam altius in animos pervasere, neque ulla aetate visus homo sui similes, noscendi opitulandique caussâ, studiosius anquirere. Immensos terrarum marisque tractus celeritate incredibili currus et navigia transvehuntur; quae sane egregios usus afferunt, non ad commercia tantummodo curiositatemque ingeniosorum, sed etiam ad verbum Dei ab ortu solis ad occasum late disseminandum.

Non sumus nescii, quam diuturni laboriosique negotii sit rerum ordo, quem restitutum optamus: nec fortasse deerunt, qui Nos arbitrentur nimiae indulgere spei, atque optanda magis, quam expectanda quaerere. Sed Nos quidem spem omnem ac plane fiduciam collocamus in humani generis Servatore Iesu Christo, probe memores, quae olim et quanta per stultitiam Crucis et praedicationis eius patrata sint, *huius mundi* obstupescente et confusa *sapientia*. — Principes vero et rectores civitatum nominatim rogamus, velint pro civili prudentia sua et fideli populorum cura consilia Nostra ex veritate aestimare, velint auctoritate et gratia fovere. Quaesitorum fructuum si vel pars provenerit, non id minimi fuerit beneficii loco in tanta re-

rum omnium inclinatione, quando impatientia praesentium temporum cum formidine iungitur futurorum.

Extrema saeculi superioris fessam cladibus trepidamque perturbationibus Europam reliquere. Haec, quae ad exitum properat aetas, quidni, versa vice, humano generi hereditate transmittat auspicia concordiae cum spe maximorum bonorum, quae unitate fidei christianae continentur?

Adsit optatis votisque Nostris *dives in misericordia Deus, cuius in potestate tempora sunt et momenta,* benignissimeque implere maturet divinum illud Iesu Christi promissum, *fiet unum ovile et unus pastor* (1).

Datum Romae, apud S. Petrum die xx Iunii an. MDCCCXCIV, pontificatus Nostri decimo septimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

AQUILANA

PRAEEMINENTIARUM

Die 24 Februarii 1894.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Urbs Aquila coaluit ex circumstantibus oppidulis, post Amiternii et Furconii excidium, quaerentibus in communi commoratione et sede perfugium et defensionem, ita tamen ut singulos novae civitatis vicos singulis Castris attribuerint, totidem ferme Ecclesiis, plateis, fontibus, aliisque id genus constitutis, quibus et in civitate internoscerentur et cum reliquis qui oppidulis adhuc inhaeserant, quodam veluti coloniae iure ac foedere coniungerentur. Huc

(1) Ioan. X. 16.

referendum quod etiam duplex Paganica extiterit, quarum altera *ad intra*, altera *ad extra* hodie quoque appellata est. At Clerus oppidi Paganicae apud antiquam sedem constiterat; unde acris exorta est contentio coram S. Cong. C. utrum Archypresbyter residere deberet in Ecclesia *ad extra;* sed resolutum fuit, Archipresbyterum una cum Capitulo residere in Ecclesia *ad intra;* uti refert Garz. *De Benef. part. 3, n. 179, in declarat. 15;* et Barbosa *de Parocho p. 1, cap. 8, n. 10;* et fuit provisum, quoad Ecclesiam *ad extra,* ut retineretur Vicarius Curatus cum nonnullis cappellanis residentialibus, choro addictis.

Electus anno 1599 Episcopus Ioseph De Rubeis in executionem Constitutionis 47, S. Pii V, Vicariam Curatam manualem in Ecclesia Paganicae *ad extra* erexit anno 1600 in perpetuam, ei assignando in congruam ducat. 50. Iam exortae erant contentiones canonicos inter et Vicarium Curatum circa praeeminentias in functionibus et processionibus in Ecclesia *ad extra* quando Capitulum vel aliquis de capitulo se contulissent ad ecclesiam Paganicae *ad extra* quae controversiae formiter fuerunt propositae S. C. C. sub die 11 Septemb. 1728 sub tribus dubiis; primo nempe: *an Missam canere in diebus solemnioribus competeret Vicario Curato Ecclesiae ad extra vel potius Archipresbytero, Canonicis et Cappellanis Ecclesiae ad intra uti singulis dum sint praesentes in casu;* secundo: *an stolam deferre et praecedere in processionibus funerum et Rogationum aliisque competat Vicario Curato Ecclesiae ad extra vel potius Archipresbytero, Canonicis et Cappellanis Ecclesiae ad intra uti singulis, dum sint praesentes in casu;* tertio: *an functiones benedictionum et excommunicationum possint fieri a dicto Vicario; sive potius tam a Cappellanis ad extra quam Archipresbytero, Canonicis et Cappellanis ad intra sive uti singulis, sive ut universis; dum sunt praesentes; excluso Vicario in casu;* et responsum fuit, favore Vicarii Curati, ad omnia dubia *affirmative* quoad primam partem, negative quoad secundam.

Non acquievit Capitulum Paganicae *ad intra*, nec ipsi Cappellani Ecclesiae *ad extra* qui sibi viderant in omnibus praepositum Vicarium curatum, et obtento novae audientiae beneficio, causa iterum proposita fuit in Congregatione habita die 10 Martii anni 1731, at, ob graviores hinc inde scatentes difficultates, rescriptum fuit: – *Dilata; et ad Eminentissimum D. Bellugam qui dignetur rem perpendere et Votum suum S. Congregationi aperire, auditis partibus.* – Perspicuitate, et doctrinae copia et iudicii maturitate eximium exaravit votum Eñus Belluga, reformans Congregationis decisiones, quod tamen S. C. C. sub die 22 Septembris anni 1731 amplexa est rescribens « *Sacra Congregatio Eñorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum censuit servandum esse in omnibus supradictum Votum Eñi D. Card. Belluga et hanc causam amplius non proponi mandavit.* » Cuius decisionis vim cum necessarium sit intimius cognoscere, referimus eam partem Voti Eñi Belluga, pressius hanc quaestionem spectantem.

« Dub. I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 1 Septembris 1728* ».

« Dubia proposita praefata die 11 Septembris fuerunt tria; Primum erat: *An in quibuslibet festivitatibus solemnioribus anni possit Vicarius missam maiorem celebrare in Eccl. S. Mariae Paganicae ab extra, sive potius hoc liceat tam Canonico, et Cappellanis Eccl. ab intra uti singulis, dum sunt praesentes, excluso eodem Vicario in casu etc.* Ad quod fuit responsum: *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam;* sed sum in sensu recedendum esse ab hac resolutione rescribendo, in solemnioribus diebus canere missam spectare Archypresbyterum et Canonicos etiam uti singulos quando sint praesentes, ipsis vero absentibus pertinere ad eum, qui est de hebdomada, sive Vicarius Curatus sit, sive Cappellanus ».

« Etenim quoad primam partem ista Eccl. ab extra est dependens ab Eccl. Collegiata ab intra, et Cappellani, ac Vicarius Curatus in eadem Eccl. ab extra residentes, ac ha-

bentes onus quotidiani servitii in choro participant ab eadem Massa cum Canonicis et Cappellanis ab intra, et si illi vadant ad Civitatem Aquilae admittuntur in choro Collegiatae S. Mariae de Paganica, ac participant de emolumentis dictae Ecclesiae cum praecedentia iuxta eorum antianitatem, et viceversa idem servatur cum Canonicis, et Cappellanis Eccl. ab intra accedentibus ad Eccl. ab extra, ut refert Rñus Ep., ac deponunt testes Capituli et sic quotiescumque in Ecclesia ab extra reperiatur aliquis Canonicus, debebit ipse uti dignior Cappellanis, et Vicario, missam cantare iuxta resolutiones S. C. R. in *Gerunden. functionum 11 Februarii 1602:* in *Barchinonen. 26 Septembris 1682*, relatas a Scarfanton. ad Ceccoper. *Lib. 2 tit. 13 n. 9 et 11* ».

« Praesertim attenta iurium praeservatione facta ad favorem Capituli in erectione istius Vicariae, omnium nempe praerogativarum, ac praeeminentiarum antea competentium. Et sic cum antea absque dubio hoc competeret Archipresbytero, et Canonicis, idcirco tale ius debet etiam hodie eis competere ».

« In absentia vero Archipresbyteri, aut Canonicorum, existimo servandam esse hebdomadam inter Vicarium, et Cappellanos, quia quoad istas functiones chorales, qualis est canere missam et Cappellani Vicarium, nec iste Cappellanos excedunt, qui Vicarius in his functionibus uti non Parochialibus non procedit tanquam Vicarius, sed tanquam unus ex Cappellanis. Omnes enim sunt eodem modo addicti servitio chori, ac participant de eadem massa, et ad omnes indiscriminatim pertinent istae functiones chorales: de Rubeis *apud Gratian. discept. forens. cap. 298 num. 40.* Panimoll. *decis. 1, adnot. 9, n. 27.* Ceccoper. *Lucub. Canon. lib. 3, tit. 1, n. 2 et seqq.* Scarfanton, *ad eundem lib. 1, tit. 8, num. 21;* Rot. *in Maioricen. Vicariae 10 Iunii 1698 coram Muto* ».

« Dub. II. *An in Processionibus funerum, Rogationum, et aliis, quae fiunt in Terra Paganicae, possit Vicarius praecedere, et deferre stolam, sive potius hoc liceat tam Cano-*

nicis, quam Cappellanis ab extra, quam Archipresbytero, Canonicis, et Cappellanis ab intra uti singulis, dum sunt praesentes excluso eodem Vicario ».

« Ad hoc dubium fuit responsum affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam. Ego etiam sum in eodem sensu, cum sequenti tamen modificatione. Etenim cum in dubio agatur tam de processionibus funeralibus, quam de non funeralibus, censeo resolutionem S. Congregationis servandam esse quoad funerales, in quibus delatio stolae est de iuribus Parochialibus, Samuel de sepulturis *tract. 1. disp. 3, contr. 7, n. 9.* Caponius *discept. forens. cap. 4, num. 9.* Panimoll. *decis. 1, adnot. 10, n. 16.* Pignatell. *cons. 73, n. 21, tom. 8.* Monacell. *form. Legal. tom. 1, tit. 13, form. 1, n. 77,* iuxta Ritualis dispositionem *tit. de exequiis* contra quam nulla est allegabilis consuetudo, propterea eaque spectat ad Vicarium Curatum habentem privative ad Archipresbyterum, Canonicos, et Cappellanos plenum exercitium actualis Curae animarum. Quia deputato in aliquo loco Vicario Curato perpetuo, transit in illum totum et plenum exercitium Curae actualis, in qua nequit amplius se ingerere ille, penes quem remanet cura habitualis ad differentiam casus, in quo Vicarius esset amovibilis, et non perpetuus, ut distinguendo tradunt Vitalin. in *Clement. I.* § *ad haec num. 26 de Prebend.* Gonzal. *ad Regul. 8 Cancell. gloss. 6, num. 99.* Fermosin. in *Cap. ad haec qu. 1, n. 30. de Offic. Vicarii.* Loter. *de Benefic. lib. 1, q. 33, num. 3.* Azor. *Instit. moral. p. 2, lib. 3, cap. 6, num. 31.* Lauren. *For. Benef. q. 132, num. 3.* Piringh. in *Ius Canon. lib. 1, tit. 28, Sect. 2, num. 15.* Vanespen. in *Ius Canon. Eccles. p. 2, tit. 34, num. 26, 28.* Ex ea ratione quia Vicarius perpetuus licet proprie non sit Rector Eccl., est tamen rector Curae animarum ad tradita per Vitalin. in *Clement. 5. de Offic. Vicarii 24.* Gonzal. in *Regul. 8 Cancell. gloss. 5,* § *3, num 22.* Barbos. *Ius Eccl. lib. 3, cap. 6, num. 29.* Fermosin. *ad tit. et rubr. de Offic. Vicarii q. 1, n. 1.* »

« Cum autem dubium expresse loquatur de Archipresby-

tero, et Canonicis uti singulis, et non in corpore intervenientibus, et certum sit ad delationem stolae competentem ex supradictis privative ad Vicarium, sequatur praecedentia supra illos, uti singulos intervenientes hisce funeralibus Processionibus, iuxta declarationem. Cong. Rit. *die 20 Novembris 1603* relatam a Barbosa *De canonic. cap. 18. num. 63.* Panimoll. *decis. 1. Adnot 9. num. 25,* Ceccoper. *lib. 1, tit. 15, n. 28 et 29;* proinde allata resolutio S. Cong. in hac causa sustineri debet, loquendo de his funeralibus Processionibus, in quibus intervenientes Canonici uti singuli, debebunt Vicario Curato cum stola incedenti dare praecedentiam et a fortiori Cappellani ».

« Praesertim quia in fundatione huius Vicariae cavetur, quod cum Vicarius incedit cum stola ut d. Ecclesiae Curatus praecedere debeat Canonicos, ac inservientes d. Ecclesiae ab extra quod proprie intelligitur quando Canonici Ecclesiae ab extra vel quia habitando in d. Terra Paganicae, vel quia etiam ex aliquo accidenti in eadem reperti interveniant uti singuli funeribus, quia in Ecclesia ab extra numquam fuerunt, neque modo reperiuntur Canonici, cum numquam fuerit, neque sit collegiata, et sic etiam in vim d. fundationis uti singuli cedere locum debent Vicario, stolam in Processionibus funeralibus deferenti, in quibus ratione sui Officii, et uti Eccl. Curatus stolam defert iuxta dispositionem Ritualis, qui est casus de quo loquitur memorata fundatio ».

« Quo vero ad reliquas Processiones non funerales, quia illae non sunt de iuribus Parochialibus, sed sunt partes Divini Officii, veniuntque sub obligatione illud publice recitandi, qua ratione pro eis assignantur distributiones: Monet. *de distrib. p. 2, q. 3, n. 4.* Gavant. *in manual. Epis. Verb. Processio num. 28.* Ceccop. *Lucubr. Canon. lib. 2, tit. 17, num. 21 et seqq.* idcirco non ad Vicarium Curatum sed ad Hebdomadarium, qui in Choro gerat primam figuram, spectare debet deferre stolam, tenere in eis primum locum, cum Processiones dicantur chorus ambulans, et iuxta praecedentiam servatam in choro praecedunt inter se singuli in eis

intervenientes. Pignatell. *cons. 97, n. 1, tom. 7.* D. Advocat. Ursaia *tom. 5, discept. 18, num. 55* ».

« Si vero in his Processionibus non funeralibus interveniret Archipresbyter, aut aliquis Canonicus, tunc existimo ad ipsos pertinere delationem stolae, quatenus velint, et consequenter habere praecedentiam, et hoc cohaerenter ad saeped. instrumentum erectionis huius Vicariae, in quo favore Archipresbyteri, Canonicorum et Capituli praeservantur omnes et quaecumque praerogativae, praeeminentiae, ac dignitates, quibus usque tunc usi fuerunt in eadem Ecclesia de Paganica ab extra, et sic in actibus non respicientibus curam animarum, quam plene transtulerunt in Vicarium perpetuum, quales sunt istae processiones non funerales illis competere debet ius interveniendi cum delatione stolae, ac praecedentia, quatenus velint intervenire. Vicarius vero Curatus in hisce processionibus non aliam geret figuram, quam uti unus ex Cappellanis in loco suae antianitatis, et in sua Hebdomada stolam geret, ac praecedentiam obtinebit ».

« Dub. III. *An functiones benedictionum, publicationes Indulgentiarum, et excommunicationum possint fieri a d. Vicario, seu potius tam a Canonicis et Cappellanis ab extra, quam Archipresbytero, Canonicis et Cappellanis ab intra sive uti singulis, sive uti universis dum sunt praesentes excluso eodem Vicario. Ad quod fuit responsum affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam* ».

« Vicarius enim probavit in propositione *anni 1728* suo *sum. n. 4.* solitum explendi benedictiones sponsorum, agrorum, ac fontis baptismalis, sicuti etiam publicandi Indulgentias, ac Excommunicationes, quae omnia spectant ad Parochum. Et sane benedictiones sponsorum sunt de iuribus Parochialibus Barbos. de *Paroch. p. 1, cap. 12, n. 6,* aliique per eum relati; Benedictiones vero agrorum spectant ad Parochum, prout declaravit *S. R. C. anno 1666 apud Pignatell. cons. 74, num. 11, ad 6. tom. 6.* Benedictio etiam fontis baptismalis pertinet ad eumdem, prout tradit idem Barbos. loco citat. *num. 2.* Fermosin. *in Cap. 2, de Offic.*

Archipres. q. 1, n. 32. Lezana *summ. quaest. regul. lib. 1, cap. 12, n. 41.* Sicuti etiam aspersiones domorum cum aqua benedicta in Sabato Sancto. Barbos. *de Offic. Paroch. p. 1, cap. 12, num. 11 et 12.* Fermosin. *ad cap. 2. de Offic. Archipres. q. 2, n. 74 et 75.* Et S. haec Congreg. apud Lezana *tom. 1, cap. 1, n. 41* nec non benedictio facienda super defunctis priusquam tollantur de eorum domibus, quae pariter est de iuribus Parochialibus Lezana *summ. q. Regul. verb. Praedictio num. 18.* Barbos. *de Paroch. p. 3, cap. 26, num. 80.* Passerin. *de stat. homin. q. 187, art. 4, n. 162.* Et sic omnes istae Benedictiones Vicario Curato sunt reservandae ».

« At aliae benedictiones, quae non sunt de iuribus Parochialibus, non erunt privative reservatae Vicario Curato, quales sunt illae candelarum, Palmarum, et Cinerum, ut tradit Barbos. *collect. Apostolic. verb. Benedictio num. 10.* Lezana *eod. verb. num. 16.* Rotar. *Theolog. moral. tom. 3, lib. 2, cap. 2, punct. 1, n. 3,* idemque pro regula generali decrevit S. R. Cong. in decretis generalibus editis pro Confraternitatibus anno *1703,* in quibus resolutum fuit earum Cappellanos posse has benedictiones explere apud Monacell. *tom. 2, tit. 13, formul. n. 46.* Et sic Cappellani poterunt in suis respective hebdomadis eas habere, et Vicarius Curatus similiter in sua hebdomada, absque eo quod possit sibi adscribere quoad istas aliquam praerogativam. Et si interveniant in eadem Ecclesia Archipresbyter, et Canonici Eccl. ab intra eas benedictiones, quae non sunt de iuribus Parochialibus facere poterunt, non illas, quae ad ius Parochiale spectant ex rationibus supradictis; cum hac igitur moderatione quoad nempe benedictiones, quae sunt de iuribus Parochialibus, censeo bene fuisse responsum ad expositum dubium ».

« Hac ratione cum super tribus his dubiis iam a S. Cong. decisis modo proponatur dubium: *An sit standum, vel recedendum a decisis,* censeo omnibus sub hac unica responsione satisfieri posse nempe *in decisis iuxta modum et modus*

est, quod cantare Missam in diebus solemnis ritus in Ecclesia ab extra pertineat ad Cappellanum hebdomadarium, et consequenter ad Vicarium uti Cappellanum in sua hebdomada, ad Archipresbyterum vero, et Canonicos etiam uti singulos si praesentes sint, et velint eam celebrare, quod respicit primum dubium. *Quod delatio stolae, ac praecedentia in processionibus funeralibus pertineant privative ad Vicarium Curatum etiam praesente Archipresbytero et Canonicis; in reliquis vero processionibus non Parochialibus spectet ad hebdomadarium sive Cappellanus sit, sive Vicarius, praesentibus vero Archipresbytero, aut aliquo ex Canonicis ad ipsos si velint pertineat iuxta eorum antianitatem,* quod concernit secundum dubium. Et demum, *quod benedictiones sponsorum, domorum, agrorum, fontis baptismalis, cadaverum, nec non publicationes excommunicationum, ac Indulgentiarum spectent ad Vicarium Curatum privative quoad omnes, reliquae vero benedictiones, quae non sunt de iuribus Parochialibus, quales sunt Candelarum, Cinerum, et Palmarum fieri debent ab hebdomadario in suo Turno, et consequenter a Vicario uti Cappellano quando hebdomada ad eum pertineat, nisi praesentes sint Archipresbyter, aut aliqui ex Canonicis, ad quos, si velint, spectabunt,* quod pertinebat ad tertium dubium ».

Interim, rebus ita compositis, excrescente fidelium numero apud Ecclesiam Paganicae *ad extra,* cum unus Vicarius Curatus necessitatibus curae animarum sufficienter consulere non posset, anno 1797 Episcopus Gualtieri erexit tres cappellanias residentiales eiusdem Ecclesiae in totidem coadiutorias curatas per synodalem concursum conferendas.

Postea ut eidem necessitati melius prospiceret, quia ob congruae exiguitatem saepius mutabantur Vicarii Curati, ad eidem sufficientem et magis honorabilem et certam congruam tribuendam, ipse Episcopus Gualtieri, cum Capituli consensu et populi votis obsecundans univit in perpetuum Vicariae curatae ecclesiae Paganicae ad extra, an. 1799 quamdam vacantem praebendam canonicalem, nonnullis favore Capituli

adiectis limitationibus, quod decretum, praesentis controversiae cardinem, in parte dispositiva modo referimus:

« Quum animarum cura terrae Paganicae huius Aquilanae Dioecesis ab ipsa Urbis Aquilae constitutione dependeat ab insigni Collegiata et parochiali ecclesia S. Mariae de Paganica huius Civitatis, quae illic eam exercet per Vicarium *antiquitus quidem temporarium, nunc vero perpetuum:* et quum antedictae insignis collegiatae et parochialis Ecclesiae Capitulum Regiis vectigalibus gravatum *nequeat Vicario curato pro tempore existenti annuum stipendium praebere,* illo maius quod olim ei constitutum fuit, quamvis illius sustentationi, et animarum curae procurandae, hac praesertim aetate, minime sufficiat; idcirco *ut occurramus frequenti Vicariorum mutationi,* qui iustae sustentationis defectu laboriosam nimis animarum curam plerumque negligunt, aliaque Beneficia appetere consueverant, Capitulo antedictae Ecclesiae libenter assentiente, ac populo Terrae Paganicae obnixe postulante, Canonicatum seu praebendam in praedicta Collegiata et parochiali Ecclesia modo vacantem per obitum D. Petri Pauli Nanni ultimi Canonici et possessoris, *Vicariae Curatae, terrae Paganicae, in congruam portionem unire,* adnectere, aggregare, et assignare constituimus, prout, virtute etiam tum specialis facultatis Nobis a Concilio Tridentino, *Sess. XXV, concessae, tum regalis Diplomatis lati die XV Decembris superioris anni,* hoc praesenti Decreto unimus, adnectimus, aggregamus, et assignamus; ita ut quovis futuro tempore nullus alius antedictam Canonicalem praebendam possidere, eiusque fructus, ac redditus percipere possit nisi hodiernus Vicarius curatus, ac omnes eius in animarum cura successores a Capitulo legitime praesentati, *et ab Episcopo per iuris canonici tramitem instituti.* Verum ne hoc Nostro Decreto aliquod vel minimum praeiudicium inferatur sive Capitulo antedictae insignis Collegiatae et parochialis Ecclesiae S. Mariae de Paganica huius Civitatis, sive Vicario Curato Oppidi Paganicae, eiusque futuris Successoribus, sequentes conditiones adiicimus, quas ab utroque adamussim servandas

mandamus. - I. Integra ac illaesa maneant iura omnia ad Capitulum praedictae Ecclesiae quomodolibet pertinentia in parochialem Ecclesiam Terrae Paganicae, eiusque Vicarium Curatum, ac praesertim quolibet vacationis casu manuteneatur Capitulum in possessione *nominandi ac praesentandi* Vicarium curatum. - II. *Capitulum liberetur in posterum ab onere praestandi tum annuum stipendium, tum quidlibet aliud, quod Vicarius Curatus, eiusque Praedecessores ob congruae Praebendae defectum percipere hucusque consueverunt.* - III. Vicarius Curatus, ac eius omni futuro tempore Successor nominetur, et consideretur in omnibus *tanquam unus ex Canonicis* insignis Collegiatae et parochialis Ecclesiae S. Mariae de Paganica huius Civitatis: ac proinde uti unus e Canonicis, Cappellanos omnes praecedet tam eiusdem Ecclesiae, quam parochialis Ecclesiae S. Mariae Terrae Paganicae vulgo dictae *ab extra:* verum, nulla habita diuturnitatis servitii ratione, Canonici omnes praedictae Collegiatae et parochialis Ecclesiae semper praecedant Vicarium Curatum, eiusque successores. - IV. Vicarius Curatus, eiusque sucessores careant *turno hebdomadario,* seu iure ad Archipresbyterum vel Canonicum hebdomadarium pertinente, nominandi, seu praesentandi, quolibet vacationis casu, novos possessores quorumdam Beneficiorum tum residentialium, tum simplicium, in quae Capitulum quomodocumque iuspatronatum habet. - V. Hodiernus Vicarius Curatus, et quotquot ei in eiusmodi munere successerint, integras, et non tertia pro parte diminutas, ut hactenus, Chorales distributiones lucrentur, non secus ac reliqui omnes Canonici supradictae Collegiatae et parochialis Ecclesiae: manualia vero, emolumenta, et obventiones quascumque quotidianarum distributionum naturam non habentes, quae inter Rūdos Archipresbyterum, Canonicos, et Capellanos eiusdem Ecclesiae qualibet ex causa dividuntur, Vicarius Curatus, ac eius Successor numquam percipiat, nisi sacris functionibus, unde eiusmodi emolumenta proveniunt, forte intersit: ast in interessentiae casu tamquam Canonicus consideretur ».

Non potuit inveniri Decretum originale, at in actis sub die 7 Ianuarii, eiusdem anni, seu biduo post emanatam dispositionem, extat decretum executoriale quo Revñdo Dño Petro Colantoni curato terrae Paganicae conceditur possessio praebendae canonicālis vacantis per obitum D. Petri Pauli Nanni, ultimi possessoris, nec non adest de eadem praebenda attestatio captae realis, verae et corporalis possessionis sub die 23 Ianuarii 1799, concessa per Archipresbyterum Gerardi delegatum a capitulo.

Iterum mentio habetur de praebenda canonicali in titulum concessa Vicario curato oppidi Paganicae in S. Visitatione ab eodem Episcopo Gualtieri die 7 Septembris an. 1804 peracta, circa adnexa onera missarum ita decernente:

« Adest in eo erecta animarum cura sub titulo canonicatus curati, cum onere celebrandi et applicandi pro populo singulis diebus dominicis, ac festivis de praecepto; tenetur etiam ad missam celebrandam, et applicandam semel in hebdomada ex onere adnexo canonicatui erecto in insigni collegiatae, et parochiali ecclesia S. Mariae de Paganica ab intra, qui anno 1799 erectus fuit ser. ser. in vicariam curatam perpetuam, reservato iure canonico curato pro tempore existenti locum occupandi inter canonicos praedictae ecclesiae, quotiescumque sacris functionibus interesse voluerit. Verum quum ab aequitate alienum videatur, vicarium curatum ad duo missarum onera teneri, nempe ad alterum uti vicarium curatum, et ad alterum uti canonicum; idcirco ad utrumque adimplendum eum obligari volumus donec, facta diligentiori discussione, aliud a nobis non decernatur ».

Denique Episcopus Filippi, item occasione S. Visitationis, anni 1855, inveniens capellanos coadiutores non admodum sollicitos curae animarum administrandae sub regimine canonici curati, territorii parochialis voluit ipse certam partem capellanis assignare in quam singuli fidelibus curam pastoralem impertirent.

At contentio, praesentis iudicialis instantiae obiectum, mota est sub die 17 Ianuarii, anni 1890, a capellanis coad-

iutoribus contra curatum instantibus, ut in ecclesia Paganicae *ad extra* res reponerentur in eum statum quo a Rescripto anni 1731 a S. C. C. repositae fuerunt; quod Rescriptum Episcopus Gualtieri Decreto anni 1799 non potuit nec voluit abrogare; quocirca Vicarius curatus sibi vindicare non debeat insignia canonicalia, nec praeeminentiam nisi in functionibus parochialibus, ceteris functionibus relictis capellano hebdomadario, nec non ecclesiae proventuum in communi Vicario curato et capellanis administratione servata.

Archiepiscopus huic instantiae minime obtemperandum censuit, sed ut res iudiciali decreto componeret, capellanorum petitionem examini demandavit *Commissioni Sacrae Visitationis* quae partium auditis allegationibus, apposita Relatione exarata, capellanorum instantiam nulli fundamento inniti conclusit.

Commissionis S. Visitationis conclusiones approbans Archiepiscopus sub die 15 Februarii anni 1890, statuit: Decretum R. P. D. Gualtieri diei 5 Ianuarii 1799, manutenendum et observandum esse omnino a Parocho et Cappellanis coadiutoribus; qui vi eiusdem Decreti dependeant a Canonico curato; ad quem spectat praecedentia in omnibus functionibus solemnibus, et in processionibus cum propriis respectivis signis, usquemodo adhibitis, etc. administrationem emolumentorum adventitiorum credendam esse uni ex cappellanis et parocho, per vota electo: cum onere tradendi cuilibet cappellano aequalem portionem, duplam autem parocho: manutenendas omnino esse nedum provisiones S. Visitationis, R. P. D. Gualtieri anni 1797, sed etiam alias a R. P. D. Filippi traditas die 21 Maii 1855, quibus moderatur officium paroeciale pro tribus coadiutoribus; nullam tandem afferri modificationem iuribus Archipresbyteri et Capituli S. Mariae Paganicae de Aquila.

At non victas dedere manus capellani, praesertim hortatu et impulsu Valentini Vincenti, unius ex capellanis qui postea in iudicio et aliorum partes egit.

Disceptatio Synoptica

Defensio V. Valentini. Actor totus in eo est, ut probet decisionem S. C. C. anni 1731 constituisse regulas et iura irreformabilia pro ecclesia *Paganicae ad extra,* ita ut huiusmodi internae constitutioni aliquod praeiudicium inferre non potuerint decreta Episcopi Gualtieri sub fine elapsi saeculi et multo minus recens Archiepiscopi sententia anni 1890. Unde pro certo haberi debeat, adhuc ecclesiam Paganicae *ad extra* unum corpus efformare cum sua matrice, ecclesia collegiata S. Mariae de Paganica *ad intra*.

Tamen, notat, in Ecclesia *ad extra* constitutus fuit Vicarius *perpetuus inamovibilis* anno 1600 ab Episcopo De Rubeis, uti recognoscunt Decreta S. C. C. anni 1728 et 1731, quamvis hoc etiam adversarii inficiari videantur.

Cum vero, ex alia parte, oppositores autument res in Ecclesia *ad extra* mutatas fuisse, praesertim per decretum Episcopi Gualtieri anni 1799, actor pro viribus contendit hoc non peractum fuisse, nec peragi potuisse. Ait, non peractum fuisse, negans authenticitatem invocati decreti, cum Originale inveniri non possit, nec aliunde copiis admodum credendum sit, habita ratione perpetuae contentionis inter unam aliamque Paganicae Ecclesiam agitatae.

Sed, concessa etiam Decreti authenticitate, instat, non eiusdem fuisse intentionem mutandi statum Ecclesiae *ad extra,* sed solum attribuendi Vicario Curato certos et tutos reditus unius praebendae ad auferendum inconveniens, uti loquitur decretum, frequentis mutationis Vicarii curati, cum animarum pernicie, ob exiguitatem et congruae instabilitatem a capitulo pro suis reditibus solvendae. Quapropter Vicarius Curatus non evasit exinde canonicus, sed tantummodo habuit in congruam reditus praebendae canonicalis, et hoc factum omnino est aliis Cappellanis impertinens et extraneum.

Quod si in praedicto decreto sermo sit de praeeminentiis Vicarii Curati super Cappellanis, nec non de titulis canoni-

calibus seu « habeatur uti unus ex canonicis » id aliud non est iuxta actorem nisi « una frase gettata di traforo ».

Nam, pergit actor, iura vere canonicalia ei denegantur, uti ius nominandi, et ius capiendi possessionem in Ecclesia Collegiata *ad intra;* et quoad possessionem praebendae inserit hanc attestationem cancellarii Curiae nempe « Che il Curato di Paganica... prende possesso canonico nella Chiesa di Paganica dove esercita la cura delle anime indipendentemente dal Parroco di Aquila ». Sed, prosequitur, etiam si emanatum fuerit decretum ab Episcopo Gualtieri oporteret dicere nunquam executioni demandatum fuisse, cum Bullae collationis Vicariae curatae post annum 1799, nihil differant ab iis ante illud tempus datis ; et ipse Archiepiscopus in ultimo concursu indicto, die 21 Aprilis anni 1888 in textu edicti ait de Paganicae *ad extra* esse « Cum animarum cura sub titulo Vicaria Vicariae Curatae ».

Refert etiam actor cuiusdam controversiae acta agitatae inter vicarium Curatum Paganicae *ad extra* et quemdam Canonicum Ecclesiae *ad intra* sub anno 1821 in qua Vicarius Curatus, coram suo contendente, nunquam audet sibi arrogare iura et titulos canonicales, qui ipsi profuissent.

Quia e contra oppositor in medium affert relationem S. Visitationis peractae ab Episcopo Gualtieri anni 1804, appellantis saepe *Canonicum* Vicarium Curatum, respondet hoc nihil probare, cum eiusmodi appellatio intelligenda sit *modo improprio* ob reditus canonicalis praebendae ab eodem Episcopo Vicario assignatos. Ceterum, advertit, non semel Vicarios Curatos inhiasse iuribus et titulis Canonicalibus, unde Episcopus videtur, quasi ad sedandas iras, taliter indulsisse Vicariorum ambitionibus. Quod si Cappellani tunc temporis pacifice suas subscriptiones S. Visitationis actis apposuerunt, explicat actor « perchè non poterono avere la forza di rifiutare la firma ».

Verum adversarii instantius contra Cappellanos arguunt; ipsos venire contra factum proprium et proinde dolo agere, nam contra Gubernium sibi vindicans bona et praebendas

Ecclesiae Paganicae *ad extra*, solliciti porrexerunt Decreta Episcopi Gualtieri, probare contendentes, Vicarium curatum obtinuisse praebendam Canonicalem in titulum Vicariae Curatae et alios Cappellanos evasisse coadiutores curatos. Cui instantiae Capellani reponunt quod non alio scopo ipsi apud civile tribunal invocarunt Decreta Episcopi Gualtieri nisi ad probandam naturam praebendae curatae tum in Vicaria tum in Cappellaniis; et huiusmodi praebendas legi suppressionis S. Augusti anni 1867 subiectas non esse.

At postremo loco actor asserit nec *fieri potuisse* quod contendunt oppositores, per decreta Episcopi Gualtieri, quandoquidem Episcopo ne tempore quidem s. Visitationis licere ea immutare a S. Romana congregatione firmiter statuta.

Circa aliud controversiae caput respiciens Ecclesiae proventum et cultus expensarum administrationem, quam actor in communi habendam esse contendit, subiungit nullum adesse Ordinariorum decretum auferens hoc ius Cappellanis quippe qui in curam animarum et in cultum divinum habent speciale mandatum. Hinc referunt elenchum negotiorum ab anno 1877 ad 1880 ex quo apparet modo unum modo alium Cappellanum ea peregisse et in specie indiscriminatim eos exegisse crediti syngraphas *(mandati di pagamento)* a Congregatione Charitatis.

Denique postremo loco actor animadvertit, non esse omnino tollerandum ridiculum abusum Vicarii curati induendi insignia Canonicalia in Ecclesia Paganicae *ad extra* non solum cum nullimode sit canonicus sed quia, etsi esset, id prohiberetur a iure. Sane S. C. EE. et RR. anno 1650 in *Placentina*, decrevit quod « *Canonici et praebendati non possunt deferre almutias cum uti singuli non collegialiter cum Capitulo incedant* ».

Canonici Curati defensio. Et ipse historiam referens utriusque Paganicae, hodiernum exponit statum Ecclesiae *ab extra*, aiens, in ea servitium praestare Vicarium curatum, cui titulus competit Canonici Curati et tres Cappellanos Co-

adiutores proprias ac distinctas habentes praebendas. Omnes gaudent iure percipiendi emolumenta adventitia, quamvis non eâdem mensurâ; parochus enim accipit duplicem portionem. Verum Vicarius et Cappellani, ante leges patrimonii Ecclesiastici eversivas, unum corpus efformabant cum Capitulo Ecclesiae collegiatae S. Mariae de Paganica *ad intra*, et hinc participabant de massa communi et quotidianae punctaturae subiiciebantur propter absentiam a choro in ecclesia ad extra, cuius servitium chorale considerabatur ut unum idemque cum eo praestito in ecclesia collegiata *ad intra*. Nihilominus parochus ecclesiae *ad extra* adhuc retinet titulum et praerogativas canonicales, et sedendi ius habet in choro ecclesiae collegiatae quoties velit interesse; dum e contra capitulum nonnulla habet reservata sibi iura e. g. nominandi parochum et bis in anno functiones peragendi in ecclesia originaria terrae Paganicae.

Haec est hodierna constitutio ecclesiae *ad extra* inquit curatus, quam *iniuria* perturbare nititur cappellanus Vincenti; et hoc probat 1° refellendo adversarii argumenta, 2° solidas in suum favorem rationes afferendo.

Cum primis advertit, ex adversarii argumentis speciem veri unum tantum habere quod se refert ad decretum S. C. C. anni 1731. Verum, re intimius perspecta, patet hoc magis nocere quam favere cappellanis. Revera in illo sapientissimo decreto, una semper et eadem recognoscenda est mens S. Congregationis, scilicet sarta et tecta conservandi iura capituli supra cappellanos, quos recognoscit inservire Ecclesiae ad *extra nomine* et *delegatione* capituli, ita ut si ipsum vel universum vel per aliquem Canonicum sit praesens in hac ecclesia, debeant Cappellani eidem et praeeminentiam et quodcumque munus etiam parochiale cedere. Nam, ait curatus, cura habitualis residebat in capitulo et actualis exercebatur per cappellanum ad nutum revocabilem. Absente autem Capitulo et canonicorum nemine praesente, tunc aequum fuit distinguere inter functiones parochiales et reliquas minime tales, attribuendo primas exclusive cappellano curato

quoad alias, aequalibus cappellanis declaratis, eisdem eas distribuere ratione hebdomadae.

At huiusmodi S. C. C. decretum, instat oppositor, non fuit constitutivum status ecclesiae *ad extra*, sed iurium et praeeminentiarum declarativum, quare integram omnino ordinariis reliquit facultatem eamdem constitutionem immutandi, uti reapse factum est.

Nam anno 1797 Episcopus Gualtieri cappellanos, antea tantummodo residentiales pro servitio chori, mutavit in Vicarii curati coadiutores, ab eodem, certa sub mensura dependentes in administratione Sacramentorum et in aliis functionibus. Cappellani non impugnant, imo libenter memorant mutationem ab Illmo Gualtieri eos elevante ad coadiutores curatos, sed decreti illam partem delere vellent respicientem eorum dependentiam a Vicario curato, quamobrem hac ex parte documentum non referunt quod integrum iam relatum est, idemque cappellani uti *suppositititium* incusant.

Innovatio autem, huius controversiae basis, facta fuit per decretum anni 1799, quod proinde, non secus ac alterum cappellani pro viribus quasi *apocryphum* negare nituntur, vel saltem eius genuinum sensum omnimode extorquent. Ex adverso curatus in primis probare contendit esse omnino cerebrinam notam non authenticitatis quam cappellani inurere student episcopi Gualtieri decretis. Notat enim decreti, anni 1797, copiam allatam in archivio Aquilae recensitam inveniri, *sub die 21 Augusti anni 1828*, et alterius Decreti, copiam anni 1799, praecedi a Decreto Principis permittentis unionem praebendae canonicalis Vicariae curatae ecclesiae Paganicae. Habetur vero actus originalis possessionis captae huius praebendae, vi decreti Dñi Gualtieri, sub data *duobus diebus posteriori* decreto unionis, et acta S. Visitationis ipsius Gualtieri anno 1804 et alterius S. Visitationis episcopi Filippi anno 1855 omnem auferunt dubitandi scrupulum.

Nec meliori ratione, ait curatus, cappellani obscurare conantur sensum decreti anni 1799, quo Vicarius curatus effectus unus ex canonicis, « *uti unus e Canonicis Cappella-*

nos omnes praecedat, tam eiusdem ecclesiae, quam Parochialis ecclesiae S. Mariae Terrae Paganicae vulgo dictae ad extra ». Quae decreti verba sunt consequentia, instat oppositor, unionis in titulum factae ab Episcopo praebendae canonicalis *cum* Vicaria curata, decernente « *hoc praesenti decreto unimus, adnectimus, aggregamus et assignamus* ».

Ne autem amitteretur memoria originis huiusmodi unionis uti fieri solet, nonnulla fuerunt capitulo reservata privilegia. Hinc Parochus ecclesiae Paganicae *ab extra* nomen conservat Vicarii curati et ius illum praesentandi capitulo pertinet; sedet in choro ultimus, non habet turnum hebdomadarium, nec ius nominandi clericos.

Verum istae reservationes, prosequitur curatus, non illi adimunt canonici titulum et iura, nam eidem aliis omnibus praerogativis reservatis, « *tamquam canonicus consideratur* » et dum ex una parte consulunt ne originis memoria pereat, ex alia supponunt et firmant unitatem duarum ecclesiarum, quae nunquam dismembratae adhuc unum idemque capitulum efformant et constituunt.

Deveniens oppositor ad ultimum adversariorum perfugium quo negat huius immutationis facultatem episcopo, notat, episcopum egisse non tantum tempore S. Visitationis sed etiam uti apostolicae Sedis delegatus ex potestate a Tridentino concessa *Ses. 24 c. 18 De R.* nec obviasse S. C. C. Decretis quippe quae non sunt constitutiva sed declarativa iurium dein immutatorum ob legitime mutatum ecclesiae statum; verum potius facta est nova applicatio dispositionis S. C. Congregationis constituendo ut Vicarius curatus effectus unus ex canonicis ecclesiae *ad intra*, semper resideret apud ecclesiam *ad extra*.

Denique, ait curatus, hoc Gualtieri decretum legitimat insignium canonicalium delationem in ecclesia *ad extra* per Vicarium curatum, quem usum sane ratum et firmum facit etiam centenaria consuetudo.

Administrationem autem expensarum cultus vicario curato attribuit, utpote tali, ius commune et in casu consue-

tudo quoque; Curatus vero laudandam dicit prudentiam Episcopi, et admirandam qui, in signum propensae voluntatis in cappellanos, eisdem permisit sibi constituere Procuratorem pro administrandis proventibus ecclesiae communibus.

Animadversiones ex officio. Si antea cappellanorum rationes ad trutinam revocentur, aperte patet ipsos iure merito improbare adversariis quod decretis Episcopi Gualtieri aliqua attribuunt omnino eisdem impertinentia. Revera non ex his decretis repeti debet constitutio curati perpetui in ecclesia Paganicae *ad extra* sed ex dispositione Episcopi de Rubeis, anno 1600, nam Gualtieri in decreto anni 1797, cappellanos residentiales, tantum chori servitio addictos, elevavit in cappellanos, curati coadiutores. Praeterea in alio decreto anni 1799 adiecit Vicariae curatae praebendam canonicalem, sed non ipse Vicarium effecit perpetuum et inamovibilem.

Item non exinde ecclesia Paganicae *ad extra* dismembrata est ab ecclesia *ad intra* uti saepe videntur insinuare curatus et alii eius causam patrocinantes; nullibi enim ne verbum quidem de hac dismembratione, quae aliunde non praesumitur, sed manifeste probari debet; nec Vicarius curatus potest appellari Parochus independens omnino ob divulsum territorium Paganicae *ad intra*, sed, qua Vicarius curatus inamovibilis eam habet a Parocho habituali independentiam in actuali exercitio curae animarum, quam innuit etiam cardinalis Belluga in suo voto, quaeque huiusmodi Vicariis tribuitur a iure communi; et nihil amplius.

Ex adverso circa ius curati, ab Episcopi sententia recognitum et confirmatum adnotandum puto, circumstantias minus rectas quas adnotavi in parte argumentationis non inficere partem dispositivam, imo eamdem melius explicare si eo sensu accipiantur supra exposito.

Revera cum primis teneatur, quod Episcopus de Rubeis Vicarium curatum ad mentem Pianae constitutionis fecit perpetuum et inamovibilem. Curatus tali auctus iure putavit se fere exemptum evasisse a quacumque capituli iurisdictione

et gerere se coepit quasi capitulo extraneum, eidem denegando praecedentiam. Hinc rixae et contentiones quae tandem delatae ad S. C. C. definitae fuerunt, sub anno 1728 favore curati quia in folio Cardinalibus proposito legitur: « Ad huius decreti (anni 1600) normam testes affirmant, Vicarios nedum clericos eiusdem ecclesiae digniori loco praecessisse, sed etiam Canonicis et Archypresbytero ecclesiae *ad intra* quoties isti singillatim, nec in speciem collegii ad ecclesiam *ab extra* accesserint ». At, causa reproposita, anno 1731, in suo voto Emus Belluga, dein a Congr. approbato, voluit e medio tollere vicariorum usurpationes et ad tramites iuris rem exigere limitans iura et praeeminentiam curati vicarii ad functiones vere parochiales. Postea Episcopus Gualtieri, ut melius curae animarum prospiceret, Vicario curato adiungit cappellanos coadiutores; dein, post duos annos, eodem consilio Vicariae curatae unit in titulum et in congruam praebendam canonicalem. Quia ecclesia Paganicae *ab extra* unum adhuc efformabat corpus cum ecclesia *ad intra*, potuit illius Vicarius, attributa praebenda canonicali, canonicum efficere, cum residendo apud unam videretur apud aliam residere et esse de eius gremio; sed ex alia parte quum curatus non desineret esse Vicarius, et capitulum Parochus habitualis, hinc aliquas fecit reservationes iuribus canonicalibus ad significandam dependentiam curati a capitulo.

Quapropter una ecclesia ab alia dismembrata non est sed unum efformant corpus et Vicarius curatus est verus canonicus ecclesiae *ad intra*, quamvis ultimus sedeat et non habeat vocem activam in iure nominandi clericos; nam in ceteris et vocem activam et ius in distributiones et alias praerogativas canonici habet.

Quoad insignium canonicalium delationem quae non singulorum, sed collegii sunt videretur ipsi non indulgendum quando uti singulus incedit; sed forsan ipsi legitima et immemorabilis suffragatur consuetudo.

Hisce in utramque partem adductis et animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit confirmanda vel infirmanda sententia Archiepiscopi Aquilani in casu.

Resolutio. Sacra C. C., re discussa sub die 24 Februarii 1894, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam: et ad mentem.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

RAVENNATEN.

LIBERATIONIS A PENSIONIBUS PERSOLVENDIS

Die 16 Martii 1894.

Compendium facti. Rñus Carolus Uberti parochus Ecclesiae S. Petri Maioris in civitate Ravennatensi an. 1891 S. Congr. Episc. et Reg. enarravit, quod ipse in dando nomine pro concursu ad dictam paroeciam emittere debuit, ad tramites clausulae in literis edictalibus concursus, declarationem se in casu nominationis soluturum duas annuas pensiones, quarum una in libel. 212, 80 pro manutentione et instaurationibus templi paroecialis, altera in libellis 300 favore paroeciarum pauperum.

Nactus paroeciae possessionem parochus animadvertit has pensiones subsistere non posse tum ob insufficientiam redituum paroecialium, tum ob alias rationes. Eapropter petiit a S. Congregatione se declarari exoneratum ab ipsis persolvendis. Audito, super hoc libello, Ordinario Ravennatensi una cum Capitulo Metropolitano aliisque interesse habentibus, acceptisque partium deductionibus die 27 Septembris Moderatores S. Congregationis controversiam plenario EE. PP. conventu detulere.

Disceptatio Synoptica

Quae pro exoneratione militant. Parochus contendit revocandas esse pensiones primo, quia preces pro iis obtinendis fuerunt, etiamsi absque culpa petentis, obreptitiae subreptitiae. Sane quoad primam pensionem pro manutentione ecclesiae, historice praemittit quod haec expetita fuerat usque ab an. 1850 a S. Sede in summa libellar. 638. 40. S. Sedes tunc rescripsit *Providebitur suo tempore,* iteratis deinde precibus a Card. Falconieri an. 1855 pro summa libell. 212. 80, haec indulta fuit per rescriptum *Affirmative attentis expositis.* Age vero, pergit parochus, si exposita examinentur, undique scatet vitium obreptionis et subreptionis.

1°. Expositum fuit neminem adstrictum esse ad ecclesiae reparationes quae olim spectabant R. Camerae Apostolicae suffectae in iuribus et oneribus Demanio, dum huiusmodi onus e contra gravabat Archiepiscopum Ravennatensem, ad quem proprietas ecclesiae pertinebat, qui proinde tenebatur providere si non cum bonis mensae, certe cum parte conventus et horti religiosorum Conventualium sibi a R. Camera Apostolica una cum adnexa ecclesia cessis an. 1821, qui hortus et conventus Decembri eiusdem anni transiere in dominium MM. Tavelle, reservato tamen Archiepiscopo iure super ecclesiam.

2°. Reticitum fuit reditus paroeciae decrevisse a tempore Pii VII, qui iudicaverat eam tunc capacem ad pensionem supportandam.

3°. Relatum fuit summam pro manutentione cultus, sacrae suppellectilis et fabricae ecclesiae ad scutata 100 ascendere, dum longe maior summa requirebatur.

4°. Item enarratum fuit post suppressionem Religiosorum parocho S. Mariae Magdalenae pro functionibus paroecialibus adiudicatum fuisse templum s. Petri Maioris, dum e contra ei tantum assignatum fuerat altare s. Liberii.

5°. Expetita fuit translatio ab ecclesia paroeciali S. Mariae Magdalenae in illam s. Petri omnium legatorum, dum

e contra haec translatio peracta fuerat an. 1806 decreto Archiepiscopi Codronchi.

His precum vitiis enucleatis, parochus praesumptive arguit etiam suum antecessorem Amadori se retinuisse non adstrictum a dicta pensione, siquidem ab epocha impositionis nempe ab an. 1856 usque ad an. 1884 eam numquam exolvit, non recensuit in inventario paroeciae, nec ulla adsunt vestigia restaurationum quae peragendae fuissent cum cumulo insolutarum pensionum in libell. 5958. 40. Eodem vitio laborare contendit parochus alterius pensionis rescriptum lib. 300 favore paroeciarum pauperum ab Emo Archiepiscopo Cattani an. 1884 expostulatae in libell. 400 et obtentae in supra relata summa.

1°. Quia preces fundatae fuerunt in reditu paroeciae tempore Pii VII, quae iuxta Pontificem gravari poterat pensione usque ad scutata 120. E contra reditus paroeciae ab eo tempore tum ob lucra cessantia, tum ob onera superventa, quae parochus enumerat, valde imminutus et deterior evaserat.

2°. Quia Emus Cattani reditus paroeciae repraesentavit ut pingues et exuberantes innixus facto parochi Amadori, qui reditus paroeciae simulate auxerat in denuntiatione pro taxa vulgo *mano morta,* comprehensa in denuntiatione etiam annua summa libell. 639. 24 pro legatis, ut casu confiscationis ex parte Gubernii assignatio pensionis maior evaderet. At in facto reditus non erant pingues, praesertim inspectis gravibus expensis faciendis in paroecia ob varios titulos, sed potius tenuissimi.

Hucusque de nullitate impositarum pensionum ob supra relatas causas. Sed secundo parochus urget exonerationem quia reditus paroeciae ad eas ferendas impar est: rem probat notula activi et passivi in qua, omnibus libratis, remanent pro parocho tantum libellae 40. 30, cum quibus ipse occurrere deberet nedum honestae sui substentationi, sed etiam aliis expensis, non exclusa solutione ipsarum pensionum. Quare nedum aequum esse, iuxta parochum, praebendam paroecialem pensionum onere relevare, sed etiam aliqua assignatio

peragi oporteret favore ipsius pro manutentione ecclesiae aliisque necessariis expensis, praesertim cultus, quae, quando paroecia sita erat in ecclesia S. Mariae Magdalenae nunc redacta ad publicum oratorium, attingebant annuam summam libell. 225, at nunc, post paroeciae translationem in amplam ecclesiam s. Petri ascenderunt ad libellas 1755. 56. Unde nil mirum, concludit parochus, si suus Antecessor, qui primus hoc onus subiit, decesserit pluribus non expletis obligationibus circa utensilia, linteamina et sacram suppellectilem.

Quae exonerationi adversantur. Aliter vero una cum parochis quorum favore est pensio libell. 300 sentit Commissio Capituli Metropolitani Ravennatensis ab eo deputata pro examine controversiae. Ipsa excludit omnem obreptionem et subreptionem in precibus Emi Falconieri exponentis, neminem esse qui adstringeretur ad templi manutentionem. Sane usque ab an. 1821 coenobium et hortus religiosorum conventualium cessa quidem fuerant ab Archiepiscopo Codronchi MM. Tavelle et quidem absque ulla reservatione: ecclesia vero Archiepiscopo remanebat absque ulla dotatione vel capite ad ipsius manutentionem curandam: et cum nullum adesset correspectivum, aequum non videbatur hoc onus adiicere mensae archiepiscopali: proindeque verum dixit Emus Falconieri in enunciatis precibus: nemo de facto aderat qui ecclesiae conservationi consuleret.

Item secundo insimulari nequeunt preces ceu obreptitiae vel subreptitiae, quia in ipsis expressus fuit reditus praebendae tempore Pii VII et reticita successiva ipsius diminutio: nam Commissio occurrit observando, hanc imminutionem non adesse: siquidem tempore Pii VII reditus non depuratus praebendae S. Mariae Magdalenae modo S. Petri Maioris, erat (ut in Bullis Pontificis edicitur) *bis centum quinquaginta ducatorum auri de camera* seu libellae 2400. At anno 1855 etsi nonnulli proventus desierint et incerta decreverint, tamen tuto asseri potest paroeciam habuisse reditum superiorem ac nuper relatum. Id Commissio arguit ex nota ab ipso parocho exhibita pro quatriennio 1885–88 in quo etsi taxae essent

maiores ac incerta minora quam in anno 1855, nihilo secius reditus medius paroecialis depuratus est in libell. 3000. Tertio quoad summam scutatorum 100 pro fabricae et cultus manutentione, de qua in precibus Emi Falconieri et quae a parocho tamquam non veritati respondens carpitur, observat Commissio quod dicta summa in precibus nullimode invenitur denuntiata inter passivitates paroeciae et de expensis cultus nulla mentio pariter recurrit.

Tandem deductionem parochi ex facto sui Antecessoris, qui dictam pensionem numquam persolvit, Commissio respuit, quia nulla obligatio erat dictam summam quotannis apud Curiam deponendi; unde parochus Amadori a semetipso poterat eam in restaurationes ecclesiae impendere, sicuti de facto constat ingentes reparationes sive in ecclesia sive in aede paroeciali factas fuisse.

Descendens deinde Commissio ad alteram partem nempe ad pensionem libell. 300 favore paroeciarum pauperum, eius impositionem omnino sustinet. Relatio enim facta ab Emo Cattani quod praebenda paroecialis s. Petri abundet reditibus, nedum est consona opinioni generali vigenti quod ipsa ditissima sit inter dioecesis paroecias, sed innititur inventario exhibito a parocho Amadori tempore S. Visitationis et instrumento firmato: ex ipso scatet reditum paroeciae non purgatum ascendere ad libell. 7019, a quibus si detrahatur passivum, comprehensis expensis cultus aliisque, in libellis 3559, remanet pro parocho depuratus reditus libellar. 3460 et non libell. 40. 30 ut traditur ex adverso.

Observationem autem factam a parocho quod inventarium Amadori sit exaggeratum, Commissio refutat aiendo, quod etiam nota a contradictore exhibita sit corrigenda. Re quidem vera reditus praediales, qui fere totum paroeciae reditum constituunt, desumpti ex media quatriennii 1885-88, iuxta dictam notam, ascenderent ad libell. 2451. 10. Sed haec summa, iuxta Commissionem, retineri nequit ceu ordinaria approximativa, tum ob crisim fundorum seu agrariam tunc temporis vigentem, tum etiam forsan ob passa tunc

damna grandinis et siccitatis. Aliunde, subdit Commissio, attenta fertilitate fundorum nec non meliorata cultura, reditus depuratus cum fundamento aestimari potest in libell. 25 pro unaquaque mensura locali *tornatura:* cum autem praebenda possideat circiter 140 mensuras, reditus praedialis non erit inferior libell. 3500: addantur aliae libell. 475. 31 ex aliis capitibus, activum purum coaequabit libell. 3975. 31; cui summae si demantur libell. 859. 20 pro taxis, residuum erit libell. 3115. 11. Iam vero, pergit Commissio, si haec summa imminuatur in libell. 512. 80 pro solutione duarum in quaestione pensionum, parocho, pro sui sustentatione et ecclesiae expensis, remanebit summa libell. 2602. 31, qui reditus praeterquam quod succrescere potest ob opera et meliorationes in fundis ab actuali parocho peractas, in praesens excedit etiam illum reditum super quo Pontifex Pius VII iudicavit imponi posse pensionem 120 scutatorum.

His compendiose utraque ex parte relatis ad propositum

Dubium

An parochus s. Petri Maioris exonerandus sit a duabus pensionibus in casu?

Resolutio. S. Congr. Episc. et Regul., sedulo perpensis iuris et facti momentis, rescripsit: *Negative.*

DECRETUM S. C. Ep. et Reg. quo definiuntur partes muneris Abbatis Primatis et officia erga Ordinem universum post unionem diversarum Congregationum Benedictinorum nigrorum sub directione Abbatis generalis Romae residentis (1).

Die 16 Septembris 1894.

Inaestimabilis unitatis vinculo, quo ad invicem dissectae disiunctaeque Societates ad instar foederis sub una eademque alicuius ex sociis praeeminentia absque sui iuris peculiarisque Statuti detrimento consociantur, nihil sane antiquius nihilque utilius ad proprium finem ac prosperitatem facilius assequendam unquam dari excogitarique potest. Hinc sapientissimus Pontifex Dominus Noster Leo divina Providentia Papa XIII, unitatis

(1) Breve, quo unio decernitur relatum iam fuit hoc volumine, 371.

et pacis amator, ad inclytas ac tantopere bene meritas Benedictinas Congregationes virorum, quos nigros appellant, omnem curam cogitationemque convertit eum in finem, ut inter eas fraterna, quasi icto foedere, consociatio fieret ad universi Ordinis utilitatem et incrementum. Eius votis optatisque adfuit Eminentissimus Ioseph Benedictus S. R. E. Cardinalis Dusmet, qui almam hanc Urbem petiit, primumque lapidem deposuit in Collegio S. Anselmi in Aventino monte a fundamentis excitando, praefuitque in Aedibus S. Callisti conventui Abbatum, virorumque delegatorum ex variis Benedictinorum Familiis huc vocatis ad enunciatam fraternam consociationem, collatis inter se consiliis, ineundam, constabiliendam perficiendamque. Fortunante Deo, universa rei ratione perpensa, haec scita et placita concordibus animis constituta fuerunt, et a Sanctitate Sua suprema auctoritate comprobata, uti videre est in Apostolicis litteris in forma Brevis expeditis ac typis editis die 12 Iulii hoc anno ineunte 1893, quarum brevitatis ergo nonnisi id tantum quod huius decreti ratio postulat, perstrictim summatimque refertur. Primum enim placuit, comprobatumque fuit omnes Congregationes Benedictinorum, quos nigros vocant, veram fraternam confoederationem inivisse, quae tamen confoederatio nullam Congregationem alteri subiicit. Atque ut aliqua unitas habeatur, Abbatem Primatem omnium Congregationum creari oportere, qui Romae degat pro negotiis totius Ordinis bonum directe respicientibus, firmis manentibus omnium Benedictinorum Congregationibus, Constitutionibus, declarationibus, privilegiis, muneribus ac dignitatibus. Dein Abbatem Primatem assumendum esse ex universo Corpore Congregationum, nullo facto nationum discrimine. Tertio eumdem Abbatem Primatem esse insimul Abbatem Collegii S. Anselmi de Urbe cum ordinaria iurisdictione, ibique commorari debere: ipsum autem Collegium non censeri pertinere ad aliquam ex dictis Congregationibus, sed familiam habere ex omnibus conflatam. Placuit tandem, *sub num. 4 et 5* earumdem litterarum Apostolicarum ea omnia statuere quae respiciunt tempus Abbatis Primatis in officio, vacationem novamque electionem necnon nominationem quam hac prima vice Sanctitas Sua dignata est facere in persona Hildebrandi De Hemptinne, Abbatis Maredsolensis e Congregatione Beuronensi, Eum constituens Abbatem Primatem, adeoque S. Anselmi, tamdiu duraturum, quamdiu S. Sedi placuerit.

Quod vero ad hanc S. Congregationem Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam attinet, ex mandatis Sanctitatis Suae seorsum definiendum ab ea est enucleate quae sint partes muneris Abbatis Primatis, quaeque singularia eius iura et officia erga Ordinem universum. Iussa faciens Summi Pontificis Sacra haec Congregatio, rebus omnibus sedulo accurateque perpensis, ea quae sequuntur decernenda esse existimavit.

Imprimis quod respicit Abbatem Primatem uti Abbatem Collegii S. Anselmi in Urbe, cum is habeat in eo ordinariam iurisdictionem, ea omnia peragere ibi valet quae alii Abbates Ordinarii eiusdem Ordinis in eorum Monasteriis iuxta proprias Constitutiones peragere queunt.

Dein quod spectat ad singularia eius iura et officia erga Ordinem universum, praeter ea quae in praedictis litteris Apostolicis *sub num. 5* enunciantur circa relationes Collegii cum singulis Congregationibus, ne inanis sit eius Praelatio, aequum decernere visum est, ut omnes Abbates Generales singularum Congregationum Benedictinarum quolibet quinquennio relationem super statu cum morali, tum materiali respectivae Congregationis ad eum transmittere teneantur, praesertim ut universi Ordinis conditio eum minime lateat.

Insuper ubi exoriri contingant inter Praesides vel alicuius Congregationis Abbates dubia vel dissensiones quae componi nequeunt in propriis Congregationibus, constituere placet ut ad Abbatem Primatem confugiant, qui paterna caritate nihil intentatum relinquet, ut animi omnium Monachorum in pacis vinculo confirmati Deo humiliter et laetanter inserviant.

Quod si necessitas urgeat, visitandi aliquam ex Benedictinis Congregationibus confoederatis, ipse ius habeat eam visitandi, gaudens prae ceteris in actu visitationis omnibus praeeminentiis et honoribus; quam visitationem sive per se, sive per aliquem idoneum Monachum, ab se ad id specialiter deputandum, exercere valeat.

Ceterum si agatur de quaestionibus quae componi pacifice nequeant quaeque dilationem non patiantur, in casibus vere urgentibus, attenta necessitate, illico Ipse decernat quod aequius melius in Domino decernere iudicabit, facta postea relatione ad hanc S. Congregationem.

Tandem invigilet et curet, ut in singulis memoratis Congregationibus regularis disciplina servetur.

Quod si in posterum aliqua occurrat super praemissis declaratio, tunc pro re nata ad hanc S. Congregationem EE. et RR. recursus erit habendus.

Hisce itaque Apostolica auctoritate praestitutis ac suprema sanctione munitis, Sacra haec Congregatio spem habet certissimam fore ut singulae Congregationes Benedictinae earumque religiosi viri, cuiuscumque sint gradus, dignitatis et praeeminentiae, Sacratissimi Principis curis et sollicitudinibus obsequentes, hoc decretum non modo sint animo volenti excepturi, sed alacriter et gratanter amplexaturi: quod quidem in perenne singularis benevolentiae Sanctitatis Suae Leonis XIII erga S. Patriarchae Monachorum occidentalium Ordinem monimentum, eiusdemque Ordinis ornamentum, Deique laudem et gloriam redundat.

Apostolicis ac proprii Ordinis Constitutionibus aliisque in contrarium facientibus etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Ex Audientia SSmi die 3 Septembris 1893 habita ad Emo Cardinali Praefecto, SSmus praesens decretum in omnibus ratum habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis EE. et RR. die 16 Septembris 1893.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

A. Trombetta *Pro-Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DUBIA quoad altarium consecrationem.

Rmus Dñus Antonius Andreziewicz Episcopus titul. Philomelien., Suffraganeus Gnesnen., Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. In aliquot Ecclesiis ipsius Dioeceseos altaria maiora ceu fixa consecrata fuere, quorum mensa seu integra tabula lapidea nulla ex parte coniungitur structurae lateritiae inferiori; *Quaeritur an eiusmodi altarium consecratio fuerit valida?*

Dubium II. *In quadam Ecclesia consecratur altare fixum maius, cuius mensa erat ex lapide adeo fragili, ut in actu con-*

secrationis quarta eius pars sit abrupta et divisa. Tum caeremoniae omnes reliquae perfectae sunt, et unctiones in quatuor angulis potioris partis, coniunctim cum stipite. Quaeritur num valide altare consecratum fuerit?

Dubium III. *Quando in consecrationibus Ecclesiarum, quae fiunt diebus Dominicis, Episcopus consecrator ipsum eumdem diem assignat ad anniversarium Dedicationis recolendum, quaeritur an Dominica illa, quae ex. gr. erit aliqua post Pascha, vel post Pentecosten, assignari possit pro die mensis, in qua incidit Dominica peractae Consecrationis?*

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad primum: Affirmative. Indulget autem Rmo Episcopo de speciali gratia; ut altari iam consecrato, addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae in angulis private iterentur ut mensa cum iisdem stipitibus coniungantur.

Ad secundum: Negative.

Ad tertium: Affirmative.

Atque ita rescripsit et indulsit die 8 Iunii 1894.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

QUEBECEN. Dubia quoad anniversarium electionis Episcopi.

Emus et Rmus Dnus Card. Alexander Taschereau Archiepiscopus Quebecen. S. Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Ad quam diem transferendum sit anniversarium electionis vel consecrationis Episcopi, si occurrat die 24 Decembris?

Dubium II. Posito quod Episcopus, die 19 Martii in festo S. Ioseph consecratus, assignaverit iuxta Decretum S. R. C. diei 12 Decembris 1891, pro anniversarii celebratione diem sequentem, nempe 20 Martii, quid agendum sit: 1° in Ecclesia cuius Titulare festum ipsa die 20 quotannis celebratur; 2° per totam dioecesim quando dies 19 occurrit, vel Dominica Passionis vel feria 2ª Maioris Hebdomadae?

Dubium III. Utrum anniversarium ab Episcopo vel coram ipso celebrandum sit in ipsa Ecclesia Cathedrali, an vero solemniter agi possit in alia Dioeceseos Ecclesia?

Dubium IV. Utrum, celebratione ipsius Missae votivae ab Episcopo vel coram ipso per accidens impedita, eius Oratio sub eadem conclusione cum oratione diei iungenda sit, secundum regulam de missis pro re gravi impeditis; an vero post ceteras Orationes a Rubrica praescriptas addenda sit, sicut in ceteris Missis per Dioecesim celebratis?

Dubium V. An commemoratio supradicti anniversarii spectet ad omnes et solos Sacerdotes, ipsa die Missam intra dioeceseos limites celebrantes?

Et S. eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum, censuit, videlicet:

Ad I. *Assignandum diei primae, in qua non fit de Duplici secundae classis, ante diem 21 Decembris.*

Ad II. *In Ecclesiis dioeceseos ubi dies 20 Martii est impedita, nihil fit de Anniversario consecrationis Episcopi.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.*

Ad IV. *Commemoratio in casu addatur Orationi Missae de die sub unica conclusione (Decret. in Bracharen.) 8 Iunii 1809 ad VII.*

Ad V. *Affirmative.* Atque ita rescripsit et declaravit die 27 Aprilis 1894.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi S. R. C. *Secretarius.*

DECRETUM indulgetur Episcopis titularibus defunctis frui eodem privilegio ac Episcopi Dioecesani, dum illorum animabus suffragia offeruntur.

Qui pro Domini grege vitam impenderunt aequum est, ut Ecclesiae suffragiis singulari modo post mortem iuventur. Sacris ideo Ritibus praeposita Congregatio, re mature perpensa, decernendum esse statuit, ut dum corpus Episcopi Dioecesani sacris indutum vestibus, in propriae Aedis aula maiori, publice

et solemniter iacet expositum, Missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant; iis omnibus servatis, quae de Episcopi defuncti corpore exponendo ac suffragiis ferendis in Caeremoniali Episcoporum Lib. II, Cap. XXXVIII praescribuntur. Quod privilegium Episcopis in sua Dioecesi concessum, ad Vicarios Apostolicos in suis Vicariatibus, nec non ad Abbates ceterosque Praelatos Nullius Dioeceseos, iurisdictione in plebem ordinaria quum vita cesserunt fruentes, in proprio tamen territorio, pari intelligatur ratione extensum. De speciali tandem gratia Sacra Rituum Congregatio indulget, ut eodem quoque privilegio frui valeant Episcopi Titulares defuncti, dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponantur, et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastorali), si extra Urbem, fuerint induta; si vero in Urbe, habitu tantum praelatitio. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 3 Aprilis 1894.

Facta autem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII de his omnibus relatione per me infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctitas Sua sententiam ipsius S. Congregationis in omnibus ratam habuit, et confirmavit. Die 29 Aprilis 1894.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi S. R. C. *Secretarius.*

TIRASONEN. Dubia quoad Dioecesis patronos.

Rm̃us Dn̄us Ioannes Soldevilla y Romero hodiernus Episcopus Tirasonen., omnia rite fieri desiderans, sequentia Dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Apostolica Sedes die 2 Maii 1867 pro Hispania quoad locorum Patronos statuit, ut in qualibet Dioecesi unus tantum Patronus principalis a Sancta Sede designandus recolatur, servata lege sacro adstandi et ab operibus servilibus abstinendi, quod tamen in hac Dioecesi non observatur, nec a Sancta Sede Patronus est designatus; quamvis in Kalendario dioecesano, die 8 Aprilis 1891 a S. R. Congregatione approbato, s. Prudentius Dioeceseos Patronus nominetur, et s. Gaudiosus Patronus aeque principalis.

Verum si Dioecesi uti Patronus horum unus vel alter detur colendus, gravissimum adesset certe inobservantiae periculum,

Dioecesis partim ex regno Aragoniae, ubi B. V. M. de Columna ex Apostolica concessione sub utroque praecepto colitur, partim ex Navarrae regno, ubi s. Firminus pari privilegio gaudet, partim ex Castellae oppidis, ubi nullus Patronus est designatus: denique populi Dioeceseos peculiarem aliquem Sanctum tamquam patronum venerantur, eiusque festum sub duplici praecepto generatim celebrant. Hisce expositis ad praxim et mores antiquos servandos quaeritur.

I. Haberi debet s. Prudentius uti Dioecesis Patronus; eiusque festum sub utroque praecepto recolendum, quando hucusque nec observatur, et grave adest inobservantiae periculum?

II. Festum B. Mariae V. de Columna in Aragonia, et s. Firmini in Navarrae regno observari potest loco patroni Dioecesani? Et quatenus affirmative, festum Sancti Patroni uniuscuiusque oppidi in regnis Aragoniae et Navarrae agendum est ne duplici sub praecepto?

III. Peculiares Locorum Patroni celebrandi sunt in reliqua Dioecesi sub duplici obligatione loco Patroni Dioecesani?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Ad primam partem: Standum Calendario rite approbato; Ad secundam: Servetur Consuetudo.*

Ad II et III. *Nihil innovandum quoad festa Patroni cuiusque regni, et uniuscuiusque civitatis, oppidi, vel loci.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 4 Maii 1894.

C. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

Actus consecrationis ad s. Aloysium Gonzaga.

Beatissimo Padre

Il P. Luigi Morando dei Preti Stimatini umilmente prostrato ai piedi della S. V. supplica che per accrescere la divozione all'angelico giovane S. Luigi Gonzaga si degni di concedere la Indulgenza di trecento giorni per una sol volta in ciascun giorno

a chi reciterà la qui unita orazione al medesimo Santo, e la plenaria a chi la reciterà per un mese intero, alle solite condizioni.

Atto di Consecrazione a S. Luigi Gonzaga

O glorioso S. Luigi, che dalla Chiesa siete onorato col bel titolo di giovine angelico per la vita purissima che menaste quaggiù sulla terra, a Voi mi presento in questo giorno con tutta la divozione della mente e del cuore e tutto a Voi mi consacro.

O perfetto esemplare, o benigno e potente Patrono, quanto ho bisogno di Voi! Il mondo e il demonio mi tendono insidie; sento l'ardore delle passsioni, conosco la debolezza e la incostanza dell'età mia. Chi mi potrà custodire se non Voi, o angelico Santo, gloria, decoro, amore e sostegno dei giovani?

A Voi dunque con tutto l'animo ricorro, a Voi con tutto il cuore mi affido e mi consacro. Intendo con ciò, prometto e voglio esservi specialmente divoto, glorificarvi per le eccelse vostre virtù, e singolarmente per l'angelica vostra purità; imitare i vostri esempi, promuovere fra i miei compagni la vostra divozione, invocare e benedire fino all'ultimo mio respiro il vostro santo e caro nome. Sì: vi consacro l'anima, i sensi, il cuore, tutto me stesso.

O mio caro S. Luigi, eccomi dunque oggi tutto vostro, e vostro voglio essere per sempre. Deh! Voi custoditemi, difendetemi, conservatemi come cosa vostra, affinchè, servendo ed onorando Voi, possa meglio servire ed onorare Gesù e Maria e venire un giorno con Voi a vedere e benedire il mio Dio per tutti i secoli in Paradiso. Così sia.

Che della grazia.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo Dño Nostro Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui exhibitum in precibus dedicationis actum Sancto Aloysio Gonzagae corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam *bis centum* dierum semel in die lucrandam benigne concessit: Plenariam vero iis qui eumdem Actum quolibet die per integrum mensem Iunium, uti supra recitaverint, clementer elargita est lucrandam in festo eiusdem S. Aloysii vel in uno ex septem diebus idem festum immediate sequentibus, dummodo dictis diebus vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, aliquam Ecclesiam vel publicum Oratorium devote visitaverint, et inibi pias ad Deum preces aliquamdiu effuderint iuxta mentem Sanctitatis Suae. Quas quidem Indulgentias eadem S. C. defunctis quoque applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla

Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 12 Iunii 1894.

(Versio latina)
a directione Ephemeridis peracta.

Beatissime Pater

Pater Aloysius Morando e Presbyteris Stigmatinis, humiliter provolutus ad Pedes Sanctitatis Vestrae, petit, ad augendam pietatem erga angelicum iuvenem S. Aloysium Gonzaga, ut dignetur concedere indulgentiam 300 dierum, semel in quolibet die lucrandam, ab iis qui adnexas preces in honorem eiusdem sancti et plenariam ab iis qui integro mense easdem recitaverint.

Actus consecrationis ad s. Aloysium Gonzaga

Gloriose s. Aloysi, qui ab Ecclesia honestaris titulo angelici iuvenis, purissimae vitae gratiâ, quam in terris duxisti, te hac die invoco, totâ mentis et cordis devotione, totumque me tibi devoveo. O excellens exemplar benigne atque potens patrone, tuo valde indigeo auxilio! Mundus atque daemon insidias parant, passionum vim sentio, aetatis meae debilitatem et inconstantiam agnosco. Quis, nisi tu, angelice serve Dei, gloria, decor, amor, atque iuvenum praesidium, me protuebitur?

Ad te ergo tota animâ recurro, tibi toto corde me committo et devoveo. Per hoc intelligo, promitto ac volo, tibi apprime consecrari teque glorificare pro tuis excelsis virtutibus, ac praesertim pro tuis angelicis moribus; tuum aemulari exemplar, provehere erga te pietatem meorum Sodalium; invocare tuum sanctum et suave nomen, illique benedicere usque ad supremum diem. Sponte animam, sensus, cor meque totum tibi commendo.

Dulce mi Aloysi, ecce ergo me, qui totus tuus sum, et esse volo in aevum. Custodi, defende, meque protuere ceu rem tuam; ut tibi serviens, teque honorando, melius possim servire Iesu et Mariae, Eosdemque honorare, et tandem in Paradiso tecum laudare valeam Deum in saecula. Amen.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA circa societatem. « *Independent order of Good Templars* ».

Supremae Congregationi Sancti Officii a Praefecto Apostolico Norvegiae sequentia proposita sunt dubia:

I. *An Societas Independent Order of Good Templars nuncupata, excommunicationi subiaceat latae contra societates secretas in Constitutione Apostolicae Sedis?*

Et quatenus negative:

II. *An prohibitum sit sub gravi nomen dare isti societati?*

Porro Eminentissimi Patres Inquisitores generales, re mature perpensa, in comitiis habitis die 9 Augusti 1893 sequens, cum approbatione Summi Pontificis, ediderunt decretum:

Ad I. Dilata.

Ad II. Affirmative, seu deterrendi Fideles a dando nomine huic Societati.

LITTERAE ad Archiepiscopum Coloniensem quoad coniuges in causis mixtarum nuptiarum.

Illme et Rme Domine,

Litteris die 18 Decembris 1891 ad SSmum D. N. Leonem XIII datis amplitudo Tua una cum tuis suffraganeis, post descripta gravissima incommoda quae ex causis matrimonialibus, in quibus de declaranda nullitate matrimoniorum mixtae religionis civiliter tantum initorum agitur, in dies proveniant, poposcit:

1° Quis sit Ordinarius, coram quo processus huiusmodi instituendus sit?

2° Qua summaria ratione idem processus instrui valeat praeter normas in Benedictina Constitutione praestitutas?

Re diligenter discussa in Congregatione generali feriae V loco IV diei 30 mensis proxime elapsi, Emi Cardinales una mecum Inquisitores Generales respondendum censuerunt:

Ad I. *Coniuges in causis mixtarum nuptiarum subsunt Episcopo, in cuius dioecesi pars catholica domicilium habet: et quando ambo sint catholici, quia pars haeretica in Ecclesiae sinum reversa est, subsunt Episcopo, in cuius dioecesi domicilium habet maritus.*

Ad II. *Supplicandum SSmo pro gratia ad quinquennium, dummodo nunquam deficiat matrimonii defensor, qui munere suo fungatur ad tramites iuris, et extraiudicialibus saltem actis atque omni alio quo fieri poterit modo suppleatur, ita ut nunquam desint clarae concludentesque probationes.*

Tibi vero ac suffraganeis tuis per te significandum mandarunt Eminentissimi Patres, ne cessetis deterrere fideles a promiscuis connubiis civiliter ineundis uti graviter illicitis; ut doceatis simul opportune, gravius etiam illicita esse illa, quae coram acatholico ministro contrahuntur; et praesumptionem stare non pro nullitate, imo vero pro validitate utrorumque matrimoniorum, et in casibus difficilioribus recurrendum ad S. Sedem. Quae quidem omnia cum a SSmo Patre approbata fuerint, ea cum Amplitudine Tua communicare propero; ac Deum rogo ut Te diu sospitem servet incolumemque.

Romae die 2 Iulii 1892.

R. Card. MONACO.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXVI CONTINENTUR

LITTERAE ET ACTA R. PONTIFICIS

Litterae SSmi D. N. Leonis XIII ad Gasparem Decurtins; quibus gaudet de conventu operariorum, nuper acto Biennae in Helvetia. . . . . *pag.* 74

Litterae SSmi D. N. Leonis XIII ad Emum Lecot, Archiepiscopum Burdigalensem, quibus gaudet quod magis invalescat apud Gallos studium conciliandae pacis et concordiae. . . . . » 76

Epistola encyclica SSmi D. N. Leonis XIII ad Episcopos Hungariae; qua dolet quod nuper per leges civiles fuerint decreta alia non minus perniciosa Ecclesiae Catholicae, quam quae antea decreta fuerant. . . . . » 129

Epistola Encyclica SSmi D. N. Leonis XIII de rosario mariali » 193

Epistola SSmi D. N. Leonis XIII ad Episcopos Hispaniae de urbano clericorum hispaniensium collegio erigendo. . . . » 199

Litterae Encyclicae ad omnes Ecclesiae catholicae Antistites – De studiis scripturae sacrae » 269

Litterae in forma brevis SSmi D. N. Leonis XIII; quibus novae exhibentur instructiones quoad Canonicos ad honorem . . » 449

Epistola Encyclica SSmi D. N. Leonis XIII ad Episcopos Polonos; quos laudat pro perpessis persecutionibus favore fidei, et excitat ad constantiam. . . » 523

Litterae SSmi D. N. Leonis XIII ad Antistites Peruviae . . . » 648

Litterae SSmi D. N. Papae Leonis XIII ad Emum Archiepiscopum Mechliniensem, aliosque Episcopos Belgi quoad Athenaeum Lovaniense . . . » 653

Epistola Apostolica SSmi D. N. Leonis XIII ad Principes populosque universos, occasione sui iubilaei episcopalis . . . . » 705

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 5 Iunii 1893 . . . . . » 3

De Consistorio habito die 18 Maii 1894 . . . . . » 656

EX SECRETARIA BREVIUM

Breve SSmi D. N. Leonis XIII, quo declaratur, ut nomine beatorum nuncupari possint venerabiles Dei famuli Petrus martyr Sanz, aliique etc. . . . . » 79

Constitutiones nuperrimae Benedictinorum . . . . . » 371

EX S. CONGR. RITUUM

Squillacen. Decretum confirmationis cultus, ab immemorabili tempore praestiti ven. servo Dei Lanuino, sacerdoti professo Ordinis Carthusianorum, beato nuncupato, adiecta brevi eius vitae synopsi . . . . . » 32

Valven. et *Sulmonen.* Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti ven. servo Dei Falco eremitae, patrono oppidi Palenae, sancto nuncupato . . . . . » 49

Decretum Generale; De praeeminentia inter festa primaria et secundaria eiusdem ritus in eorumdem occursu et concursu » 51

Decretum. De novo officio et missa s. Familiae . . . . . » 52

Vicariatus Apostolici Carolinae septentrionalis. Dubium quoad orationem dicendam quando s. Ioannes Baptista est titularis Ecclesiae . . . . . » 54

Portus Ludovici; Dubium quoad preces dicendas post missam . . . . . » 54

Sancti Cristophori de Habana; Dubium quoad Calendarium utendum a parochis religiosis . » 55

Firmana; Dubium quoad communionem monialibus distribuendam . . . . . » 55

Senen. decretum canonizationis beati Ioachimi Piccolomini » 127

Sinarum decretum beatificationis, seu declarationis martyrii ven. Francisci Clet, sacerdotis e Congregatione missionis s. Vincentii a Paulo . . . . . » 128

Murana seu *Compsana,* decretum canonizationis beati Gerardi Maiella . . . . . » 178

Decretum Generale; catalogus festorum, quae uti primaria vel secundaria retinenda sunt . » 179

Decretum Generale; dubium quoad festum s. Ioseph, quum transfertur in feriam II post Dominicam Passionis, vel in feriam IV post Dominicam in Albis. . . » 182

Mediolanen. Decretum beatificationis servi Dei Bartholomaei Canale e clericis regularibus s. Pauli Barnabitarum . . . . . » 312

Toletana seu *Corduben.* Decretum beatificationis servi Dei Ioannis de Avila . . . . . » 314

Romana; Decretum beatificationis servae Dei Mariae Aloisiae Maurizii . . . . . » 315

Firmana; Decretum beatificationis vener. servi Dei P. Antonii Grassi. . . . . » 316

Goana; Dubia varia. . . . » 364

Mediolanen. Dubium quoad Cappellanos ritus ambrosiani. . » 367

Urbis eiusque districtus; indulgetur clero urbis facultas recolendi festum s. Familiae Dominica III post Epiphaniam, eumdemque transferendi in primam diem liberam, quoties etc. . . . » 367

Dubium de modo celebrandi temporalem nativitatem alicuius sancti vel beati. . . . . » 368

Namurcen. Decretum beatificatio-

nis ven. Servae Dei Iuliae Billiart . . . . . » 369
Nullius seu *Caven.* Decretum confirmationis cultus praestiti servis Dei Alferio, Leoni, Petro et Constabili, abbatibus Ordinis S. Benedicti . . . . . » 369
Decretum de elogio beati Ioannis Leonardi inserendo Martyrologio romano . . . . . » 445
Parisien. decretum beatificationis ven. Servae Dei sor. Teresiae a sancto Augustino . . . . » 499
Aurelianen. Decretum beatificationis ven. Servae Dei Ioannae de Arc. . . . . » 500
Decretum de concessione scapularis B. M. V. Genestani, quae vocatur *Mater Boni Consilii* . . » 503
Dubium quoad Missam pro sponso et sponsa . . . . . » 520
Dubia quoad Missam pro sponsis . . . . . » 520
De nuptiis celebratis tempore prohibito. . . . . » 521
Cadurcen. De ministerio mulieris in litando sacro . . . . » 572
Cadurcen. praescribitur non esse executioni mandandum praecedens decretum quoad ministerium mulieris in missa . . » 572
Triventina; dubia quoad cultum reddendum simulacro Deiparae Virginis. . . . . » 573
Piscien. dubium quoad Canonicos, qui deferunt annulum dum sacrum faciunt . . . . . » 574
Romana seu *Maceraten.* decretum beatificationis ven. Servi Dei Vincentii Mariae Strambi . . » 574
Toletana seu *Corduben.* decretum beatificationis servi Dei Ioannis de Avila. . . . . » 629
Hispalen. decretum beatificationis servi Dei fr. Didaci Iosephi a Gadibus. . . . . » 631
Firmana decretum beatificationis servi Dei Antonii Grassi . » 633
Montis Pessulani; dubium quoad commemorationem Patroni » 634
De benedictione nuptiarum . » 635
Dubia quoad altarium consecrationem . . . . . » 746
Quebecen. Dubia quoad anniversarium electionis Episcopi. » 747
Decretum. Indulgetur Episcopis titularibus defunctis frui eodem privilegio ac Episcopi Dioecesani, dum illorum animabus suffragia offeruntur. . . . . » 748
Tirasonen. Dubia quoad Dioecesis patronos . . . . . » 749

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

Indulgetur Indis habere uti legitimam uxorem, quae cum viro baptizatur. . . . . » 64
Dubia quoad matrimonium infidelium, quorum alter convertitur, alter minime. . . . . » 65
Dubia de matrimonio infidelium, in quo mulier vendita fuit . » 66
Dubia quoad matrimonium infidelium, muliere amplectente christianam religionem . . . » 68
Dubia quoad matrimonia infidelium cum christianis . . . . . » 70
Postulata quoad matrimonia infidelium cum christianis . . » 184

Postulata quoad matrimonia poligamorum . . . . . » 187
Dubia quoad matrimonia paganorum cum christianis. . . . . » 190
Dubia quoad usum privilegii paulini. . . . . » 253
Dubia quoad matrimonia in impubertate contracta . . . . » 253
Dubium quoad matrimonium clandestinum . . . . . » 254
De matrimoniis clandestinis » 255
Lex tridentina, de matrimoniis clandestinis, localis et personalis est . . . . . » 256
Super matrimoniis mixtis. . » 257
Dubium de matrimonio mulieris infidelis cum viro haeretico quoad baptismum recipiendum . » 264
Quoad matrimonia mixta. . » 266
De indiciis ad probandum quasi domicilium . . . . . » 267
De cultu erga SSmum Vultum Domini . . . . . » 318
Parisien. prohibetur titulus *S. Cordis Iesu poenitentis* . . . » 319
Dubia varia quoad matrimonium catholicorum et protestantium . . . . . » 379
De mense ad quasi domicilium requisito . . . . . » 382
Dubium quoad parochum in matrimoniis mixtis . . . . . » 382
Dubium quoad admissionem partis poenitentis ad sacramenta recipienda in matrimoniis cum haereticis. . . . . » 382
Dubium de matrimonio contracto a minoribus, invitis parentibus. . . . . » 383
Dubium de matrimonio inito cum uxore fratris maioris, defuncti. . . . . » 384
De prole legitimanda . . . » 384
Dubium quoad dispensationem super impedimentis . . . . » 384
Dubium quoad dispensationem in gradu remotiori . . . . . » 385
Dubia quoad facultatem dispensandi super impedimentis » 385
Utrum nomine parochorum veniant Missionarii. . . . . » 387
Dubium quoad verba aegrotos etc. . . . . » 387
Dubia circa dispensationem impedimentorum . . . . . » 388
De Patrino haeretico non admittendo. . . . . » 448
Declaratio quoad reticitam copulam . . . . . » 510
Dubia quoad matrimonia ineunda in templis haereticis etc. . . » 511
De consuetudine adeundi ministrum haereticum, post contractum matrimonium catholicum . » 511
Dubium de matrimonio anteponendo communioni . . . » 511
An missionarius vel Episcopus assistere valeat matrimonio haereticorum. . . . . » 512
Quoad iuramentum massonicum in ordine ad matrimonium . » 512
Dubia quoad matrimonia. . . » 514
Dubium circa applicationem dispensationum matrimonii . . » 516
Dubium quoad omissionem clausulae in facultatibus etc. . » 517
De matrimoniis ineundis inter haereticos . . . . . » 517
Dubium de matrimonio ineundo iuxta ritum gentilium. . . . » 519

De benedictione matrimoniali in communi . . . . . » 635
De benedictione nuptiarum » 635
De benedictione nuptiali recipienda . . . . . » 636
De benedictione nuptiali. . » 637
De sanatione matrimonii. . » 637
De sanatione in radice. . . » 638
De validitate matrimonii iudicanda . . . . . » 638
De matrimonii vinculo iudicando ab Ordinario. . . . . » 639
De sepulturis et funeribus haereticorum. . . . . » 639
De sepultura concedenda his, qui nomen dederant Sectae massonicae . . . . . » 641
Suicidae quoad sepulturam ecclesiasticam . . . . . » 641
De confessario erga Apostatas poenitentes in *articulo mortis* » 641
De viro calviniano catholicam religionem amplectente . . » 642
Quoad crucis signum, a Sinensibus ubicumque in viis positum, ut calcetur ab euntibus . . » 642
De circumcisione apud Gallas » 646
Dubia circa societatem « *Independent order of Good Templars*» 752
Litterae ad Archiepiscopum Coloniensem quoad coniuges in causis mixtarum nuptiarum . » 753

EX S. C. CONCILII

Scepusien. dispensationis matrimonii; denegatur dispensatio matrimonii, eo quod probatum non fuit, ipsum permansisse tantum ratum. . . . . » 7
Romana funeris emolumentorum; quaestio agitur inter parochum domicilii et parochum tituli Emi Cardinalis defuncti de quota emolumentorum funeris, quae unicuique obveniat. . . . . » 25
Decretum, quo reprobatur collectio eleemosynarum missarum, eo consilio ut committatur celebratio earumdem Sacerdotibus, quibus, loco pecuniae, aut libri aut merces rependuntur. » 56
Castrimaris matrimonii; nullum renunciatur matrimonium ex impotentia viri . . . . . » 85
Alexandrina iurium parochialium; confirmatur sententia Curiae episcopalis quoad designationem territorii in quaestione . . . » 97
Nanneten. et *Capitis Haitiani* dubii quoad ordinationes; quaestio agitur de ordinatione clericorum degentium in Seminario provinciae Haitianae, sito in Dioecesi Nannetensi . . . . . » 112
Albinganen. commutationis voluntatis; denegatur immutare testatorum voluntates . . . . » 118
Ordinis Minorum S. Francisci dispensationis ab irregularitate; dispensatur ab irregularitate Sacerdos ob amputationem digiti pollicis manus sinistrae, in qua iam subierat amputatio digitorum medii et indicis. . . . . » 121
Romana deputationis vicarii generalis; agitur an in Italia queant nominari duo vicarii generales in eadem Dioecesi. . . . . » 171
Auximana quoad deputatos Semi-

narii; dubitatur an Patres Oratorii cooptari valeant inter electores et eligendos ad hoc munus. . . . . » 174
Andrien. Sacrarum functionum et iurium; inter parochum et sodalitium agitur de iure peragendi varias functiones sacras in ecclesia, nunc paroeciali. . . . . » 203
Cameracen. matrimonii; quaeritur an confirmanda sit sententia curiae episcopalis, quae declaravit non constare de nullitate matrimonii. . . . . » 223
Maceraten. facultatis Missam iterandi; denegatur facultas binandi. . . . . » 233
Sancti Iosephi de Costarica, postulatum circa facultatem binandi; ad decennium indulgetur facultas binandi. . . . . » 235
Augustodunen. matrimonii; quum ex processu, morali certitudine constiterit de matrimonii inconsummatione, dispensatio pontificia indulta fuit . . . . . » 293
Nemausen. dispensationis matrimonii; dispensatio indulgetur super matrimonio rato et non consummato . . . . . » 321
Bugellen. matrimonii; respondetur non constare de nullitate matrimonii, quia evictum non fuit consensum viri alligatum fuisse conditioni . . . . . » 335
Oxomen. distributionum capitularium; permittitur, ex particularibus adiunctis, ut capitulares Cathedralis frui valeant privilegio percipiendi distributiones pro medietate temporis vacationis. . . . . » 347
Varsavien. seu *Lublinen.* dispensationis matrimonii; evicta formiter integritate uxoris, indulgetur dispensatio super matrimonio rato . . . . . » 355
Nicoteren. et *Tropien.* Dubii super Oratorio Episcopi. . . . » 391
Congregationis Passionis D. N. I. C. Dubii quoad missarum celebrationem; dubia de Decretis Romanorum Pontificum quoad moderationem et reductionem Missarum. . . . . » 397
Barcinonen. nullitatis matrimonii; acriter diuque disputatum est circa valorem matrimonii celebratum dum vir gravissime aegrotaret. . . . . » 407
Nolana solutionis; dubium de mediae annatae solutione. . » 424
Firmana Postulatum quoad litteras testimoniales ordinandorum . . . . . » 428
Melevitana matrimonii; confirmatur sententia Episcopi, qua declaratum fuerat, matrimonium nullum et irritum fuisse . . . . » 451
Civitatis Castelli dispensationis matrimonii; dispensatur matrimonium ratum et non consummatum . . . . . » 464
Mediolanen. matrimonii; resolvitur non satis constare de nullitate matrimonii. . . . . » 470
Marsorum iterationis sacri; denegatur gratia iterationis Missae. . . . . » 480
Platien. dubii Oratorii; dubitatur

an cappellae, quae eriguntur in publicis coemeteriis sint vera Oratoria, et an Episcopus indulgere queat, ut in eisdem Missa litetur . . . . . » 482

Romana et *Aliarum*; Dubia quoad decretum de compescendo Missarum mercimonio . . . » 533

Pinnen. Indulti iubilationis; remittitur conscientiae Episcopi res definienda quoad expetitam iubilationem . . . . . » 542

Cameracen. dispensatio matrimonii; indulgetur dispensatio matrimonii rati et non consummati . . . . . » 547

Strigonien. matrimonii; indulgetur dispensatio a matrimonio rato et non consummato . . . . » 577

Lublinen. matrimonii; confirmatur sententia Curiae lublinensis, validum declarantis matrimonium; sed insimul conceditur dispensatio super matrimonio rato et non consummato . . . . » 585

Aquipendien. adiudicationis redituum; quaestio agitur de ratione dividendi reditus bonorum immobilium, post conversionem eorumdem a gubernio factam . . . . . » 601

Ugentina adiudicationis redituum; quaestio est inter oeconomum curatum et canonicos quoad nonnullos reditus . . . . . » 610

Parisien. nullitatis matrimonii; confirmatur sententia Curiae Parisiensis, quae nullum declaravit matrimonium ex capite vis et metus . . . . . » 671

Friburgen. dubium quoad Missarum applicationem . . . » 688

Mediolanen. dispensatio ab irregularitate ex vitio corporis . » 692

Aquilana praeeminentiarum; decernitur esse confirmandam sententiam Antistitis; qua relationes inter Parochum et cappellanos definiuntur . . . . . » 717

EX S. C. EP. ET REG.

Firmana seu *Aversana* pensionis; quaestio est de pensione solvenda ab Episcopo aversano . . » 122

Senogallien. provisionis paroeciae; quaestio est inter Episcopum et Ordinem religiosum de providenda paroecia regulari . » 136

Pisana Ordinis Monialium Visitationis, iurium; quaeritur an Religiosae Salesianae ius habeant sibi eligendi confessarium et patrem spiritualem, quibus Antistes approbationem conferat . » 142

Lucionen. iurisdictionis; quaestio est an Superior generalis ordinis monialium, quae nuncupantur *filles de la sagesse,* manuteneri debeat in iurisdictione super universa Congregatione, et an ad hoc munus deputandus sit Superior generalis Societatis marianae. . . . . » 148

Oranen. proprietatis et expulsionis; lis est quoad proprietatem et administrationem Asyli, et an substineatur expulsio monialium ab eodem Asylo . . . . » 156

Decretum de unione trium obser-

vantiarum Cisterciensium Trappistarum . . . . . » 166
Litterae in forma brevis, quibus validatur decretum praecedens . . . . . » 168
Sypontina seu *Confraternitatis Tertii Ordinis S. Francisci*; varia enodantur dubia quoad Sodalitatem tertii ordinis saecularis franciscani. . . . . » 238
Sancti Flori seu *Parisien.* solutionis et refectionis damnorum; agitur de praetensis damnis reficiendis a societate s. Vincentii a Paulo . . . . . » 247
Habanen. Decreti; disceptatur an confirmandum vel infirmandum sit decretum Vicarii generalis . . . . . » 432
Litterae SSmi D. N. Leonis XIII ad Episcopum Recineten. et Lauretanum, de celebranda memoria saeculi sexti expleti, ex quo illa Dioecesis nobilitatur almâ domo Beatae M. V. . . . . » 439
Litterae in forma Brevis, quibus privilegia et indulgentiae conceduntur . . . . . » 440
Meliten. Tertii Ordinis saecularis s. Francisci; plures agitantur quaestiones inter Sodalitium tertii ordinis et Patres primi Ordinis . . . . . » 485
Fanen. praelationis; quaeritur cui conferenda sit mansio gratuita in Seminario. . . . . » 563
Dubia super interpretatione decreti *Auctis admodum* . . . . . » 616
Perusina distributionis congruarum parochialium; quaestio de distributione redituum paroecialium, tempore vacationis, inter beneficiatum antecessorem et successorem . . . . . » 620
Sancti Deodati decreti; disceptatur an sustineri possit decretum episcopale circa paroeciam concreditam Ordini religioso . . » 624
Congregationis Barnabitarum legatorum piorum; oneratur ordo religiosus de satisfactione legatorum missarum, pro quibus non amplius extant vel non reperiuntur capita administrata a parocho ordinis defuncto . . . . » 627
Assisien. iurium parochialium; quaestio haec agitatur inter Episcopum Assisiensem et Archiepiscopum Spoletanum quoad congruam ab hoc rependendam favore vicariae curatae, in dioecesi assisiensi positae . . . . » 695
Ravennaten. liberationis a pensionibus persolvendis; constituitur, parochum non esse exonerandum a duabus pensionibus persolvendis. . . . . » 738
Decretum S. C. Ep. et Reg. quo definiuntur partes muneris Abbatis Primatis et officia erga Ordinem universum post unionem diversarum Congreg. Benedictinorum nigrorum sub directione Abbatis generalis Romae residentis » 743

EX S. CONG. INDICIS

Decretum, quo plures prohibentur libri . . . . . » 59
Decretum, quo varii prohibentur libri . . . . . » 703

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

Dubia quoad publicationem decreti *Tametsi*. . . . . » 191
De benedictione nuptiarum » 215

EX S. CONG. INDULGENTIARUM

Rescriptum, quo orationi pro conversione Israelitarum adnectitur indulgentia centum dierum . . . . . » 126
Rescriptum, quo conceditur indulgentia centum dierum recitantibus antiphonam « *Sancte Michael* » . . . . . » 183
Rescriptum, quo conceditur indulgentia *centum dierum* recitantibus iaculatoriam precem in honorem SSmi cordis Iesu. . » 252
Gandavensis; quoad recitationem SSmi Rosarii in communi » 310
Cuneensis; dubia quoad admissionem Christifidelium Tertiis Ordinibus nonnullorum ordinum . . . . . » 374
Concessio generalis indulgentiae centum dierum pro orationibus uti in supplici libello . . » 375
Sancti Iacobi; quoad sacramentalem confessionem pro lucrandis Indulgentiis plenariis, quae *toties quoties* in die conceduntur vel in forma aut ad instar Iubilaei . . . . . » 377
Rescriptum, quo conceditur indulgentia *centum dierum* christifidelibus recitantibus orationem in honorem pueri Iesu. . . » 443
Basileensis de adscriptione Christifidelium distinctis Confraternitatibus; quae tamen ad eiusdem obiecti cultum sese referant, et de Parochis ad munus rectoris Confraternitatum constituendis . . . . . » 507
Oratio ad s. Camillum de Lellis . . . . . » 701
Tolosana, dubia quoad verba *in ore tuo* in oratione cooptata « *En ego bone et dulcissime Iesu* » . . . . . » 702
Actus consecrationis ad s. Aloysium Gonzaga. . . . . » 748

EX S. POENITENTIARIA APOST.

Exemplar supplicis libelli mittendi pro dispensationibus matrimonialibus exposcendis. . . . » 61
Dubia de sacerdotibus spectaculo taurorum assistentibus cum sacro oleo vel in circo vel prope » 447
Dubia quoad separationem, quando adest incestus publicus . » 509
Dubium quoad poenitentiam imponendam in dispensationibus matrimonialibus. . . . . » 510
Dubium quoad absolutionem a censuris praemittendam etc. . » 510
Dubium de matrimonii celebratione ab innodatis a censuris. . » 513
Dubium de clausula, apponi solita in dispensationibus . . . » 514

EX S. CONG. SUPER DISCIPLINA REGULARI

Ordinis Minorum Reformatorum; dubium super dispensatione votorum simplicium. . . . » 320

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Dispositiones piae.
Episcopus quoad sacros Ordines.
Funera.
Litterae testimoniales.
Matrimonium.
Missae.
Oratoria coemeteriorum.
Ordines religiosi quoad legata pia.
Parochus quoad ss. Functiones.
Sodalitas tertiariorum franciscalium.
Vicarius generalis.

Dispositiones piae.

Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, sunt executores omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, et ius habent visitandi loca pia quomodocumque nuncupentur. *pag.* 165.

Indolem induunt ecclesiasticam, seu pertinent ad causas pias omnia quae instituta fuerunt ad Dei cultum, animarum salutem, seu ad pauperes sustentandos. *ibid.*

Episcopi quoad ss. Ordines.

Ex iure unicuique Episcopo data est, non ubicumque, sed tantum intra limites suae Dioecesis, potestas iurisdictionis et facultas promovendi ad ordines sacros subditos proprios, aliosque litteris dimissoriis Ordinarii sui praeditos. *p.* 118.

Qua de re consuetudo, quae hanc duplicem potestatem Ordinariorum limitaret, omnino fuisset respuenda, utpote iurium Episcoporum laesiva. *ibid.*

Funera Emorum Cardinalium.

Ecclesiae titulari, in funeribus Emorum Cardinalium, debetur dimidium omnium emolumentorum: quae hisce in adiunctis ecclesia parochialis percipit. *p.* 31.

Quidquid enim assignatur ecclesiis titularibus Emorum Cardinalium, occasione funeris eorundem, habere videtur rationem *quartae funerariae,* seu *portionis canonicae,* quae alibi varia est, sed Romae dimidium attingit. *ibid.*

Sub nomine autem emolumentorum, veniunt omnia commoda et oblationes, quae tempore funeris, vel exequiarum defuncti, ecclesiae paroeciali fiunt. *ibid.*

Litterae testimoniales.

Promovendi ad sacros ordines exhibere debent litteras testimoniales illorum Episcoporum, in quorum Dioecesibus morati fuerint, saltem per tres menses, ceu tenentur iuvenes ex familiis religiosis, qui militari delectui obnoxii fuerint. *p.* 431.

Matrimonium.

Traditio etenim mutua corporum ad sobolis procreationem, pertinet ad intrinsecam matrimonii rationem; et ideo nulliter contrahitur quoties aliquid adsit impedimentum ad copulam exercendam. *p.* 97.

Validum est matrimonium ab hermaphrodito initum, quatenus non sit impotens quoad sexum, secundum quem contrahit; tunc enim impotentia haec matrimonium irritaret, si contrahentem ad copulam carnalem ineptum redderet. *p.* 233.

Certum est consensum in contractu matrimoniali posse subordinari conditioni honestae et possibili, ita ut matrimonium revera valeat vel non, prouti conditio existit vel non existit. *p.* 346.

Etsi relinqui possit opinio doctorum tradentium conditionem in pactum deducendam esse in ipso matrimoniali actu coram parocho et testibus, tamen, ut conditiones adiectae dici possint, requiritur in foro externo ut expressae sint, et constet de expressa conditionis appositione. *p.* 346.

Aliud etenim est aliquam voluntatem in genere manifestare, aliud autem eam adiicere per modum conditionis; ita ut sub hac et non alias quis contractum celebrare voluerit. *p.* 347.

Ex S. Congregationis Concilii iurisprudentia deprehenditur, rigorosas exigi probatione quando controvertitur de validitate matrimonii ob adiectam et non purificatam conditionem. *ibid.*

Quum publice intersit non dissolvi matrimonia, hinc etiam error, non cadens in personam, nihil proderit illi qui dolo alterius contrahentis erraverit, nisi consensus expresse ligatus fuerit conditioni. *ibid.*

Non desunt auctores qui tenent, si pendente conditione matrimonii initi coram parocho et testibus, contrahentes habeant copulam, praesumere Ecclesiam recessisse a conditione et perfici matrimonium. *ibid.*

Conditio *si te virginem invenero, si uterum non geris,* habenda est uti turpis et proinde veluti non adiecta, quoties illius investigatio intelligatur per concubitum, non per licitum modum. *ibid.*

Etsi illicitum, validum tamen est matrimonium, in quo obtenta sit dispensatio super gradu remotiori absque mentione gradus propinquioris; dummodo propinquitas non sit primi gradus consanguinitatis vel affinitatis, et dummodo

absit vitium obreptionis et subreptionis seu mala fides. *p.* 423.

Quando agitur de matrimonio dissoluto unius vel amborum coniugum morte, sufficiunt ad evincendum eius valorem, etiam coniecturales probationes; eo quod tunc agitur non de matrimonio in se, sed de consectariis matrimonii. *ibid.*

Filii, quamvis ex damnato coitu suscepti, appellantur quoad ius successionis simpliciter naturales, minime vero spurii aut incestuosi, si uterque vel alteruter parentum ignoraverit existere inter ipsos impedimentum matrimonii dirimens. *p.* 424.

Ex matrimonio nullo filii nati a pari appellari possunt legitimi, si alteruter vel uterque coniux fuerit in bona fide. *ibid.*

Quum quaestio de matrimonii dissolutione sit de re gravissima, hinc oportet, ut iudici affluant probationes impotentiae, quatenus agatur de dissolutione matrimonii ex hoc capite. *p.* 480.

Praesumitur pro valore matrimonii, nec illud, semel initum, potest dissolvi, quando dubitatur an vera impotentia sit, et matrimonium consummatum sit nec ne; dubiumque hoc vinci nequeat, post adhibitam sufficientem diligentiam. *ibid.*

Quilibet naturaliter praesumitur potens, et ideo asserenti veram impotentiam, ubi ea dubia sit, onus incumbit eam probandi. *ibid.*

Qua de re donec ea impotentia non fuerit formiter probata, praesumendum est pro naturali potentia, et pro valore matrimonii, si constet id initum fuisse et dubitetur de eius impedimento, quod numquam praesumitur. *ibid.*

In dubio de impotentia antecedenti, de rigore iuris standum est pro valore matrimonii. *p.* 600.

Impotentia antecedens aut consequens, matrimonium non dirimit si temporalis sit; et sufficit si copula fuerit possibilis tempore contractus vel possibilis futura sit, quum usus actualis matrimonii ad eius essentiam non pertineat. *ibid.*

Quando proceditur per viam gratiae seu per dispensationem impertiendam a Romano Pontifice, tunc, probata inconsummatione, matrimonium dissolvi potest etiamsi de perpetuitate impotentiae adesset dubium. *ibid.*

Tolerabilius enim et honestius est iuxta disciplinam Ecclesiae matrimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii occasionem incontinentiae praebere et continuum confovere peccatum. *ibid.*

In causis matrimonialibus consanguinei et familiares ex iure non habentur uti suspecti, eoquod « domesticitas non minuit, sed potius auget fidem testis in hac materia, ratione praesumptae scientiae et veritatis ». *p.* 687.

Metus gravis seu mentis trepidatio, verificatur de facto quando malum instans, vel futurum, grave est pro illa persona, quae illud fa-

cile sustinere non posset, et simul persuasum habeat illud revera sibi imminere. *ibid.*

Nedum recta ratio, sed ipsa iura proclamant maximum malum esse amissionem libertatis : quae facilius haberi potest in femina, quam in viro. *ibid.*

Gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum, a quibus illae proficiscuntur, tum eorum, qui eas passi dicuntur. *ibid.*

Metum gravem constituunt varia adiuncta ; quae sunt diuturna et importuna vexatio, gravitas minarum, eiectio e paterna domo, haereditatis privatio, auctoritas et pertinacia terrentium, eorum prompta iracundia et violentia, fragilitas et indoles patientis. *ibid.*

Nihil officit declarationi nullitatis matrimonii si mulier, metum vel timorem reverentialem passa, repulsa a parentibus, aliquot annos in domo viri permanserit, cum carnali copula ; eoquod matrimonium non revalidatur nisi iterum contrahatur, adhibita Tridentini forma. *id.*

Missae.

Ubique obligant decreta super celebratione Missarum, ac prohibitiones illas moderandi seu reducendi etc. emanata a S. C. Concilii,, et inserta ab Innocentio XII in sua Constitutione *Nuper*. p. 406.

Oratoria coemeteriorum.

Cappellae quae extruuntur in coemeteriis haud dici possunt vera oratoria publica, neque ab Episcopis indulgeri potest, ut ibi missae litentur. *p.* 485.

Ordines religiosi quoad legata pia.

Quod cum quaelibet donatio vel oblatio ad pia onera vel legata, in perpetuum statuenda, facta religiosis, censeatur facta Communitati seu Ordini, de his Communitas, et non Regulares in individuo respondere debent. *p.* 629.

Ideo rationes adductas a Procuratore S. Congregatio nullo in pretio habuit, quia Communitati Barnabitarum onus incumbebat praefatam sortem apud se custodiendi et non eam relinquendi in manu defuncti parochi religiosi. *ibid.*

Iure merito proinde P. Praeposito Generali imposita fuit obligatio redintegrandi amissam sortem, ex culpa enim seu potius negligentia Communitatis omissio contigerat. *ibid.*

Parochus quoad ss. functiones.

Parochus habet in propria Ecclesia intentionem, in iure fundatam, libere omnes peragendi functiones, primumque locum in iis obtinendi, ob ipsum dominium, primatum et regimen, quod parochus obtinet in sua Ecclesia et universis ipsius partibus. *p.* 222.

Ideoque functiones omnes, cuiuscumque indolis, fieri debent a Parocho vel ab alio cum dependen-

tia a Parocho ipso, ne turbetur ordo in paroeciali Ecclesia. *ibid.*

Parochus uti Ecclesiae parochialis primarius minister ius habet ad percipiendas oblationes, quae obveniunt intra limites suae paroeciae. *ibid.*

Ad parochum pertinet ius percipiendi emolumenta funeris, sive ea quae obveniunt ratione funeris et sepulturae in compensationem oneris officii curati et administrationis sacramentorum. *ibid.*

Sodalitas tertiariorum franciscalium.

Tertiarii Franciscales saeculares cum habeantur ceu Ordo Religiosus, etiam post recentes Pontificias Constitutiones, participant de iuribus et privilegiis Regularium, sub certis tamen conditionibus. *p.* 246.

Hae conditiones quoad associationem funerum sunt, ut incedant cum proprio vexillo, brachiis cancellatis, proprio habitu induti et cum interventu parochi usque ad ecclesiam tumulantem. *ibid.*

His servatis conditionibus, Sodalitas Tertiariorum Franciscalium pollet iure praecedentiae super quascumque laicas Confraternitates ad tramitem resolutionis S. Congregationis Rituum sub die 28 Maii 1886. p. 247.

Sodalitas Tertiariorum rite constituta non eximitur ab Ordinarii iurisdictione, nisi quoad disciplinam et directionem internam, in quibus pendet a Superiore Regulari, iuxta resolutionem S. Congregationis Indulgentiarum diei 31 Ianuarii 1893 : ubi ad dubium III, nempe *utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium Ecclesiis* – rescripsit: *in his quae ad disciplinam et directionem internam spectant, negative: in reliquis affirmative :* sed tamen requiri, ut sit rite constituta, seu ordinata iuxta Constitutiones pontificias. *ibid.*

Licet Tertiarii Saeculares Franciscani teneantur ad omnimodam obedientiam et dependentiam a religiosis Franciscanis Primi Ordinis, tamen haec dependentia limitibus circumscribitur : unde Superior Religiosorum nequit sodalitia Tertiariorum saecularium dissolvere ad arbitrium, sed necesse est ut gravia et urgentia motiva suppetant. p. 498.

Pari ratione iura quae Tertiariis conceduntur a Bullis apostolicis, ut in casu, ius incedendi sub communi cruce Religiosorum, ab istis auferri aut imminui non possint ; solummodo haec iura amitti possunt per legitimam contrariam consuetudinem, de qua tamen in praesenti quaestione non constabat. *ibid.*

Ius competens Tertiariis Franciscalibus saecularibus incedendi sub cruce Religiosorum Primi Ordinis, in internis et externis seu publicis processionibus non coarctatur ad casum tantum, quando interveniant praefati religiosi; sed etiam extenditur ad processiones, in quibus

alii Ordines Regulares accedunt iuxta adagium, ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus. *ib.*

In electione Officialium Sodalitii Tertiariorum sicuti in aliis similibus actibus, lex statutorum stricte servanda est, neque facile ad alia remedia seu vias extraordinarias confugiendum est, legem derogando, cum ea quae a iure exorbitant maxime odiosa sint. *ibid.*

Vicarius generalis.

Unus in Italia constitui tantum potest Vicarius generalis, cui committatur administratio rerum spiritualium, et simul contentiosa iurisdictio. *p.* 174.

Hanc maximam confirmat Canonistarum sententia, quae habet; ius pati ut plures in solidum constituantur Vicarii ubi consuetudo viget; non permitti vero ubi haec consuetudo iam non inolevit. *ibid.*

In Italia nunquam viguit consuetudo duos habendi Vicarios generales, quae contraria etiam Tridentini menti videtur, quum in eo non agatur nisi de unico Vicario generali. *ibid.*

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.

BX
850
A3
v.26
1893-
94

9846

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709